APOLOGIA

NOVI



CAMPIANI

1559

APOLOGIA ALBERTI NOVI-CAMPIANI, PRO CATHOLICA

*FIDE, ET DOCTRINA DE VERITATE COR-
PORIS CHRISTI IESV IN EVCHARISTIA,
DE CÆTERISQVE SACRAMENTIS:*

Liturgiæ item seu Missæ sacrificio, ac aliis ferè omni-
bus, quę hoc seculo controuertuntur. In Trans-
syluania Tordæ in comitiis anno à Chri-
sto nato M. D. Lvij oblata.

Opus hoc seculo utile quàm quod maxime.

Ratio & ordo apologiæ in epistolis prælimina-
ribus, & in præfatione habentur.

I, PET: III.

Si quid etiam acciderit incommodi propter iusticiam, beati tamen estis. Terrore illorum ne terreamini, neq; turbemini, sed dominum deum sanctificate in cordibus uestris. Sitis autem parati semper ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine, & reuerentia, conscientiam habentes bonam, ut in hoc quod uobis detrahunt, tanquam scelerosis, pudefiant hi qui incessunt uestram bonam in CHRI*sto conuersationem. Præstat enim, ut bene agentes, si ita uelit dei uoluntas, malis afficiamini, quàm malè facientes.*

CRACCOVIAE
Cum Gratia & Priuilegio *REGIÆ MAIESTATIS.*
Lazarus Andreæ excudebat. Anno à redempto mundo, 1559.

IN ARMA ILLVSTRISSIMI
PRINC: IOANNIS SIGISMVNDI, IOANNIS HVNGARIÆ REGIS FILII.



Cornibus admotis ex vna Delia parte,
    Ex alia cingunt sydera clara lupum.
Ipsa mihi suadent tranquillam sydera pacem,
    Aethereis veluti pax solet esse locis.
Quòdq; meum regnum non concidit arte luporũ,
    Acceptum refero, qui regit astra, Deo.



AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM IOANNEM SIGISMVNDVM HVNGARIÆ ET TRANSSYLVANIÆ REGEM DESIGNATVM, ALBERTI NOVICAMPIANI DE APOLOGIÆ DEDICATIONE EPISTOLA.



CVM SÆPIVS ANIMADVERTErem, Princeps illustrissime, egregiam tuam indolem, & studia optima quæq; principe digna, incredibilem sanè animo capiebam læticiam: partim quòd in te instituendo me non lusurum operam persuasum habuerim: partim quòd te tuis omnibus ornamento et emolumento fore crediderim, hoc præsertim seculo, quo res Hungaricæ accisæ, afflictæq; & ferè collapsæ sint, non sine maximo Reip: Christianę discrimine. Quam quidem Rempub: non solum ab inimicis crucis CHRIsti inuadi, impetiq;, & planè subrui, sed etiam in plurimis locis, illam ipsam in sua viscera arma vertere, sæuire, et haud scio an non plus etiã quàm ethnicos ferocire, videre licet. Atq; hæc quidem etsi Reip: Christianę plurimum officiant, sunt tamen alia multò his deteriora, ex quibus illa maxima ex parte promanant, pestifera, inquam, in religione dogmata,

tanquam cancer serpentia, mentesq́ plurimorum hominum infestantia, & subuertentia, ad æternumq́ interitum, proh dolor, præcipitantia. Quorum equidem dogmatum, nullum vnquã seculum feracius fuit, quàm hoc est, quo non solum iam olim damnata et sopita ab inferis reuocantur, sed noua etiam in dies ex singulis, veluti ex Lernea hydra enascuntur. Vnde factiones, bella ciuilia suboriuntur, pietatis dogmata euertuntur, confunduntur pietatis leges, ambigua est fides, prauitas immensa. Vt illud de nouissimis diebus *ij Timot: iij.* ab apostolo prædictum, maximè impleri, cernere sit. Quo fit vt iusto iudicio dei, manus hostium religionis Christianæ, ad prælium contra Christianos doce- *Psal: cxliij.* antur, & digiti ad bellum: consilia vero Christiano- *Leuiti: xxvi.* rum infatuentur, & gladius vltor fœderis dei, iuxta prædictionem diuinam, super illos inducatur, tum aliæ pœnæ diuinitus prædictæ, ijs infligantur. Non desunt, qui his doctrinis virulentis in dies gliscẽtibus, et radices altius agentibus, præsentaneum remedium non aliud esse affirment, quàm generale concilium. Ego etsi conciliorũ œcumenicorum in ecclesia catholica rationem saluberrimam esse sciam, huncq́ esse modum sedandis & componendis in religione Christiana turbulentis et insanis doctrinis: tamen sic animum induco meum, vt nisi ad conciliorum scita exemplum principum & autoritas, sedulaq́ seueritas accesserit: malum hoc aut nulla ratione, aut ægerrimè tempestiuè restingui posse, hoc tempore magis, quo peruersis-

simis &

simis & diuersissimis opiniõibus homines imbuti sunt, et ceu peste quadam infecti, maximoq́ fastu tumeant, adeò vt ingenio nulli cedere velint, spiritum sanctum ita se habere iactitantes, vt ea in re se Paulo, aut alijs apostolis æquent. Indicuntur conuentus, fiunt synodi apud eos etiam solos, inter quos hæc maximè vigent, disputatur à doctoribus: re tamen infecta conuentus soluuntur, vnoquoq́ pro libidine sua scripturam sacram exponente. À quibusdam etiam, vt Basilij verbis vtar, velut scutum mutui inter ipsos belli, excogitata est defensio rectæ vczt de fide sententiæ, & proprijs inimicitijs occultatis, pro pietate gerere se inimicitias confingunt. *Basilius epistola lxix.* Vnde facilè adducor, vt credam, quamuis cõcilium œcumenicum super hisce rebus coactum fuerit, nisi tamen ex sententia eorum agatur, & decernatur, illos concilio nõ subscripturos, quod iam aliqua ex parte experti sumus, in diesq́ experimur, dũ concilia illa sanctissima, & autoritatis summæ ab illis etiam habita, negliguntur.

Hæc igitur apud me illustrissime Princeps expendens, & inter cæteras tuas præclaras dotes, pietatis in deum maxima specimina, & animum ita obfirmatum agnoscens, vt te quouis vento doctrinæ minimè circumferri velis: neq́, cum in ecclesia mali bonis permisti ad consummationem seculi, docente Christo, futuri sint, propter aliquorum mores improbos, aut abusus quorundam priuatos, ab ecclesia catholica desciscere. Hæc (inquam) in animo reuoluens, plurimũ

 lætor,

lætor, existimans te ab eo præclaro instituto nunquã
abduci posse. Hoc enim cum summæ leuitatis & in-
constantiæ, dignitati autoritatiq; principis maximè
indecorũ esse, tum plurimum periculi habere nosti.
Siquidem hac ratione & regnum (quod propter sce-
lera hominum de gente in gentem transferri sacræ li- *Ecclesiasti: x.*
teræ testantur) & salus animæ in summum discrimen
venit. Nam inter ea quæ inprimis ad salutem conse-
quendam necessaria sunt, est fides catholicæ ecclesiæ,
quæ nobis ipsam etiam scripturam diuinam tradidit,
eiusq; interpretandæ potestatem habet, et omnium in
religione controuersiarum iudex est, vtpote columna
et firmamentum veritatis, veluti apostolus ait, qua de *i Tim: iij.*
re alibi copiosè egimus. Vt itaq; hæc pietatis cæte-
rarumq; virtutum seminaria in te magis ac magis fir-
marentur, & augerentur, adolescerentq;, cum apud te
essem, omnem operã dabam. Neq; illam intermisissem,
præsertim te vehementer expetente, nisi valetudo mea
aduersa, qua in Transsyluania vexabar, adeò vt iam de
vita mea desperatum esset, me in POLOniam redire
coëgisset. Ne tamen absens tibi planè de-
fuisse videar, mitto apologiam catholicę orthodoxęq;
fidei, & religionis, quam Tordæ scriptam in comitijs
obtuleram, auctam nunc & castigatam, quantum per
valetudinem nondum planè confirmatam licuit. Qua
quidem re, si non aliud efficerem, nisi animum meum
in te beneuolentissimum, studiumq; in te instituendo,
omnibus probis testarer, satis me officio meo fecisse e-
xistimo.

Accipe

Accipe igitur, & diligenter perlege Princeps illu-
strissime, opus hoc meum, si modo meum est, & non
potius doctissimorum & orthodoxorum virorum, e-
orumq; vetustissimorum Græcorum & Latinorum,
ex quibus maxima ex parte congestum est, idq; non
sine ratione. Cum enim omnes hæretici scripturam *Ratio scripti.*
sacram iactent, & suas opiniones multum inter se con-
trarias, illa constabilire nitantur, facile quiuis intelli-
gere potest, non satis esse ad solam scripturam cano-
nicam in contentionibus sedandis recurrere, sed eti-
am ad ecclesiam catholicam, cui Christus vsq; ad con-
summationem seculi se adfuturum promisit. Quoni-
am vero in ecclesia, non omnes (vt Paulus docet) do- *Ephe: iiij.*
ctores sunt, sed hi, qui diuinitus dantur: ex scriptis itaq; *i Cor: xij.*
vetustissimorum cognosci potest, quæ sententia eccle-
siæ catholicæ olim fuerat, de rebus hisce, quæ hoc se-
culo controuertuntur, tum quæ intelligentia scriptu-
ræ diuinę, quam hoc tempore indocti & instabiles (vt *ij Pet: iij.*
Petrus apostolus ait) deprauant ad suam ipsorum per-
ditionem. Neq; enim, veluti grauissimi scriptores do-
cent, euangelium in mortuis scripturarum characteri-
bus est, sed in sensu, quem rectum ecclesia catholica à
spiritu sancto, iuxta promissum Christi semper habet. *Ioan: xiiij.*
Porrò ecclesiam catholicam, in rebus salutem animæ
spectãtibus, erroris insimulare, illam euertere est. Quî
enim catholica esset, hoc est, vniuersalis, per omnia lo-
ca & tempora diffusa, si aliquando intercidisset? quod
quidem haud dubiè esset, si vel tantillum illi ad salutẽ
defuisset.

defuiſſet. Vnde & hac ratione CHriſto IEſu (nefandum & horrendum dictu) nota mendacij inuri poſſit, quippe qui eccleſiam ſuam, in rebus fidei errare, labi, permittens, promiſsis ſuis non ſtetiſſet. Promiſiſſe autem illum eccleſiæ ſpiritum veritatis, cum ea manſurũ in æternum, idemq́ ſe facturum, nemo eſt qui neſciat.

Ioan: xiiij. Mat: vltimo.

Iam qui ad vnius temporis, vel loci homines eccleſiam redigunt, hi ſecus quàm credunt, ſentiunt. Ex vniuerſali enim eccleſia, quam ſe credere profitentur, particularem faciunt, perindeq́ ineptiunt atq; hi, qui manum aut pedem, aliudúe quodpiam membrum, totum corpus eſſe dicunt.

Nec minus errant qui eccleſiam inuiſibilem eſſe affirmant, & incognitam, hoc enim dicto Chriſti contrarium eſt. Si te non audierit, inquit, frater tuus, dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Qua ratione autem quiſpiam eccleſiæ dicet, quæ illi inuiſibilis & incognita erit? Ad hæc nemo eſſet, qui certò polliceri ſibi poſſet, ſe in eccleſia eſſe.

Mat: xviij.

Sicut igitur vnus deus eſt, vna fides, vnum baptiſma, ita & vna eccleſia, eademq́ catholica & viſibilis, ob idq; in rebus fidei vnus ſenſus, eademq́ ſentẽtia, iudiciumq́ eiuſdem eſſe debet, monente apoſtolo. Obſecro vos (inquit) per nomẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadẽ ſententia. Cæterum quæ ſententia prioris eccleſiæ fuerit, non

Ephe: iiij
i Cor: i.

fuerit, non aliunde, vt diximus, certius, quàm ex ſcriptis priſcorum doctorum cognoſci poteſt, ad quę perfugium in controuerſiis habere, moris in eccleſia fuit.

CVM vero eandem ſcripturam ſacram, quam recentiores habent, patres illi antiquiſsimi eccleſiæ lumina legerint, & interpretati ſint, in hisq́, de quibus hoc ſeculo controuerſia eſt, à recentioribus religionis nouatoribus diſſentiant: certè qui prudens eſt, magis volet in ſententiam veterum, quàm recentiorum pedibus ire, præſertim eã quæ à catholica eccleſia approbata ſit. Quippe qui apoſtolorum temporibus viciniores, quidam etiam diſcipuli illorum fuerant. Scripturam quoq; ſacram, tanquam vngues digitosq́ ſuos nouerant, linguarum periti, de hæreticis item illis diſputatoribus ſubtilibus, victoriam retulerunt, erroribus eorum ſapiẽter confutatis, doctrinamq́ ſuam ſanctimonia vitæ comprobarunt, quam etiam non pauci illorum pro CHriſto profuderunt: præterea deo illos placuiſſe, certiſsima indicia extãt, quod neutiquam eueniſſet, ſi in fide lapſi fuiſſent. Impoſsibile enim, vt Paulus ait, ſine fide placere deo. At in recentioribus religionis nouatoribus, contraria his videre licet, qualia in literis ſacris de falſis doctoribus ſcripta habẽtur. Referunt enim illę, eos ventri ſuo ſeruire, verbum dei falſificare, eoq́ ad quæſtum ſuum abuti, ſecundum deſyderia ſua ambulare in impietatibus, Chriſti gratiam transferre in luxuriam, per dulces ſermones, & adulationes corda innocentium ſeducere, ſeipſos ſegregare,

Roman: xvi. ij Cor: iiij. ij Pet: ij. Iudas in epiſ.

præfectos spernere, in præditos potestate maledicta congerere, sectas non metuentes introducere: vt merito in scriptura sacra nominēt fluctus feri maris, quod inquieti & tumidi, pacem ecclesiæ impugnent: sydera item errantia, quod in doctrina sibi non constent, cum diuersa & ab aliis suæ farinę sociis, & ecclesia catholica doceant, quod quidem maximum iudicium est, illos à spiritu dei alienos esse. Non enim deus autor est dissensionis sed pacis, dicente apostolo. *i Cor:xiiij.*

Ratio legum Hungaricarū hic productarum: Quoniam autem à quibusdam non tam cōmutandæ, quàm euertendæ religionis cupidis audiui dici: te non cum legibus, sed ad leges Hungarici regni venisse, quò scil. te in sententiam recētiorum pellicere possent: proinde principiò leges quasdam regni Hungarici, illis contrarias, ad negotiumq; præsens pertinentes produxi, quas diuinæ scripturæ autoritate, & testimonio orthodoxorum fulciui, tum ea quę in contrariam partem adduci possunt, pro viribus ingenij mei *Ratio ordinis.* refellere conatus sum: atq; ita ex eorum tractatione ad persequenda alia, quæ hoc seculo controuertuntur, delapsus sum, quę diligenter legenti, suis locis distincta, perspicua erunt.

Deus opt: Max: te felicem & incolumem diutissimè seruet, ad laudem nominis sui sancti, & Reip: Christianæ ornamentum, & vtilitatem.



ALBERTVS NOVICAMPIANVS CANDIDO LECTORI S. D.



VPERIORIBVS ANNIS, CANDIDE Lector, Scopum Biblicum scripseramus, in quo summam doctrinæ CHRIstianæ præscripsimus, missa facientes illa, de quibus hoc sæculo controuersia est: quæ quidem in hoc opere persecuti sumus, non studio contentionis, à qua serui dei alieni esse debent, sed ueritatis tuendæ causa. Quòdsi quispiam scripturæ diuinæ, & ecclesiæ catholicæ sententiæ à me in medium prolatæ non assentietur, cum hoc ego non contendam. Non enim nouum est, homines in studia, sententiasq; contrarias de religione scindi. Veluti in Niceno concilio fuêre decem & septem episcopi, quibus Arij sententia magis placuit, extrinsecus scilicet creatum dei filium, & non ex ipsa patris (ut ita loquar) deitate progenitum. Et in Ephesina synodo, ubi Nestorius damnatus, qui CHristum purum hominem ex uirgine matre natum asseruit, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, circiter triginta à concilio recesserunt, uolentes cum patribus Nestorium condemnare. Quin & PAulo apostolo gentium doctori, uasi electionis non defuêre sui æmuli. Sed quid PAulum nomino? cum & ipsi Christo, qui stupendis miraculis, & omnem potentiam humanam excedentibus factis, doctrinæ suæ fidem fecit, non omnes fidem habuerint. ij Tim: iij. ij Cor: x. xi. *Proinde id unum moneo, & per Christum Iesum rogo, ut qui consentaneus sibi esse uelit, nec doctissimorum et maximè piorum uirorum, autoritateq; ecclesiæ catholicæ scripturæ diuinæ interprete, uinci se patiatur, caueat diligenter, ne his ueritatem impugnantibus, quorum mentionem feci, similis sit, & eo spiritu uertiginis feratur: atq; ne id fiat, Christum supplex precetur, memineritq; euangelium non in cortice characterum scripturæ mortuæ,*

 quam om-

quam omnes etiam hæretici proferunt, sed in sensu gemino consistere. Præterea eandem scripturam sacram, quam & isti iactitant, orthodoxos uiros eosdemq́ grauißimos et antiquißimos legiße: neq; tamen hæc de religione à recentioribus in dubium uocata, & reprobata, uituperaße, immo approbaße, ut ex scriptis hisce euidentißime cognosci potest. Ad hæc non satis esse in controuersiis religionis ad solam scripturam sacram, sed etiam ad traditionem & autoritatem ecclesiæ catholicæ recurrere, quæ etiam ipsam scripturam sacram nobis tradidit, eiusq́ interpretandæ potestatem habet, tanquam columna et
i Tim:iij. firmamentum ueritatis, ut Paulus apostolus ait. De qua re alibi plura. Picturatæ eloquentiæ flosculis non lasciuimus, quòd res ipsæ, quæ hic tractantur, ornari negant, contentæ doceri. Quod obiectiones attinet, quæ à recentioribus proferuntur, solutiones non produximus: partim quòd plurimæ illarum sint ineptæ, nec responsione dignæ: partim quòd in bonis et firmis causis, unam et alteram solutionem, ex fontibus causæ ipsius sumptam sufficere, iudicio etiam doctißimorum existimemus. Si fortè aliqua cuipiam prolixius aut obscurius à nobis tractata uidebuntur, uel eò magis quòd ueritatis oratio manifesta esse perhibeatur, id aduersarijs non nobis tribuat, qui nihil non in dubium uocant, & pro arbitrio suo omnia statuunt. Quo factum ut altiora se, & forsan curiosius quàm oportuit uiri grauißimi quædam scrutati sint, idemq́ hodie facere coguntur. Ad hæc meminerit mysteria Christianæ religionis sublimiora esse, quàm ut ulla mente, ulla
Rom:xi. ratione, ab ulla natura creata percipi queant. Cuius rei Paulus apostolus testis est locuples, incomprehensibilia esse iudicia dei, & uias imperuestigabiles pronuncians, neminemq́ esse affirmans, qui sensum domini cognosceret. Quodsi idem ad Hebræos scribens, dixit sibi
Heb: 5. multum esse sermonem de Melchisedech, & interpretatu difficilem, ob crassum ingenium auditorum, quibus propter id lacte opus esse, non solido cibo asserit: Perfectorum solidum esse cibum docens, hoc

est, eorum, qui pro ipsa consuetudine, exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali: non mirum igitur alicui uideri debet, si id mihi non de Melchisedech, sed de multis rebus, quibusdam etiam intellectum humanum excedentibus disserenti acciderit. Cæterum de testimonijs grauißimorum uirorum, quæ in medium produximus, illud te monitum uolumus. Si fortè quispiam illos diuersum ab his quæ docemus sensiße affirmet, idq́ scriptis illorum astruere uelit, primum diligenter aduertat, an eorum sententia fuerit hæc, quam ille esse opinatur, ad quod quidem facilius assequendum, antecedentia & consequentia inspiciat, & cætera eorum scripta uideat: tum, quo ad fieri poterit, animum affectibus uacuum retineat, qui in limanda ueritate plurimum officiunt. Deinde illud sibi de ijs persuasißimum habeat, illos neutiquam sententiæ ecclesiæ catholicæ refragari uoluiße, quæ antequam de aliquibus mysterijs pronunciaret explanatius. illis de talibus summa reuerentia loquendi fuit. Et licet ipsi interdum uariabant sententijs, contendebant tamen penè nunquam, cum id ex PAulo apostolo, seruos dei facere non oportere, probè perspe- ij Tim:2.
ctum habebant. Postremo unà cum illis catholicam ecclesiam in i Cor: xi.
rebus dubijs sequatur, alioqui illam non credet, quod fidei Christianæ contrarium est quàm quod maxime. Non nego abusus multos, & alia præpostera inuecta esse, ecclesia tamen minimè probante, licet Episcopis plus iusto fortasse conniuentibus: neq; tamen ob id rectè instituta sunt conuellenda. Immo nec omnia quæ mutanda sunt, mox tollenda esse docti censent, sed quædam suo tempori seruanda, quædam ferenda. Et quemadmodum paulatim mala quædam irrepserunt in consuetudinem, ita paulatim reuocanda ad meliorem habitum. Præterea non tam elaborandum ut laxentur rerum ordines, quàm ut suos quisq; mores corrigamus priuatim, hoc agentibus deus (qui regnare facit hypocritas propter peccata populi) aderit, et principum animos afflabit suo spiritu. Et mutatio præter seditionem,

quam ferè solet adferre plerumq; uergit ad deteriora. Deniq; nullo sæculo, tam feliciter composita fuit res Christiana quin multas querimonias comperiamus de pseudoapostolis, desertoribus, hæreticis, quoties queritur Paulus & Petrus de episcopis, presbyteris, sacris uirginibus, monachis, quàm multa queruntur ueteres. Semper fuit & semper erit quòd pij spiritu, alijsq; querantur et ferant. Proinde prudentia opus est in istis, qui mutare student omnia.

VALE amice lector, operamq; hanc nostram æqui boniq; consule. Quodsi quid à nobis erratum, da ueniam imbecillitatis humanæ memor.

NICOLAVS BODZENCIN

LECTORI.

Alcides quondam summos accepit honores,
Dum leuat à sæuis secula prisca feris.
ALBERtus referat mentis nunc præmia gratæ,
Quòd patrum forti dogmata fulcit ope.

AD LECTOREM.

Autor, vt in laudes Tyberini præsulis amplas
Hoc cecinisset opus, morte solutus obit.
Hæc igitur moriens post se monimenta reliquit,
Quæ satis effulgent laudibus ipsa suis.
Comprobat Ausonię sanctum pietatis honorem,
Quem studijs damnant secula nostra nouis.
Dimicat, ingenti conatu dogma refellens,
Romanas leges quod violare iubet.

IN APOLOGIAM

ALBER: NOVICAMP:

Qui legitis nitidos puro de gramine flores,
Carpite de Campo lilia sacra Nouo.

B. H.

Qui puros petitis sacro de fonte liquores
Exhaurite Nouis nobile Nectar aquis.

I. L.

Discere si est animus pietatis dogmata veræ
Si superare hostem relligionis erit:
Suadeo in ALBERTI scriptis cura studioq;
Versari assiduo, sic mihi doctus eris.
Nocturna versate manu versate diurna,
Qui studio multis discitis esse pares.

I. L.

AD CLERVM PIETATIS que NON FVCATÆ STVDIOSOS.
MART: GLICIN: PILZN.

Βίβλια quid doceant quoue ordine singula discas?
BIBLICVS ALBerti te SCOPVS ipse docet.
Sæpius hunc Mystes nisi voluas atque reuoluas,
Proderit omnino lectio sacra nihil.
Consuluit SCOPVS vt studijs, sic consulit hoccè
Sacrum opus, errorum quomodo lerna perit.
Quos stolidum vulgus, cùm pendet ab ore profano
Doctorum, exhaurit: turpiter hisque madet.
Vtilius quidnam poteras bone Lector habere,
Quid maius? nosces si benè cuncta leges.
Immatura ach mors rapuit nunc qui fuit olim
Præceptor fidus, vir bonus atque pius.

ALBERTI NOVICAMPIANI, PRO CATHOLICA FIDE, ET DOCTRINA DE VERITATE CORPORIS CHRISTI IESV IN EVCHARISTIA: DE CÆTERISQVE SACRAMENTIS, Liturgiæ item, seu Missæ sacrificio, ac alijs ferè omnibus, quæ hoc seculo controuertuntur.

In Transsyluania TORDÆ in Comitijs Anno à CHristo nato MDLVII, oblata.

PRÆFATIO.



NISI IS ESSEM QVI SVM, SERENISSIMA REGINA, Illustrissime Princeps, Spectabiles ac Magnifici Domini, vosque cæteri viri nobilitate insignes, neutique sanè et in hisce comitijs, & Colosuariensibus olim, negotium religionis mihi apud vos tractandum desumpsissem: quippe qui benè perspectum habeam, externum hominem, in aliena Repub: non debere esse curiosum: neque quenquam, iuxta tritum sermone dictum, non vocatum ad consilium accedere oportere: nec in alienam messem, vt est prouerbium, mittere falcem. Cæterum cum Illustrissimi Principis vestri præceptor sim, à SIGISMVNDO AVGVSTO inclytissimo Rege Poloniæ datus, præterea eius iussu, ac Serenissimæ Reginæ vestræ, simulque inuitatu

Illustrissimi Principis vestri, Spectabilis item & Magnifici domini comitis Petri PETROWICZ, Andreæq; BATORI de Somlo, viri integerrimi, & modis omnibus ornatissimi, in regnum vestrum venissem, animaduertissem autem in eo, quemadmodum & in quibusdam externis locis, disceptationes de religione haberi, ipseq; ordinis spiritualis essem: scripsi orationem de corruptissimis huius seculi moribus, varijsq; ac turbulentis in religione Christiana doctrinis, quidue in his pio homini agendum sit: hanc vobis Colosuari obtuleram. Alteram deinde de duabus personis quibus regitur mundus, spirituali ac regia, tum quæ illarum officia sint, & de alijs non paucis, de quibus hoc seculo plurimi inter se contendunt, digladianturq;, non sine magno Christianæ Reipub: malo. Hanc quoniam in ea rationes ad institutum confirmandum, ex fontibus naturæ penitioribus ducuntur, legesq; ciuiles & canonicæ, Hungaricæq; prolixius citantur, quod forsan tedium legentibus parere posit, nunc exhibere nolui. Ex ea tamen illis prætermissis, alia ad rem pertinentia decerpsi, vestrisq; maiestatibus, omniumq; ordinum Hungariæ & Transsyluaniæ viris ornatissimis offerenda duxi, cupiens ex animo, ne quod apud exteros quosdam factum est, hic quoq;, quod absit, fiat. Idq; memor dictorum cuiusdam vetusti, & summi nominis theologi. Sancta, inquit ille, rusticitas solum sibi prodest, & quantum ex vitæ merito ædificat Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus

Oratiões duæ

Hieronymus ad Paulinum

Sancta rusticitas.

struentibus non resistat. Ad hæc persuasum habens, vos id æqui boniq; consulturos, præsertim cum literis sacris proditum sit: Sapientem audientem, sapientiorem reddi. Veluti Moyses consilium soceri sui Ietro non aspernatus, eo factus est prudentior. Neq; id mirum, cum etiam sæpe, vt est vetus prouerbium, & olitor opportuna loquatur. Quodsi quispiam contemnet, aut iniquo animo accipiet, haud equidem mouebor, dum modo quoad possem, officio meo responderem, exempli prophetæ Ieremiæ memor, cuius oratio à Baruch scripta, et in templo recitata (Ieremias enim vinctus in carcere fuerat) in conspectu Ioacim Regis Iuda, igni mandata, exusta fuerat. Præterea dictorum seruatoris Christi Iesu. Qui me, inquit, negauerit corã hominibus, negabo & ego eum, coram patre meo, qui in cœlis est. Et item. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.

Prouer: i.

Moyses.

Exod: xviij.

Iere: xxvi.

Oratio Ieremiæ exusta.

Lucæ xij.

Marci viij.

ASSERO igitur, qui templa diruunt, profanant, res templis dicatas, suapte libidine ducti rapiunt, eas in priuatum vsum conuertentes, possesiones item ecclesiæ, ab eadem abalienant, spiritualis ordinis personas, antiquæ religionis insectantur, abigunt, rebus eorum proprijs abreptis, quosdam etiam neci dant, sectas nouas & dogmata introducunt, & constabilire nitũtur, à sancta ecclesia catholica aliena, quiue cultum diuinũ diminuunt: eos inquã, constanter asseuero facere contra ius

Propositio totius operis.

tra ius naturale, ciuile item, & Hungaricũ literis mandatum, & Canonicum, scripturamq; diuinam. Id autẽ in oratione de duabus personis, quibus regitur mundus, pro virili pro captuq; ingenij mei euidenter ostẽdo, ex qua, vt dixi, in præsentiarum aliqua hisce de rebus proferam, principioq; ius Hungaricum, quod Reges Hungariæ se iuramento seruaturos obstringunt et regnicolæ Regi iuramentum præstantes, tum quæ ab aduersarijs in contrariam partem, adduci posint, diluam.

Hæc si longior fuerit Oratio, cum magnitudine vtilitatis comparata, ita fortasis etiam breuior videbitur.

QVÆ HIC SVBIECTA SVNT, IN IVRE HVNgariæ Typis excusso, & à Regibus confirmato extant Parte i. titu: x. & xi. iuris consuetudinarij Hungariæ.

REX etsi beneficiorum Ecclesiasticorum conferendorum potestatem habeat in Regno Hungariæ, propter quadruplicem rationem in Iure Hungariæ descriptã, tamen bona Ecclesiæ ab ea abalienare non potest, ubi inter cætera hoc scriptum habetur. Cunctorum quoq; Dominorum Prælatorum, & uirorum Ecclesiasticorũ, Princeps ipse noster, uerus pariter ac legittimus successor est, nõ quantum ad bonorum, & iurium possessionariorum, ab Ecclesia ablationem, & sequestrationẽ, sed quantum alteri (uacantibus prælaturarum sedibus, & Ecclesiarum rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesiæ collatione, saluo iure confirmationis Archiepiscopatuum, Episcopatuum, quæ iurisditioni sacrosanctæ Romanæ duntaxat Ecclesiæ subesse dignoscitur.

Parte 1. Titulo 2 Iuris Hungariæ.

PERsonæ spirituales dignitate secularibus præstant, prælati Ecclesiæ, & Ecclesiarum rectores, ratione bonorũ temporaliũ, et nobilitatis cũ Baronibus, et cæteris Magnatibus, atq; Nobilibus regni Hungariæ, eadẽ libertatis, exemptionis, & immunitatis prærogatiua gaudẽt. Ratione tamẽ Homagiorum nobilitati, ijdem prælati ob dignitatẽ cum Baronibus propter officiũ, præferuntur, locoq; proximo Regi, & sententia dicenda &c. honestantur.

Hæc ibi, ad quorũ confirmatiõem & planiorem sensum quædã adijcienda duxi, ad id spectantia.

DE POTESTATE SPIRITVALI ET SECVLARI.



ONSTAt ex scripturis diuinis, duplicem *Leuiti: xviij.*
personam seu potestatẽ in Ecclesia esse de- *Exo. xviij.*
bere. Vnam spiritualem, quæ sacerdotum *Hebr: v. xij.*
est, in iis quæ sunt ad Deum. Alteram se- *Ephe: iiij.*
culare, quæ Regum est et cæterorum principum, idq; *Tit: i.*
vt omnia honeste & secundum ordinem in ecclesia fi- *Rom: xiij.*
ant, veluti Paulus præcipit. Spiritualis potestas sacer- *i. Cor: xiiij.*
dotibus concessa, duplex esse reperitur, Ordinis & Iu- *POTESTas*
risdictionis. Prima est facultas administrãdorum & *spiritualis duplex.*
dispensandorum sacramentorum, & scripturę diuinę,
iuxta illud Pauli de se loquẽtis: Sic nos existimet ho- *i. Cor: iiij.*
mo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ
dei. Altera vero, est facultas diuinitus & de publico
introducta, cum necesitate iurisdicendi, vel æquita-
tis constituendæ. Huius est iudicium causarum spiri-
tualium & controuersiarum, in illis compositio, tum
facultas Legum, seu Canonum constituendorum, non
ad destructionem, sed ad ædificationem ecclesiæ, idq;
per Synodũ, quę quod in Spiritu sancto legitime con
gregata decernit, Spiritus sanctus decernere videtur,
iuxta illud Apostolici concilij: Visum est spiritu san- *Acto: xv.*
cto & nobis. Et illud Pauli ad Titum. Huius rei gra- *Tit: i.*
tia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & con-
stituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui ti-

Excommunicatio.

bi. Ad hæc prædictę potestatis est excommunicatio, hoc est, à cœtu fidelium resectio, ad coërcẽdos malos.

Potestas spiritualis à Deo, nõ ab hõinib. *Ioan: xx.* *Mat: vltimo.*

Hanc duplicem potestatem, à CHristo ecclesiæ traditam indicant verba Christi. Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Item: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris et filij & spiritus sancti, docẽtes eos seruare (vide quid dicat) omnia quæcunq; præcepi vobis. Et alibi ad Petrum.

Mat: xvi.

Dabo tibi claues regni cœlorũ, & quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ & in cœlis: et quicquid solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

à Paulo excõmunicati. *i. Corin. v.* *i. Timot. i.*

Hac potestate præditus Paulus apostolus, Corinthiũ fornicatorem. Alexandrum quoq; & Hymenæum satanę tradidit. Non tanq̃ id, ait Theodorus Græcus, facere ipse Paulus per se decreuisset, sed quòd per abiectionẽ ab ecclesia, & abalienationem à deo, in potestatem satanę veniret.

ij Cor: xiij.

De hac potestate, non tantũ de verbi dei dispensatione, vt quidam narrant, ad Corinthios scribens loquitur idem. Hęc absens scribo, vt nõ præsens durius agam, secundum potestatem, quam dedit mihi dominus.

Actorũ xiij. *Potestas apostolorũ euidẽti signo ostẽsa* *Actorum v.*

Quã quidem potestatem se habuisse euidentissimo signo ostendit, cũ Elymam magũ, auertentem à fide Sergium, cœcitate percussit. Petrus item cum in Ananiam, & Saphiram spiritui sancto mentiẽtes, sententiam dixit, ad cuius verba illi mox expirarunt.

Lucæ x.

Apostolis ordinatis à Christo, quemadmodũ ille crescente numero discipulorũ, adiecerat eis alios septua-

ginta duos

Act. i. vi. xiij. *Tit. i.* *Ministri ecclesiæ.*

ginta duos, qui secundum locum post apostolos obtineret. Ita & apostoli in ecclesia crescẽte multitudine fidelium, ordinarunt presbyteros diaconos, & cæteros ministros, qui ad ecclesiasticã hierarchiam necessarij erant.

Potestas spiritualis unde?

A' Christo itaq; & apostolis deinde successione perpetua ecclesia catholica habuit, & nũc habet prædictam potestatem, & ordinationem ecclesiasticã, quasi per manus traditam, idq; cum signo impositiõis manuũ, & cæteris ritibus competẽtibus, iuxta illud Pauli ad Timotheum.

i Timo: iiij. v.

Manus nemini, cito imposueris, hoc est, neminem temerè ordinaueris.

Ordo Hierarchicus ĩ eccl. *Ephe. iiij.*

Ordinem Ecclesię hierarchicum, vsq; in finem duraturum, donec perfectis omnibus cesset omnis in terra p̃latio, indicãt præter cętera, verba illa Pauli ad Ephesios. Dedit quosdã apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerij in ædificatiõem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij dei in virũ perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi, vt iam nõ simus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinę, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris, veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operatiõem in mensurã vniuscuiusq; membri augmentũ corporis facit in ædificationẽ sui in charitate. hęc Paulus, aper-

te innuens

Hier: xxix cap. Ieremiæ.

tè innuēs necessitatem certi generis ministrorū in ecclesia, & rationem eius, ad vitādam scīt doctrinarum varietatē. Præterea pulcherrima metaphora corporis naturalis docens in corpore mystico, quę est ecclesia, schismata esse nō debere. alioqui sicut in corpore mēbra diuisa, aut non benè compacta, spiritu animali à capite profluente, non confirmantur, neq; roborant. ita spiritus sanctus à capite nostro Christo promanās, vim suā & gratias, cum quadā energia, et efficacia non diffundet in eos, qui ab ecclesia catholica recedūt.

Notatur quidam. *Solutio obiectionis.* *i. Corinth: iij.*

Hāc ergo ordinationē, qui contemnunt, viderint cuius ordinatiōe possint habere, verbi diuini & sacramentorū ministros. Nec Episcoporum crimina quenquā excusare possunt à schismate qui illorum contempserit ordinationem, cum hęc non pendeat ex dignitate ministrorum, sed ex mandato, & institutione Christi. De his latius vbi de ordine sacro tractamus.

DE OFFICIIS SPIRITVALIVM.

Officia spiritualium. *Pascere gregē DEI.* *i Pet. v.* *ij Timot. iiij.*

POtestatem igitur spiritualem habentibus, cura pascendi gregis dei incumbit, quæ consistit potissimū in prædicatione verbi dei, sacramentorumq; administratione, in abigendis lupis rapacibus, ne gregem dei inuadant, & improbis cōercēdis potestate spirituali, iuxta illud Petri apostoli. Pascite, qui in vobis est gregē dei &c. Et hoc Pauli. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra increpa, in omni patientia. Nec

i Corin: v. *Acto: xx.* *Ioan: vltimo.*

entia. Nec non illud de fornicario. Profligate istum, qui malus est ex vobis ipsis. Et alibi. Attendite vobis, et vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Item illud CHristi ad Petrum. Pasce oues meas, pasce agnos meos.

Lact: c. xxiij. lib: iiij. *EXEMPLO bono plucere.* *Tit: ij.* *i Timot: iiij:* *NOMEN Dei glorificare et celebrare.* *Psal: xxxiij.* *Psal: Cxviij.* *Cōfirmatio p̄dictorum.* *Roman. i.* *Sap: xiij.* *Prouerb: xvi.* *Eccle: xvij.* *Eccle: xliij.* *Horæ canonicæ.*

Et quoniam homines, vt Lactantius ait, malunt exēpla, quàm verba, sunt in ecclesia sacerdotes, vt præberēt seipsos, in omnibus exemplum bonorum operum, veluti Paulus Timotheo & Tito præcipit. Ad hæc in templis, varijs modis nomen dei glorificant, celebrāt; non sine scripturę diuinę authoritate. Benedicā, inquit Psalmographus, dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo. Septies in die laudem dixi tibi. Quodsi deus rebus inanimatis & animatis ratiōis expertibus, homines ad sui agnitionē, & laudem adducit (cuius rei testimonia, & exempla, in literis sacris extāt plurima, vt Psal. 18. Sapiētiæ 13. Eccle. 43. Isaię 1. Hieremiæ 8. Matthæi 6. ad Romanos 1. et alijs in locis) cur laus quę ab hominibus deo impenditur, eaq; cæteri ad deum amandum, glorificandum excitantur, non magis probanda est? præsertim cum finis rerum creatarum sit, vt agnoscatur, ametur, & celebretur deus, qui sapiente Hebręo teste, omni laude maior est. Huc spectant horæ quas canonicas vocant, cæteraq; diuina officia, quibus ea quę pro nobis CHristus pertulit celebrantur, & deo gratię aguntur. Eorum officiorū

apud priscos eosq; grauissimos scriptores est mentio. Quãquam apostolus, orare nos semper iubeat (inquit Hieronymus) & sanctis etiam ipse somnus sit oratio, tamen diuisas orãdi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat, horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoq; & vesperam, nemo est qui nesciat. hæc Hieronymus. Et diuus Ambrosius in oratione contra Auxentium de Basilicis tradendis, de Arianis qui cantibus quibus Christus celebrabatur detrahebant, scribens hæc ait. Hodie cum laudatur CHristus, amentia Arianorum verberatur, Geraseni præsentiam Christi ferre non poterant, isti peiores Gerasenis, nec laudationem Christi ferre possunt. Vident pueros Christi laudem concinentes, quia scriptum est. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Irrident istam ætatulam fidei plenam cum dicunt. Ecce quid clamãt. Sed respondet his CHRistus. Si hi tacuerint, lapides clamabunt, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, & senes. hæc ille. Et Basilius magnus epistola 63. loquẽs de Christianis, qui Arij dogma oderant. Nunc, inquit, bifariã diuisi, alterna vicissitudine inter se psallunt. Et sermone 4. exercitamentorum. Orationis tempus sit vniuersa vita maximè. Quando vero interuallis quibusdam, psalmodię ac flectendi genua, pertinaciam recreare oportet, sequendæ sunt hac parte horæ à sanctis ad orationem designatę. Magnus itaq; Dauid ait. Media nocte

Hiero: ad Eusto: de custodienda virginitate.

Ambr: lib: v. Epistolarũ.

Matth: viij.

Psal: viij.

Psal: cxviij.

surgebam,

surgebam, ad confitendum tibi, super iudicia iusticiæ tuę. Quem et Paulus & Sylas sequuti esse comperiuntur, media nocte deum in carcere laudantes. Deinde dicit idem Propheta, vesperi & mane ac meridie. Sed et spiritus sancti aduentus circa tertiam horam fit, veluti in actibus didicimus, quando irridentibus ob variam linguarum actionem Pharisæis discipulos, dicit Petrus, non ebrios esse, qui hęc loquuntur, hora enim est tertia. At hora nona passionis dominicæ, memoriale est, quam pro vita nostra subijt. Cæterum quia Dauid dicit. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iusticię tuę. commemorata autem orationis tempora, hebdomada orationum non explent, meridiana oratio diuidenda est, ita vt altera pars ante assumptionem cibi, altera post acceptum cibum fiat, vt & nobis contingat exprimere illud, nempe septies in die laudare deum, per totum diei circuitum. Hæc Basilius de monachis loquens. Similia scribit Philo, vt refert Eusebius, & Plinius in epistola quadam ad Traianum. Scribit Esaias se aliquando vidisse, & audiuisse duos Cherubim, clamantes alterum ad alterum et dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Vocem autem adeò fuisse validam, vt ab ea superliminaria cardinum commota fuissent. Qua in re ecclesia cœlestem illam Ierusalem quadamtenus referens, in templis laudes statis horis, deo alternis concinit. Dauid rex olim per vices ordinarat cantores ducentos octoginta octo ad confitendum &

Acto: xvi.

Psal, Liiij.

Actorum ij.

Psal: cxviij.

lib. ij. eccle: histo: cap: xvij.

Esa: vi.

i Par: xxv. Cãtores à Dauide ordĩati.

dum & laudandum dominum. Qui quidem dei cultus, cum tempore impiorum regum intermittebatur, atq; ob id deus populum Iudaicum affligeret, à pijs regibus vnà cum templo restaurabatur. Qui igitur hanc psallēdi rationem in templis tanquam inutilem vituperant, & canentes sacerdotibus Baal comparant, videant quàm rectè faciant, cum illius in literis sacris plurima extent testimonia, eiusq; vsum fuisse in vetustissima ecclesia constet ex authoribus grauissimis, & concilijs Laodicensi, & alijs.

ij Para: xxix xxx. xxxv.

CAnentibus in tēplo, quid obseruādum.

Illud autem hic curandum quoad fieri potest, vt non lingua tantum id peragatur, sed etiam animo, considerando scz illa quæ hymnis celebrantur, iuxta illud Psalmographi. Psallite deo nostro psallite, psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ deus, psallite sapienter. Et Pauli ad Ephesios. Loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, canentes & psallētes in cordibus vestris, domino gratias semper agentes pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi deo, et patri. Vnde Hieronymus in hæc verba. Audiant hęc adolescentuli, audiant hi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde psallendum, nec in tragædorum modum, guttur & fauces dulci medicamine collinendas vt in ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica. Et paulò post. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur, vt spiritus malus, qui erat in Saule ejciatur ab his, qui similiter

Psal: xlvi.

Ephe: v.

ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de dei domo scenam fecère populorū. hæc Hieronymus.

Et quamuis hæc quæ leguntur vel canuntur, non intelligantur, prodesse tamen existimanda sunt si cum reuerentia suscipiantur. De qua re Origenes homilia 20 in Iosue disserit, hæc inter cætera dicens. Si enim creditum est à gentilibus quòd quędam carmina quas precationes appellant, quibus istud artis est insusurrantes nominibus quibusdam compellatis, quæ ne illi quidem qui inuocant, norunt, ex solo vocis sono vel sopiantur serpentes, vel etiam de cauernis protrahantur abstrusi, sæpe autem & in corporibus humanis humores aut alia huiuscemodi voce sola reprimere dicuntur, interdum etiam animæ stuporem quendam sensus infligere, vbi tamen Christi fides non restiterit: quanto magis totius precantationis & carminis validiorem & potentiorem ducendam credimus quamcunq; illam scripturæ sanctam vel sermonum vel nominum appellationem? Et item. Si non intelligis, inquit, scripturam auditor, interim hanc accipe vtilitatem, quòd solo auditu velut præcantatione quadam noxiarum virtutum, quæ te obsident, & quę tibi insidiantur, virus depellatur & fugatur, tantum ne efficiaris sicut aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant vocem incantationis à Sapiente. Et deinde. Hæc autem idcirco diximus ne fastidium capiamus audientes scripturas etiamsi non intelligamus, sed fiat nobis secundum fidem nostram. Hęc et alia plura hac

Nō intellecta quæ canūtur, an prosunt?

Psal: Lvij.

de re Origenes docens etiam esse vim quãdam in scripturis sanctis quæ legenti sine explanatione sufficiat. Pueri illi Ierosolymis in templis canentes & clamantes Osanna filio Dauid, non planè intellexêre quid canerent, Christus tamen eorum, licet imperitorum, pietatem principibus sacerdotum et scribis exosam, tulit, et ea delectatus est, admonens iam pridem eam à propheta prædictam.

Matt: xxi. *Psal: viij.*

Instant præterea sacerdotes diligentius orationibus exemplo Christi in oratione pernoctantis, & apostolorum. Nos, inquiũt, orationi & ministerio verbi instantes erimus. Qui etiam testante Luca, quotidie perdurabant vnanimiter in templo. Qua de re & Petrus. Vigilate in orationibus. Et Paulus. Orationi instãtes. Itẽ Instet obsecratiõibus et oratiõibus nocte & die. Idem Timotheum obsecrat, vt sint obsecrationes, oratiões, postulatiões, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibns, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agat ecclesia in pietate & castitate, quod quidem bonũ et acceptum esse ait idem, coram saluatore nostro deo.

Instare orationibus. *Lucæ vi.* *Actorum vi.* *Actorum v.* *Actorum ij.* *i Pet: iiij.* *Roman: xij.* *i Timot. v.* *i Timot: ij.*

Quemadmodum autẽ in corpore humano, membri vnius sanitas, cæteris confert: pari ratione in corpore mystico, quæ est ecclesia, cuius caput est Christus, probitas & oratio aliorum, cæteris prodest. Cuius rei prçter cætera exempla, quç extant in literis sacris plurima, est illud in genesi, vbi scribitur deum Sodomç cæterisq; ciuitatibus veniam dare voluisse, si in illis decem boni inuenti fuissent. Ad preces item Lot, ciuitatem, quæ ad instar Sodomç pœnas datura erat, conseruatam. Ad hæc precationes Moysis ad deum, pro Iudæis fusç, deum pœnas de illis sumere non siuerant cum ad Moysen dixisset. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Quo quidem euidenter declaratur, multum valere deprecationem iusti vt diuus Iacobus ait. Elias orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Propter diuum Paulum, ducenti sexaginta sex homines seruati à deo, qui naufragio perituri erant. Proinde Constantinus & Constans imperatores, immunitatem clericis virtute prçminentibus conferentes, affirmarunt, magis religionibus quàm officijs, & labore corporis, vel sudore rẽp: contineri.

Probitas et oratio vnius alteri prodest. *Gene: xviij.* *Exo: xxxij.* *Iaco: v.* *Actor: xxvij* *Gratia: caus. xxiij. Quæsti. viij.*

DE OFFICIO PRINCIPVM.



QVEMADMODVM IGITVR reges cæteriq; principes à deo constituuntur, vt in seculi causis prçsint, ceu ministri, et vindices dei in iram, qui malum agunt, vt apostolus ait, ob idq; gladium gestant: ita & sacerdotibus est sua potestas, de qua paulo ante dixi, ratione cuius reges, cæteriq; principes subsunt sacerdotib. Iniquum enim esset, si cedat spiritus carni, si à terrenis cœlestia superentur, & si diuinis præferãtur humana. Vnde re=

PRINCipes seculares qua ratiõe subsunt sacerdotibus. *Roman: xiij.* *Greg: Naziã. Hie: ad Helio: Amb: de dignitate sacerdo. Chrysostomus.*

Leuit: iiij. Vnde reges à prophetis,& sacerdotibus vngebantur,
i Reg: x. xvi. & eorum oblatione peccata regum expiabantur. Hac
ijRegum xij. potestate vsus Nathan propheta cum Dauidem pro-
pter adulterium & homicidium corripuerat. Eadem
lib:ix,c:xxx. potestate diuus Ambrosius apostolos secutus Theo-
hist:ecl: trip. dosium cæsarem censuris ecclesiasticis perculit, ab in-
gressuq́ templi prohibuit,q plurimos hominũ Thes-
salonicæ trucidari mandarat. Qui quidem monitu
Ambrosii in regiam reuersus,pœnitentiam egit.Idem
Gratianus. beatus Innocentius Arcadio Cæsari fecit, quod con-
sensisset vt diuusChrysostomus sua sede pelleretur.Et
alij alijs. Vnde illud diui Ambrosii cap:2. de dignita-
Ambro:de di te sacerdotali. Honor, inquit,& sublimitas Episcopa-
gnitate sacer. lis,nullis poterit comparationibus adæquari. Si regũ
Sacerdotium regno maius. fulgori compares,& principum diademati,longe erit
Chrys: homi- inferius,quàm si plumbi metallum, ad auri fulgorem
lia iij de ver compares.Quippe cum videas regum colla et princi-
bis Esa. pum,submitti genibus sacerdotum, & exosculatas eo-
rum dexteras, orationibus eorum credant se commu-
niri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine? cui
non solum pręferri meruit,sed vt eam quoq; iure tue-
atur patris,præceptis imperatum est euangelicis. Sic
certè à domino ad beatum Petrum dicitur. Petre a-
mas me. Et ille. Tu scis domine quia amo te. Et cum
Ioan: xxi. tertio fuisset interrogatus,& trina responsione fuisset
subsecutus: repetitum est à domino tertio. Pasce oues
meas. Quas oues, & quem gregem, non solum tunc
beatus suscepit Petrus,sed & nobiscum eas suscepit, &

cum illo

cum illo eas nos suscepimus omnes. Vnde regendæ
sacerdotibus cum traduntur, merito rectoribus suis
subdi dicũtur. Quia euangelico coruscante mandato,
videmus nihilominus esse pręfixum.Non est discipu- *Lucæ vi.*
lus supra magistrum, nec seruus supra dominum suũ,
sed sufficit discipulo,vt sit sicut magister eius. Et cap:
3.Nihil est in hoc seculo excellentius sacerdotibus,ni-
hil sublimius episcopis. hæc Ambrosius de sacerdoti-
bus,quos apud Malachiam angelos exercituum domi *Mala.ij.*
ni,deus ipse appellat. Et eos qui spernit,Christum,vt *Lucæ x.*
ipse testis est locuples, spernit. Vnde Paulus Corin-
thios quod Titum cum timore & tremore exceperãt *ij Cor: vij.*
collaudauit. Quod isti expendant qui sacerdotes ca-
ne & angue peius oderunt. De his in fine apologiæ
latius.

Quamuis autem regibus cæterisq́ principibus eccle- *Potestas spiri*
sia defendenda, omnisq́ opera danda, vt tranquillam *tualis,secula-*
vitam Christiani agant in omni pietate & castitate. *ribus nõ vsur*
Vnde illud apud Esaiam de regibus & ecclesia.Erunt *panda.*
reges nutritij tui,& reginæ nutrices tuæ,vultu in ter- *Distinc:xcvi.*
ra demisso adorabunt te,et puluerem pedum tuorum *caus: xxiij.*
lingent: non tamen potestas spiritualis ordinis, illis *i Tit: ij.*
est vendicanda. Neq; enim ad hanc cuiquam patuit a- *Esa: xlix.*
ditus, nisi Christi Iesu ordinatione,quam iam inde ab *Leuit: xvij.*
apostolis continua successione habet ecclesia, vt pro-
ximè dictum est.Hinc illa vox diui Ambrosii ad cæsa *lib:ix.ecclesi.*
rem Theodosium: purpura imperatores, non sacer- *hist: trip: ca-*
dotes facit. Core, Dathan, Abiron propter schisma *pi: xxx.*

 munusq́ *Num: xvi.*

munusq; sacerdotij, sibi temerè vendicatum, cum cohorte sua igne consumpti, & à terra absorpti. Regnū à Saule et progenie eius ablatum, quòd profanus sacra obiret. Ozias rex lepra à deo percussus quòd officium sacerdotum sibi vsurpasset. Ioas rex à seruis interemptus, quòd Zachariam prophetam à deo missum interfici iussisset. Ieroboam regi Israël, manus quam cōtra prophetam extenderat, protinus exaruerat, vt illam inflectere non posset. Et alia multa in literis sacris extant exempla docentia contemptores spiritualium, et potestatis ecclesiasticæ temerarios vsurpatores à deo punitos esse. Quàmq; bene actum cum repub: dei, quamdiu sacerdotali autoritati, & regiæ potestati, bene inter se conuenit: cum secus, omnia in diuersum mutata. Sed & nostri temporis exempla, non auribus tantum, sed etiam oculis se passim ingerunt, quæ abūdè monstrant, quātum malorū in ecc̄liam dei inuexerit, sacra ꝓfanis miscuisse. Confusionem hanc Paulus prę cęteros, negat in ecc̄lia esse debere ad Corinthios scribens. Quosdam, inquit, posuit deus in ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes prophetę? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunqd omnes interpretātur? Vbi etiam adducit exemplum

iij Regum xiij — *ij Par: xxvi.* — *ij Para: xxiiij* — *iij Regū xiij.* — *Cōfusio in ecclesia non sit. i Cor: xij.*

membrorum

membrorum corporis, quæ inuicem non tumultuantur, sed consentiunt, suo quodq; fungens officio. Neq; enim pedes oculorum munere funguntur, nec contra, Alioqui si singula membra omniū membrorum partes explere velint, corporis distinctionem, & harmoniam perire necesse esset. Ad quem modum in ecclesia sit oportet, in qua idem Paulus omnia honestè & secundum ordinem fieri mandat. Ne quisquam igitur sibi (vt ipse idem ait) honorem assumat, sed qui vocetur à deo tanquam Aaron. Meminerit, quid deus apud Hieremiam dicat. Currebant prophetæ, & ego non mittebam eos, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Eodem pertinet illud diui Ambrosii, ad Valentinianum imperatorem recusantis certare cum Auxentio Ariano in cōsistorio īpatore iudicaturo. Si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tēpora retractemus: Quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei episcopos solere, de imperatoribus Christianis, non imperatores de episcopis iudicare? Idem ait patrem Valentiniani solitum dicere. Non est meum iudicare int' episcopos. Et paulo post. Si conferendum est de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges præmisit, sed liberū iudicium dedit sacerdotibus. Vbi obiter admonendum, quod scribit ibidem Ambrosius, secularibus licere audire sacerdotes conferentes, non vt quisq; iudex residat, sed vnusquisq; de suo affectu habeat exa-

i Cor: xiiij. — *Heb: v.* — *Hier: xxiij.* — *Epist: xxxij. lib: v.* — *in causa fidei imperatores episcopos nō iudicant.* — *Valentiniani dictum.* — *NOTA.*

 men, hoc

men, hoc etiam addens: neminem etiamsi angelus de
cœlo esset, paci ecclesiarum debere præferri. Huic
confine est, quod idem Ambrosius in oratione inue-
ctiua, in Auxentium hæreticum (qui à cæsare cupie-
bat dari sibi templum) scriptum reliquit. Tributum
Cæsaris est, inquit, non negatur. Ecclesia dei est, cæ-
sari vtiq; non debet addici, quia ius cæsaris esse non
potest dei templum. Quod cum honorificentia impe-
ratoris nemo dictum potest negare. Quid enim ho-
norificentius quàm vt imperator filius ecclesię esse di-
catur: Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum
gratia dicitur. Imperator enim bonus, intra ecclesiã,
non supra ecclesiam est. Bonus enim Imperator, quæ-
rit auxilium ecclesiæ, non refutat. Et epistola 33, lib: 5:
Mandatur deniq;: trade basilicam. Respondeo, nec
mihi fas est tradere, nec tibi imperator accipere expe-
dit. Domum priuati, nullo potes iure temerare, do-
mum dei existimas auferendam? Allegatur: imperato-
ri licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo. Noli
te grauare imperator, vt putes te in ea quę diuina sunt
imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si
vis diutius imperare, esto deo subditus: scriptum est.
Quæ dei deo quæ cæsaris cæsari. Ad imperatorem
palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesię. Publicorum
tibi mænium ius commissum est, non sacrorum. Ite-
rum dicitur mandasse. Debeo & ego vnam basilicam
habere. Respondi non tibi licet eam habere. Quid ti-
bi cum adultera? adultera enim est, quæ non est legi-
timo Chri-

Imperator non supra ecclesiam.

NOTA.

Math: xxij.

Ad imperatorem quid pertinet.

timo Christi coniugio copulata. Hæc Ambrosius.
Eusebius lib: x cap: 2. ecclesiasticę historię refert Con-
stantinum Magnum noluisse iudicare etiam causas sa-
cerdotum inter se de quibusdam criminibus conten-
dentium, hæc dicentem. Deus vos constituit sacerdo-
tes, et potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudican-
di, & inde nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem
non potestis ab hominibus iudicari, propter quod
dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iur-
gia quæcunq; sunt, ad illud diuinum referuentur exa-
men. Hæc, et alia in hoc opere à nobis ea de re scripta,
vtinam sequerentur hi qui hoc seculo potestate & di-
gnitate episcoporum spreta, soli, licet seculares sint,
sacerdotes, sibi sola manuum impositione creant, tum
alia quę spiritualis sunt potestatis sibi vsurpant.

Factum Constantini magni.

DE BONIS ECCLESIAE.

QVONIAM autem dicente apostolo, nemo
militat stipẽdijs suis, nemo plantat vineam,
vt non de fructu eius edat, nemo pascit gre-
gem quin lacte gregis vescatur. Et in veteri lege qui
in sacris operabantur, ex sacrificijs viuebant. Sic et do-
minus, inquit apostolus, ordinauit, vt qui euangelium
annũciant, ex euangelio viuant. Christiani itaq; prin-
cipes, olim ecclesiam dotarunt possesionibus, alijsq;
prouentibus, & priuilegijs, vt spirituales, facilius &
melius munera sua obirent, tum ministris ecclesiæ &
alijs qui indigent, impertiant, præsertim ditiores, vtq;

i Cor: ix.

i Cor: ix.

C. de sacrosan: eccl: L. sancimus. &c.

Gratia: causa xxiij. quæ: viij caus: xij.

Vsus possessionum ecclesiæ.

 studia

lib: v decreta: studia foueant, & alant homines doctos, qui iuuentutem, quae seges est rerumpublicarum, bene instituant, à qua pessimè imbuta, perniciem reip: imminere, nemo non videt. Non enim propriae sunt, sed communes ecclesiae facultates, quas contemptis proprijs, fideliter dispensare, est sine impedimento perfectionis. Id quod fecere sanctus Paulinus, Hilarius, & caeteri episcopi. Quin & ab ipsis apstolis habita cura dispensandae pecuniae, quam Christiani possessionibus venditis apostolis conferebant, quod negotium postea septem diaconis spectatae probitatis, spiritu sancto, & pietate plenis delegarant, ne ab oratiõibus & ministerio verbi, curis mundanis abstraherentur, quae crescente numero fidelium in dies augebantur. Ipse quoq; dominus loculos habebat, à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Vbi primum, inquit Augustinus referente Gratiano, ecclesiasticae pecuniae forma instituta, & vt intelligeremus, quod praecipit: non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse praeceptum, vt nihil pecuniç seruetur à sanctis, sed ne deo propter ista seruiatur, & propter inopiae timorem iusticia deseratur.

IVVENTVS — *Gra: xij. Itẽ xiiij. q. i.* — *Actorũ iiij.* — *Acto: vi.* — *Actor: vi.* — *Ioan: xij.* — *Gratia: caus: xij. quaest: i.* — *Matth: vi.*

Cum inter turbines & aduersa mundi succresceret ecclesia, non sine discrimine vitç Christiani vixerunt, tantum abest vt praedia illis possidere licuisset, eò tamen postea res venit, vt Romani principes qui monarchiam totius ferè orbis obtinebãt, ad fidem Christi conuerterentur, ex quibus Constantinus Magnus, primus Chri-

primus Christi fidem palam professus, Christum ab omnibus colendum praecepit, egregiaq; dona diuorũ templis intulit. Hunc postea caeteri principes Christianorum imitati sunt, promulgataeq; ab illis leges de immunitatibus spiritualium et ecclesię, tum de his qui bona ecclesiae rapiunt, ab eademq; abalienant, quos ius canonicum potestate apostolica excommunicat, sacrilegosq; iudicat, & omnes qui his consenserint. Ius verò ciuile eiusmõi nefarios poena capitali plectit. Apud Aegyptios olim, vt Moyses scribit, terra sacerdotibus à rege tradita fuerat, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur. Iezabel regina impia, de mensa sua pauit prophetas Baal quadringentos quadraginta, prophetasq; lucorum quadringentos. Christianorum verò non pauci, etiam ea quę sacerdotibus ecclesiae sunt collata, suapte libidine ducti rapiunt, & vi occupant, sacra profanis miscenda censent, ecclesiae praefectos contemnunt, & maledictis incessunt, manusq; violentas afferunt. Qua quidem re Turcis deteriores existimari possunt, apud quos & caesar ipse episcopum suum reueretur, à quo etiam cum necessitas fert, more illorum excommunicatur, id quod minimè contemnit, quin potius metuit, facitq; ea ad quae censura episcopi adigitur. Sed de his hactenus, quae etiã in oratione nostra de corruptissimis moribus &c & in oratione de duabus personis quibus regitur mũdus &c latius descripta habentur, inferiusq; tractantur.

Sabel: lib: viij: Enn: vij. — *C. de sacrosan eccle: L. sanci* — *xxiij. q. viij. xvij. q. iiij. ff. ad L. Iul. pecul: lib: i.* — *Lib: iiij insti:* — *Gen: xlvij.* — *Apud Ethnicos ratio sacerdotum habita.* — *iij Reg: xviij.* — *Apud Turcas reuerentia sacerdotum.*

De summo

DE SVMMO PONTIFICE.

Parte i. tit: x. & xi. de summo pontifice habetur.

VNVM esse summum pontificem ecclesiæ catholicæ, à quo regnum Hungariæ corona insignitũ est, qui archiepiscopatuum & episcopatuum in Hungaria habet confirmandi potestatem.

Deut: xvij. IN VETERI LEGE PONTIFICI, de his quæ iudices minoris notæ diiudicare non poterant, sententiam ferenti, qui non obediebat, statim necabatur: In ecclesia verò Christianorũ sacerdoti dei non obtemperabitur? nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitabitũ? *Epis:iij, lib.i.* vt Cyprianus ait. Atqui Christus in euangelio id euidentissimè ostendit, cum cæteris apostolis præsentibus, supra Petrum, quatenus scilicet ipse in Christo fundatus, & virtute eius solidatus est, se ædificaturum ec- *Mat:xvi.* clesiam, & claues regni cœlorum daturum pollicitus *Ioan: vltimo.* est, ouesq́ illi pascendas commisit.

ECCLesia in quo ædificata Porrò ecclesiam in Petro ædificatã ex verbis Christi intelligi debere, testes sunt grauissimi & orthodoxi scriptores, quorum aliqua testimonia hic proferã.

Origenes. Origenes tractatu 3 super 17 caput Matthæi de Petro loquens. Per promissionem meruit fieri eclesiæ fundamentum.

Tertullianus Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum. Petrum dixit ædificandæ ecclesiæ petram.

Cyprianus

Cyprianus martyr epistola 3: lib: 1. Petrus, inquit, *Cyprianus.* super quem ædificata ab eodem domino fuerat ecclesia, vnus pro omnibus loquens, et ecclesię voce respondens ait. Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ *Ioan: vi.* habes.

Hilarius in locum Matthæi. Tu es Petrus &c. Dignum planè confessio Petri pręmium consequuta est. *Hilarius.* Et paulò post, de Petro loquens. O in nuncupatione noui nominis felix ecclesię fundamentum, digna ædificatione illius petra, quę inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio, claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium pręiudicata authoritas sit in cœlo. &c.

Chrysostomus in Matthæum homilia 55. Quæ *Chrysostomus* deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura ecclesia tot tantisq́ fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo atq́ ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia quæ solius dei sunt, se pollicetur daturum. Et mox adductis his quæ ad Hieremiam dicuntur. Sicut columnam ferream posui te, hæc inquit. Sed *Hiere:i.* ipsum quidem genti vni pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Et item: Tu verò mecum ex ijs omnibus quanta sit potestas eius intellige. Ego tibi dico, inquit, tu es Petrus, & ego super te *Math:xvi.* ædificabo ecclẽiam meã, hęc ibi Chrysostomus, & alibi similia.

D D. Ambr:

Ambrosius.

D. Ambrosius de fide Petri Sermone 47 de Petro loquens: Tanquam bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros stabilitate fidei fundaret. Deniq; pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur. Sicut ait dominus. Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiã meam, petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis CHRistiani compagem molemq; obtineat. &c̃. hæc Ambrosius.

Mar: xvi.

Acto: xv.

Vnde & ipse Petrus. Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum euangelij.

Solutio obiectionis.

Producunt isti Hilarium, de trinitate lib: 6. quod diuersum prorsus astruant. Petro, inquit, reuelauit pater vt diceret. Tu es filius dei. Super hanc igitur confessionis petram ecclesiæ ædificatio est, hæc fides ecclesię est fundamentum, hæc fides regni cœlestis habet claues. etc̃. Neq; Catholici negãt verè Hilariũ asseruisse, quoniam nullus verum ecclesiæ membrum, sine hac fide, potestas verò soluendi, non nisi in ecclesia est, quæ hac fide subsistit.

Cæterum non sequitur ex ijs, Petrum non esse fundamentum, aut illi non conferri claues, atq; ita Hilarium sensisse, verba eius, superius citata euidentissimè ostendunt.

Augustini sententia.

Item Augustinum adducunt, qui non vult homi-

nem, fun-

nem fundamentum esse ecclesię, cum tamen idem Augustinus lib: 1 retractationum cap: 21, seipsum corrigens, lectori eligere permittit, quæ sit harum sententiarum probabilior. Et libro secundo de baptismo contra Donatistas, & Cypriani, & suum sensum explicans, inquit: Magnum meritum Cypriani episcopi, & martyris, de quo idem Cyprianus in epistola ad Quintum ita loquitur. Nam neq; Petrus, inquit, quẽ primum dominus elegit, & super quem ædificauit ecclesiam, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit &c̃. Et ibidem paulò post Augustinus hæc dicit. Magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus principatum, cuilibet episcopatui præferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, vna est tamen martyrum gloria.

Augu: lib: ij, cap: i.

Solutio obiectiõis ex Paulo.

Ad hęc instant isti Paulum afferentes, qui affirmat fundamentum neminem posse ponere aliud, pręter id quod positum est, quod est Christus Iesus, quem, vt idem ait, deus pater dedit caput supra omnem ecclesiam. Quasi verò verba hæc Pauli scriptoribus illis grauissimis, quos supra citauimus, fuissent ignota, aut ab illis non intellecta. Quid? an Christus se non appellauit lucem? nihilominus ad apostolos dixit. Vos estis lux mundi. Et quod amplius est. Deum vnum esse nemo ignorat: tamen scriptura homines deos appellat. Ego dixi dij estis. Quomodo igitur absurdum

1 Cor: iij.

Ephes: i.

Matt: v.

Psal: Lxxxi.

Ioan: x.

& impium

& impium dici poterit, Petrum fundamentum & caput esse ecclesiæ, præsertim cum id intelligatur, diuersa ratione dictum, sicut & illa de Christo & apostolis, de deo & hominibus.

Si tibi indignum esse videtur super Petrum ædificatam ecclesiam, cur non eadem ratione et de clauibus regni cœlorum, illi datis sentis? quas tamen illi datas, Christus apertissimè fatetur, ita vt nullus locus tergiuersatiõis relictus sit. Par quidem fuit authoritas prędicandi, baptizandi, & absoluendi Petro cum cæteris apostolis, penes vnum tamen erat principatus, ad declarandam vnitatem ecclesię, vt beatus Cyprianus docet.

Cyprian: tractat: iij. de simplicitate prælatorum.

Vnde Chrysostomus. clauicularij sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretandi scripturas. Clauis autem est verbum scientię scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis. Hęc Chrysostomus.

Clauis.

Vbi animaduertendum est Chrysostomum clauem singulari numero dixisse, significando clauem scientiæ, vt innueret alteram clauem potestatis sczt quam secundam clauem theologi appellant, de quibus superius egimus.

Vnde hæreses.

Cyprian: episto: iij, lib: i.

Non aliunde, ait Cyprianus martyr, hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quòd sacerdoti dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotũ collegium quicq̃ moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium,

fragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se iam non episcopi, sed dei faceret, nemo dissidio vnitatis Christi ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet &c̃. Nõ dissimilia Hieronymus aduersus Luciferianos.

Dictum Hieronymi.

Ecclesiæ salus, ait, in summi sacerdotis dignitate pendet, cui nisi exors quædam, & omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes. Et ad Euagriũ ait: episcopos eligi propter schismata tollenda, sicut in exercitu imperatorem. Sanè qui in ecclesia dei vnum debere præesse negant, simpliciores, & meliores ijs brutæ pecudes, muta animalia, & cruenti licet ac furentes inter gladios atq; inter arma prædones, vt Cyprianus martyr inquit.

Episto. ix. lib: iij, episto.

Præpositus illic agnoscitur, quem non sententia diuina constituit, sed in quem factio perdita, ac nocens caterua consentit.

Epistola iij, lib: i.

Nisi ita est aliquis, ait idem Cyprianus, sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet sine dei iudicio fieri sacerdotem, cum dominus in euangelio suo dicat. Nonne duo passeres asse veneunt, et neuter eorum cadit in terram, sine patris vestri voluntate?

Mat: x.

cum ille nec minima fieri sine dei voluntate dicat, existimat aliquis summa & magna aut non sciente, aut non permittente deo in ecclesia dei fieri? & sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari? hoc est, fidem non habere, qua viuimus, hoc est, honorem deo non dare, cuius nutu & arbitrio, regi & gubernari omnia scimus & credimus.

NOTA. Quodsi Christiani, docente Paulo, principibus ethni-
i Timot: vi. cis subiecti, eos omni honore dignos, arbitrari debẽt,
ne nomen dei blasphemetur inter gentes, cur honor is
præpositis Christianis non exhibendus est? Sin verò
morum improbitate quorundam permotus, id facere
renuis, immo etiam maledictis eos proscindis. Vide
Rom: xiij. ne deo ipsi repugnes, à quo, testante apostolo, est om-
Iob xxxiiij. nis potestas, qui propter peccata populi sinit regnare
Isaiæ iij. hypocritam, dat principes pueros, & effeminatos do-
PRINCIpes mali. minari permittit, vt sacrę literæ tradunt. Imiteris po-
NOTÆ exẽpla. tius Paulum, vas electionis, quem aliquando pœnitu-
it, quòd episcopo iubenti, vt ab astantibus cæderetur,
PAVLI nesciens episcopum esse dixisset. Percutiet te deus pa-
Acto: xxiij ries dealbate, vbi etiam sacræ scripturæ testimonium
Exodi xxij. protulit. Principi populi tui non maledices. Michaë-
Iudas apostolus in episto. lem item Archangelum, qui diabolo conuicijs digno,
secumq; de Moysis corpore contendenti, à conuicijs
Michaelis archangeli. abstinens, tantummodo dixit. Imperet tibi deus. Po-
CHRISTI IESV. stremo ipsum Christum filium dei, cui cum apud epi-
scopum, quidam alapam inflixisset, neq; illum, neq; e-
Ioan: xviij. piscopum maledictis incessiuit. Terrearis exemplo
CORE: Core, Dathan, Abiron, eorumq; sequacium, qui ean-
Dathan. &c. dem fidem cum Moyse professi, cæterum ab eo con-
Nume: xvi. tumaciter seipsos seiungentes, eius authoritate spreta,
à terra absorpti, viui descenderunt in infernum oper-
ti humo. Tu verò hæresi infectus catholicæ ecclesiæ
authoritate contempta potestate præditis non obedi-
ens, in eosq; maledicta congerens, regnum cœleste
ingredi

ingredi vis? At apostolus negat, maledicos regnum *i Cor: vi.*
dei possessuros. Diuus Augustinus monuerat olim *Aug: sententiam nota.*
suos ne hæreticis obijciant, nisi quia non sunt catholi-
ci, ne similes eis sint qui non habendo quod in causa *Augu: epist: cxxxvij.*
suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina
colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactant,
vt quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem, qua vbiq;
diffusa Christi ecclesia commẽdatur, criminari & ob-
scurare non possunt, homines per quos prædicatur
adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in
mentem venerint possunt. Vos autem, inquit Augu-
stinus, non ita didicistis Christum, si tamen illum au-
distis, & in illo docti estis. Ipse quippe fideles suos se-
curos fecit, etiam de dispensatoribus malis, mala sua
facientibus, & bona eius loquentibus, vbi ait. Quę di- *Mar: xxiij.*
cunt facite, secundum opera illorum nolite facere, di-
cunt enim & non faciunt. Hæc Augustinus cuius do-
ctrinam Christi verbo innixam vtinam recẽtiores se-
querentur, qui calumnias multas in Romanum pon- *Calumniæ in pontificem.*
tificem, cæterosq; congerunt, diplomata etiam quædã
inepta proferentes, quæ ego inscio pontifice à stultis
stulta petẽtibus olim lucri gratia dari solita existimo.
Neq; praua vita officere credenda est ad ea peragen- *Vita praua episcoporum.*
da, quæ potestatis illorum sunt. Et multis virtute mu-
neris, & loci quem habent, in ecclesia conceditur ad e-
ius duntaxat ædificationem, quod meritis nunquam
attingerent. Prophetauit olim Caiphas homo sacrile- *Ioan: xi.*
gus & scelestus, cum esset pontifex anni illius. Et no-
tum est

Mat: xxiij. tum est illud Christi proximè citatum, de huiusmodi doctoribus. Super cathedram Moysis sederunt scribæ & pharisæi, quæ ergo vobis dicunt facite, quæ faciunt nolite facere. Quanquam ne pontificibus credendum esset, si aliter scripturas interpretarentur, atque ab apostolis & apostolicis viris sunt expositæ.

Sumus ecclesiæ pontifex qui. Porro summus ecclesiæ episcopus is censendus, qui beati Petri successor est, vt testes sunt vetustissimi, & grauissimi, atque orthodoxi scriptores, quorum hic aliqua testimonia proferre libet.

Ireneus qui Polycarpum Ioannis euangelistę discipulum (vt ipse fatetur) viderat lib. 3. cap: 3. contra hæreses de Romana ecclesia loquens. Ad hanc, inquit, ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles. Ita Ireneus. qui ibidem dicit. Romanam ecclesiam, magnam & antiquissimam, & omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo fundatam & constitutam.

ROMANA ecclesia. Tertullianus temporibus apostolorum vicinus, in libro de prescriptionibus aduersus hæreticos. Habes, inquit, Romam vnde nobis quoque authoritas præsto est. subijcitque insigne epiphonema inquiens. Felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur. Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Vbi apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Et lib: 4. aduersus Marcionem. Videamus, inquit, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus euangelium Petrus et Paulus, sanguine quoque suo signatum reliquerunt. hæc ille. Quæ isti perpendant qui negant Petrum in Romana cathedra sedisse, idque contra sententiam vetustissimorum, et grauissimorum scriptorum, totiusque ecclesiæ catholicæ.

Cyprianus martyr epistola 8. lib: 4. ad Cornelium papam in qua se cuncta ad illius dignitatem fecisse ostendit, matricem ecclesiæ catholicæ Romam vocat. Idem epistola secunda libri eiusdem ait. Romani episcopi locum, Petri locum esse. *Cyprianus. Matrix ecclesiæ catholicæ Roma.*

Diuus Ambrosius in 1 epistolam ad Thimotheum cap: 3. Cum totus mundus dei sit ecclesia. Ecclesia tamē domus eius dicitur, cuius hodie est rector Damasus. *Ambrosius.*

Diuus Hieronymus in epistola ad Damasum papam. Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuę, id est cathedræ Petri cōsocior: super illam petram, ecclesiam ædificatam scio. Quicunque extra domum hanc agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et paulò post. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est. Idem altera epistola ad eundem. Ego interim clamito. Si quis cathedræ Petri iungitur meus est. hæc Hieronymus, qui, quòd ad Euagrium scribens dicit. Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Regij, siue Alexandriæ, siue Tanis fuerit, eiusdem *Hieronymus. Solutio obiectionis.*

meriti, eiusdem est sacerdotij: hoc referendum est, ad potestatem ordinis, non iurisdictiōis. de quibus alibi.

Arnobius. Arnobius Afer in psalmū 128. Qui inquit ab apostolo Petro aut ab apostolis, vel à posteris eorum benedictionem non accepit, & sic plebeculas docuit, quas decepit, quia benedictionem vsurpauit, maledictionē incurrit. hæc ille ante ducentos mille annos. Diuus

Bernardus. Bernardus ad Eugenium pontificem. Quis es? sacerdos magnus, summus pontifex, tu princeps episcoporum, & inter multa alia: potestate Petrus, tu es cui claues traditæ, cui oues creditę. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, gregum pastores, habent illi sibi asignatos greges singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. hæc Bernardus, qui quòd eidem scribens ait.

ij Cor: i. Verus succesor Pauli dicet cum Paulo: Nō quòd dominemur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij. Petri hæres, audiat Petrum dicentem: Neq; vt dominan-

i Pet: v: tes in clerum, sed forma facti gregis. Eo nō tollit Bernardus potestatem illius supremam, sed admonet pontificem vt se non dominum, sed ministrum arbitretur. In quam sententiam dixit Hieronymus ad Nepotianum: Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos, honorent clericos, quasi clericos, vt & ab ipsis clericis, quasi episcopis honor deferatur. Hanc modesti-

Mat:xix. am & Christus ipse seruandam pręcepit apud Mathęum. Quicunq; inter vos voluerit maior fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Marcel-

Marcellus. Marcellus martyr & pontifex in epistola ad Antiochenos scribit, apostolos, inspirante domino, constituisse vt nulla synodus fieret præter sedis apostolicæ authoritatem. Hunc eundem canonem renouatum fuisse in Niceno concilio Athanasius qui eidem interfuit, cum vniuersis orthodoxis totius Aegypti, Libiæ, et Thebaidis episcopis ob Nicenæ fidei defensionem, vnà secum congregatis in Alexandrina synodo testes sunt, in hæc verba inter cætera scribentes ad Felicem substitutum Liberio. Scimus in Nicena Synodo trecentorum & octodecim episcoporū ab omnibus concorditer esse roboratum: non debere absq; Romani pontificis sententia celebrari concilia, nec damnari episcopos. Huius canonis meminit Socrates scriptor Græcus de Antiochena synodo scribens, quę ad damnationem Athanasii, Alexandrini, & aliorum quorūdam episcoporum, orthodoxorum conuenerat. Conuenerunt, inquit, ad eam synodum ex ciuitatibus diuersis episcopi 90. Maximus autem Ierosolymitanus Macarij successor non adfuit, cogitans quoniam ei posset subripi, vt in damnationem subscriberet Athanasii. Sed neq; Iulius interfuit maximæ Romæ præsul, neq; in locum suum aliquem destinauit, cum vtiq; ecclesiastica regula iubeat, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari. hęc ille.

Non sit synodus sine sedis apostolicæ authoritate.

vide q. dicat roboratū non ordinatū aut constitutum.

lib: iiij, ca: ix. histo: tripar.

Regula ecclesiastica.

B. Augustinus epistola 157 testatur ex authoritate et mandato B. Zozimi Rom: pontificis in Mauritan: Cæsarien: conuenisse totius Africæ episcopos, ad ce-

 lebrandum

lebrandum concilium, cui ipse interfuit. Quamuis, inquit, tuæ sanctitatis nullas ad meipsum datas acceperim literas, tamen quia illę quas ad Mauritaniam Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos iniuncta à venerabili papa Zozimo apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas traxe.

Cōcil: Chalce. In Chalcedonensi concilio, vno ex quatuor (rat. &c. or celeberrimis pręsentibus ex toto orbe DCXXX episcopis recognitus primatus Romani pontificis. Et in *Floren.* concilio Florentino, cui interfuére Græci et Armeni. *Lateran.* In concilio Lateranensi vniuersali celeberrimo, quod sub Innocētio tertio celebratum est, cui interfuére Ierosolymitanus & Constantinopolitanus patriarchæ, Metropolitani 70, episcopi 412, inferioris ordinis prælati ecclesiastici 800, Græci & Romani imperij legati. Regum verò Ierusalem Franciæ Hispanię Angliæ & Cypri oratores. In hoc, inquam, concilio, ex totius cōcilij sententia decretum est, aut potius ex forma hierarchiæ Christianæ ecclesiæ ita fieri oportere, ab omnibus recognitum, vt quoties Christiani orbis principes, qui nullum alium supra se superiorem recognoscerent, delinquerent alter in alterum, aut in suos subditos, correctionem eorum ad Romanum pertinere pontificem. *Causæ quædā principum ad sedē apostolicam referendæ.* Ad eum modum aliqua à pontificibus, consentientibus regnis ipsis, acta leguntur. Zacharias Pipino regnum Franciæ adiudicauit. Leo 3. Carolo magno imperium concessit. Innocentius 4. regi Portugaliæ minus idoneo, fratrem coadiutorē constituit.

Et certè cum non dubium sit temporalia ad spiritualia ordinari, qui summam erga illa potestatem habet, necesse est, vt tanquam architectus, & de temporalibus iudicet, secūdum quod ad spiritualia necessarium est. Ex ijs facile colligi potest Romanum pontificem non ab imperatoribus, vt quidam narrant, authoritatem super alios accepisse. *Opinio falsa.* De qua re Pighius in hierar: ecclesi.

In prologo iuris consuetudinarij Hung: de constitutionibus quibusdam præsertim in religione.

STatuta seu constitutiones regni contra ius canonicum, ex parte libertatis ecclesiarū diuturnæ uel priuilegia illis concessa, non ualent.

In prologo iuris consuetudinarij Hungariæ.

COnstitutiones regni salutem animæ spectantes, inualidæ sunt.

Videant igitur quàm rectè faciant, qui ecclesia catholica spreta, nouos ritus, & noua dogmata in religione constabilire nituntur. de his inferius.

Parte ij. tit: iij. iuris Hungariæ.

COnstitutiones regni ualidæ esse solent si omnes vnanimiter consenserint, ipseq́ rex confirmet, cuius nisi accederet consensus et confirmatio, nullius firmitatis censetur constitutio.

Infirmæ ergo & nihili leges habendæ, quas pauci quidam, citra etiam consensum aliorum et principum ferunt, præsertim iuri diuino & naturali contrarias, quod etiam sequentia indicant.

Parte ij. tit: iij. iuris Hungariæ.

QVamuis autem & rex ipse assentiretur, si constitutio iuri diuino, & naturali contraria sit, irrita est.

Cōstitutio iuri diuino & naturali contraria irrita.

Benè id equidem. Horrendum enim væ, leges iniquas con-

Isaiæ x.

quas condentibus, deus per prophetam minatur. Porrò constitutiões, quanto longius recesserint à lege diuina, & illa quam deus menti humanę indidit, & quasi de suo archetypo impresſit, tanto iniquiores habendæ. Deus enim fons est, totius boni, immo ipsiſsimum bonum, de cuius plenitudine omnia bonitatem accipiunt, sicut & beneficio eius subsistunt, ob idq́ in literis sacris solus bonus dicitur. Quin & esse, videlicet propter æternitatem naturæ.

Marci x.

Exo: iij.

Parte ij. tit: v. iuris Hungariæ.

REX *Hungariæ legibus regni subest.*

REx legibus subest.

Non desunt, qui id vituperent, Vlpianum etiam citantes, qui scripsit principem legibus solutum esse. Quod tamen vel ad æquitatem, quæ Græcis ἐπιείκεια dicitur, qua legis rigor in aliquo casu mitigatur, referendum, vel ad numeris omnibus absolutum principem. Cæterum cum Aristoteles rectè dicat. Qui legẽ volunt ciuitati dominari, hi videntur deum ac leges dominari velle. Qui verò hominem dominari volunt, hi beluam præficiunt. Nam huiusmodi quiddam cupiditas est, & iracũdia magistratus deprauat, quantumlibet bonos viros, ideoq́ lex, est mens sine cupiditate. Ita ille. Eius igitur imbecillitatis conscij multi principum, dignam vocem esse maiestate regnantis scripserunt, legibus alligatum se principem profiteri, suamq́ authoritatem de iuris authoritate pendere: ac principatum legibus submittere, maius esse quàm imperare dixerunt. Atq́ quod alijs, id sibi quoq́ minimè licere iu-

Vlpiani sententia expedita.

Arist: lib: iij. cap: xij. polit.

C. de legib: & constit: L. digna vox.

dicarunt. Eius rei apud scriptores insignia ethnicorum inueniuntur exempla. Zeleucus cum legem statuisset Locris, vt in adulterio deprehensis eruerentur oculi, eiusq́ filius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroq́ oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris, necesſitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquantulum repugnauit, ad vltimum filio oculum, & sibi alterum erui iusſit, vt legem à se latam firmaret. Mitto alia, quibus Christiani principes, si qui sunt negligẽtiores, ad leges seruandas incitari debent. Qui quales in rep: sunt, tales inhabitantes eam, vt sacrę literæ tradunt.

Exempla.

Valerius Maximus cap: v. lib: vi.

Eccle: x.

Cap: xiij. & xiiij. iuris à Mathia rege confirmati.

M*onachi ab iis quorum interest, visitandi, ut honestè & secundum ordinem uiuant.*

Non pellendi igitur, veluti quidam sentiunt, affirmantes etiam monachatum tantum ab euangelio distare, quantum cœlum à terra. quod quàm verè sit dictum, paulisper expendamus.

DE MONACHIS ET VOTIS EORVM.



CVM TRIA SINT QVÆ PRÆCIPVE monachi se seruaturos obstringunt, paupertatem, castitatem, & obedientiam: non video quanam ratione ab euangelio tantum, secundum istos distent. Paupertatem enim voluntariam minimè Christus in euãgelio vituperauit, quin po-

Monachorũ vota tria.

quin potius propter perfectionem consuluit amplectendam, cum adolescēti diceret. Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo & sequere me. Quæ quidem verba, indicāt Christum, non de quacunq; paupertate loquutum, sed de ea quæ voti nuncupatione confirmatur, eamq; esse quę nobis gradum ad perfectionem facit. Hoc verbum venditionis significat, quod spem adimit, quas semel abiecerimus facultates, rursum recuperandi. Cur enim vendere suadet, si non perpetuo deserandas docebat?

Mat:xix:

Quidam recentiorum, ne tacendo victi à suis iudicentur, verbis illis aiunt non inesse preceptum sed cōsilium, nullamq; ad posteros habere vim quò possit inter communia Christi documenta, & totius ecclesiæ vsum tradita connumerari: hoc respondentes illi non aliud agunt, nisi quod ridiculè consueuit, sub delinquentium responderi persona, dum productis euangelicis verbis coarguuntur peccata. Hoc, inquiunt, erat in illo tempore, nimirum ridicula allusiōe ad tempus & personas, quibus Christus loquebatur, omnia eius verba referentes. Consilium autem Christi de rerum abdicatione non esse personale, & illi tantum iuueni, cui respondebat, tributum, vel ex hoc manifestè apparet, quòd mox ad idem consilium, cui tristicia & abscessione renunciauerat adolescens, velut alludens Petrus, suo & aliorum nomine dixit. Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

Solutio obiectionis recentiorum.

Mat:xix.

Confirmat

Confirmat hanc expositionem responsio Christi, qui eandem mercedem, quam ostentauerat adolescenti, vniuersis ad idem, quod illi suaserat, adnitentibus pollicetur. Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Mat: xix.

Alterum votum est cœlibatus, quod ab apostolo Paulo & Christi doctrina originem ducit. Qui matrimonio (inquit apostolus) iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit. Et rursus de vidua: cui autem vult, ait, nubat, tantum in domino, beatior tamen erit, si sic permanserit secundum meum cōsilium, puto autem quòd et ego spiritū dei habeam.

Votum cœlibatus.

i Cor: vij.

Christus apud Matthęum cum apostolis de matrimonij fœdere disserens inter cætera ait. Non omnes capiūt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de vtero matris nati sunt: & sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Vides Paulum apostolum, & Christum ipsum, cœlibatum commendare, ad eiusq; contentionem inuitare.

Mar: xix.

Vide inferius quæ hic dici possint.

Tertium votum monachorum est obedientia, quæ finis est, & velut scopus monastice professionis, quod verba prophetæ significare videntur, quibus dicitur. Nunquid vult deus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci domini. Melior est enim

Obediētia monachorum.

i Regum xv.

F obedientia,

obedientia, quàm victimæ, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Et apostolus obedientiæ fastigium, nobis in Christo commendans, in epistola ad Hebræos dicit: Christum experientia didicisse, quanta & quam magna virtus sit obedientia. Et quidem, ait Paulus ad Hebræos, cum esset filius dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, propter quam, ait idem, exaltauit illum deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vnde & Paulus ad Hebræos subdit. Et consummatus, id est, perfectus, ad summũ honoris & gloriæ gradum, de cruce probrosa euectus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternę. Porro obedientia dicitur quasi finis & scopus monasticæ professionis, ideo quia ad eius absolutiorem perfectionem, reliqua duo vota præire oportet & inseruire. Nam qui potest homo alterius se totum voluntati & imperio mancipare, nisi prius ab omnium se rerum seruitute prorsus absoluerit. Nemo enim, inquit Christus, potest duobus dominis seruire. Idcirco eum qui perfectæ obedientię holocaustum offerre decreuerit, à coniugij primum vinculis liberum esse oportet. mulier siquidem, vt ait apostolus, non habet potestatem, sui corporis, sed vir. Similiter nec vir potestatem sui corporis habet, sed mulier. Necesse etiam illi est, vt à diuitiarum se, & à quarumcunq; temporalium facultatum tyrannide vindicet, quãdo non modo qui vxorem duxe-

Heb: v. *Philip: ij.* *Obedientia finis professiõis monasticæ.* *Mat: vi.* *i Cor: vij.*

rem duxerat, verum & qui villam, quiq; iuga boum emerat, cœlesti conuiuio, rei familiaris curam causati, non interfuerunt, à quo autem quis superatur, eius seruus constituitur. Asserendus est igitur primo animus in libertatem votis duobus, paupertatis scẓt & cœlibatus, vt ingenuæ Christi seruituti per obedientiam se totum perfectè dedat. Significat hoc Christus qui cœlibatu exposito, & paupertate commendata addit adolescenti, quem ad paupertatem adhortabatur. Et sequere me. Christus autem obedientiæ præsertim institit via, qui obediens patri factus vsq; ad mortem, mortem autem crucis, vt Paulus ait.

Lucæ xiiij. *ij Pet: ij.* *Philip: ij.*

Obseruandum autem est hoc loco, officia Christianorum esse duplicia, vt Ambrosius docet, alia quæ fiunt secundum sacræ scripturæ præcepta, ad quæ obligantur omnes Christiani, si vitam ęternam consequi velint. Talia in decalogo descripta habentur, de quibus Christus. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata dei. Alia verò quæ secundum consilia, ad quæ non obligantur Christiani prorsus, qualis est virginitas, iuxta illud Pauli. De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do &c̃. Et Christi. Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat. Item voluntaria paupertas, iuxta verba Christi. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes da pauperibus &c̃. Sic & obedientia est quædam quæ vulgo credentiũ satis sit ad hoc vt Christus illis prosit, quę rerũ abdicatione non indiget. Quædam item est arctior,

OFFICIA Christianorũ duplicia. *Ambrosius li br: i, officiorũ.* *Mat: xix.* *i Cor: vij.* *Mat: xix.* *Mat: xix.*

Mat: viij. quam à quodam adolescēte exigens Christus, nec humanæ pietatis in parentes occasione, ab obedientię iugo semel suscepto recedere illi permittit. Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Qua censura, & quasi iure pastorali noluit vti erga scribam, qui se etiam secuturum offerebat: non quòd pia quorumcunq; hominū vota despiciat, sed quia sciebat scribam ommissis diuitijs pręstare non posse, quod verbo tantum pollicebatur, cui respondit Christus. Vulpes foueas habēt, volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Quasi diceret. Non potes nudum sequi, diuitiarum & familiari cura circūplexus.

NOTA. Hoc ipsum vtinam monasteriorum prępositi animaduerterent, & imitarentur, nec sine maximo ætatis morum & ingeniorum delectu, quenquam admitterent ad temerè aggrediendum quod tam infeliciter à multis postea magno religionis dedecore, maiori autem animarum periculo deseritur.

Solutio obiectionis. Quodsi quispiam dixerit, cœlibatum à Christo cōmendatum haud nego. Verùm quod huic tam raræ difficiliq; virtuti se quispiam astringat voto, non dei sed hominum esse traditionem aio. Is, si vacuus affectibus, rationes, & verba scripturę sacræ plenius perspexerit, diuersum sentire potest. Vouere enim res honestas, pias, honestum esse ac deo gratum, ex sacris literis apparet. *Leuit: vij.* *Votum in scripturis sacris.* Si voto, inquit deus ipse, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter die edetur. Qui locus duobus modis pietatem præstari significat, sponte

sczt cum quis nulla se astrinxit necessitate: & voti nūcupatione, quę scilicet sponte suscipitur, necessario tamen quod semel promissum est, exhibetur. Vtrumq; modum deus probat, vtrumq; commendat. Huc pertinet & illud. Lætatus est populus, cum vota sponte promitterent. *i Para: xxix.* Si quid vouisti deo, ait Ecclesiastes, ne moreris reddere, *Eccle: v.* displicet enim illi infidelis & stulta promissio, sed quodcunq; voueris redde, multoq; melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Numeri 30. Si quis virorum votum domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Deuteronomij 23. Cum votum voueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus deus tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis & facies sicut promisisti domino deo tuo, et propria voluntate, et ore locutus es. Apparet igitur ex his locis vota de rebus pijs concepta, & nuncupata, & bona esse, & deo placere. Cœlibatum verò rem esse non modo bonā, verum & optimam, palam ostendunt verba Christi ante producta. Diuus Paulus votum cœlibatus apertissimè comprobat cum dicit. *Votum cœlibatus apud Paulum.* Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & *i Cor: vij.* hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit. Idemq; votum cœlibatus infringentes habere damnationē affirmat. *i Tim: v.* Adolescentiores, inquit, viduas

deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habētes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. hæc apostolus docens quales viduæ, ad ecclesiæ ministerium debebant eligi, quæ vt verba prædicta indicant, se castitatem seruaturas vouebant.

Votum pudicitiæ in uirgine matre.

Lucæ i.

De sanct: uirg: ca: iiij.

Votum pudicitiæ & matris virginis, verba illa indicant. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Quod profecto, inquit Augustinus, non diceret, nisi deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa ante vouerat. De quo etiam voto ita scribit Gregorius Nysenus. Hæc, inquit, Mariæ verba indicium sunt eorum, quæ tractabat in mentis arcano. Nam si causa copulæ coniugalis Ioseph desponsari voluisset, cur admiratione ducta est, dum sibi narratur conceptio? quum nimirum ipsa præstolaretur mater effici, iuxta legis naturam? Verum quia oblatum corpus deo, quasi quoddam ex sacris inuiolabile reseruari decebat, & ideo dicit: quoniam virum non cognosco.

Post uotū continentiæ nubere uelle, damnabile est.

cap: vij, de bono uiduitatis.

Porro virginali continentia voti debito oblata, iam non solum non capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est, ait Augustinus. Nam vt hoc demonstraret apostolus non ait, cum in delicijs egerint, in Christo nubunt, sed nubere volūt, habentes, inquit, damnationem quia primam fidem, continentiæ scz, irritam fecerunt, etsi non nubendo,

sed tamen

sed tamen volendo. Non quia ipsæ nuptiæ, vel talium damnandæ iudicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur voti fracta fides, damnatur non susceptio à bono inferiori, sed ruina ex bono superiori. hæc & alia Augustinus. Qui quod talium viduarum nuptias hic non damnat, aiunt docti Augustinum loqui de viduis illis, quibus Paulus dicit. Volo autem iuniores nubere. Et item: cum in delicijs egerint, in Christo nubere volunt. Quas non fuisse monachas, nec id aggressas, quod monachæ profitentur. Quæ, vt diuus Hieronymus ait, si post consecrationem nupserunt, non tam adulteræ quàm incestæ factæ sunt. Et Theophilactus in cap: 7. epistolæ primæ ad Corinthios, super illud Pauli: Si nupserit virgo non peccauit: Virginem hoc loco dicit non eam, quæ deo dicata sit, hæc namq; si nupserit, delinquit haud dubiè plurimum, vtpote quę Christo sponso superinducat adulterum: sed quę nondum nupserit, adolescentulam. Et Photius Græcus, vt Gagneius refert, virginem hoc loco dicit, non deo dicatam, sed innuptam puellam. Quodsi deo dicata nupserit, adulterum Christo cui desponsata erat, superinducit. Eiusdem sentētię est Epiphanius lib: 2. tom: 2. contra hæresim apostolicorum. Vbi ait inter cætera, tradidisse apostolos, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Diuus Ambrosius itē cap: 5. ad virginem lapsam. Dicit aliquis, inquit, melius est nubere quàm vri. Hoc dictum non ad pollicitam pertinet, & ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopon-

Alfonsus Viruesius.

i Tim: v.

MONAchæ post uotū nubentes.

lib: i, contra Iouinianum.

Photius.

EPIphanius.

Ambrosius.

Expositio loci Pauli.

se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali est iuncta viro. Et iam si voluerit nubere, communi lege coniugij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. hæc Ambrosius. A quo non dissentit Diuus Basilius in libro de virginitate. Virginitatem, inquit ille, domino professæ, deinde à carnis voluptatibus concitatę, scortationis peccatum, nuptiarum nomine velare volunt. Non ignorantes opinor, etiamsi ignorantiam simulent, quòd quæ sponsi sui dexteram præterijt, neq; huius est spō sa quem illegitimè reliquit, neq; illius cui seipsam per affectum adiunxit, iuxta leges vxor reperiri potest. Et ibidem. Non enim locum apud ipsam habebit, ad voluptatem collapsam nuptiarum prætextus. Neq; nuptiarum nomine viuentem maritum suum fallere, quum libera non sit, poterit, eo quòd mortalem illi post tantos adeptos ab ipso honores, in adulterij actu impiè prætulit. Non enim, inquit, inconuenienter, nec ineptè quis & de talibus apostolicum illud pronunciauerit. Quum inordinatè se gesserint erga Christum nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, non nuptias sed adulterium persequentes. Nullus igitur seruus ad tantam impietatem stimuletur, vt herilem sponsam contrectet. Nullus adeò furiosus sit sacrilegus, vt impollutā sacerdotem petulantibus manibus contingat. Et paulo post: Etsi dicat, virgo sczt, oportet me viro iungi, velut filium hominis oportuit tradi. At vę illi per quē illa trans-

Basilius.

i Timo. v.

illa transgressis erga sponsum pactis, suam concupiscentiam implet. hæc & plura ea de re Basilius. In Chalcedonensi concilio, vno ex quatuor celeberrimis contra Eutichen congregato, qui asserebat Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solam in eo diuinam naturam permanere: In hoc, inquam concilio canone 14 traditum, vt diaconissa, quæ post ordinationem, se nuptijs tradiderit, iniuriam faciens gratiæ dei, hæc anathema sit cum eo qui in nuptijs eius conuenerit. Porro diaconissæ intelligendæ, quæ, vt ex Epiphanio cognoscere licet, erant constitutę in ministerium mulierum solum propter reuerentiam, si opus fuerat balnei gratia, aut visitationis, & inspectionis corporum. Et 15. canone præceptum, vt nec virgini deo dicatæ, nec monacho liceat nuptijs iungi. Si vero inuenti fuerint, loquitur canon, hoc facientes, maneant excommunicati. Vbi in canone adiectum. Statuimus verò posse eis fieri humanitatem, si ita probauerit episcopus loci. De hac materia plura inuenire licet, apud Gratianum 27. q. 1.

Chalcedonēse concilium.

diaconissæ quæ.

Cyprianus quidem epistola xi. lib: 1. censet vt virgines deo dicatæ, si perseuerare nolunt, vel non possunt, melius nubant, quàm in ignem delicijs suis cadāt. Verum hac in re potius standum est iudicio plurium catholicorum & ecclesiæ. Veluti aliquando decernēte Cypriano, vt Baptizati ab hæreticis, si ecclesiæ adiungerentur, rebaptizentur, id tamen decretum refutatum, constitutumq; vt antiqua regula, à patribus super hoc

Solutio obiectionis ex Cypriano.

de hoc inferius de baptis.

Cypr: epist: i, lib: ij.

ſuper hoc tradita ſeruaretur, quæ continebat, hæreticos, ſola manus impoſitione purgandos.

Viduæ de quibus August. Firmauerant quidem viduæ, de quibus Auguſtinus loquitur, cœlibatus propoſitum voto non ſolenni, ſed priuato, quod ſacramenti viribus non poteſt obſiſtere vt docti aiunt. *Alfonſus Viruesius.* Qui igitur donum habet continentiæ, illud impleatur ſuadente Chriſto. Qui poteſt, inquit, capere, capiat, & qui non poteſt capere non contemnat, vt Chriſti verbis Paulina addantur. *Mat:xix.* *Rom:xiiij.* Alioqui Chriſtum ipſum virginem ſpernit, quem virgines ſolæ, teſtante ſcriptura, ſequuntur quocunq; ierit, quiq; vſq; adeo cœlibes honeſtare decreuerit, vt matrem non elegerit, niſi eam quæ cœlibatus votum perpetuo ſuſceperat, vt proximè oſtenſum eſt. *Apoc:xiiij.*

Votum Apoſtolorum. Mat:xix. Auguſtinus cap: 4. lib: 17. de ciuitate dei illud quod Petrus pro toto diſcipulorum collegio propoſuerat, inquiens. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te &c. votum eſſe dicit potentiſsimorum. Hoc, inquit, votum potentiſsimi vouerunt. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: dans votum vouenti. Quæ verba ſunt Annæ i Reg. 2. Etſi quidē hæc vulgo non habentur in carmine Annæ, ex interpretatione Hieronymi. Septuaginta tamen interpretes poſuerunt. Idem Auguſtinus in pſalmum 99. loquens inter cætera, de deſertoribus monachatus in perſona illorum. *Verba transfugarum monachorum.* Ego putabam quod charitas eſſet hic, & paucorum hominum moleſtia irritatus, dum non perſeuerauerit implere quod vouit, fit deſertor

tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Iam verò cum inde exierit, fit & ipſe vituperator, & maledicus, & dicit ea ſola quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeuerat, & aliquando vera: ſed vera malorum toleranda ſunt, propter ſocietatem bonorum. dicit illi ſcriptura. Væ qui perdiderunt ſuſtinentiam. Et quod eſt amplius ructat indignationes malorum odorum, vnde abſterreat intraturos, quia ipſe cum intraſſet, perdurare non potuit. Hæc & alia Auguſtinus omnium transfugarum apoſtaſiam, & cauſas quas illi prætexunt, graphicè deſcribens, vbi apertè voti monachorum, vt vides, meminit. Idem ad Armentarium Riparium qui cum vxore ſua Paulina ſe voto adſtrinxerat: priuſq; eſſes voti reus, liberum fuit quo eſſes inferior: quamuis non ſit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. *Augu: epiſt: xlv.* Nunc vero quia tenetur apud deum ſponſio tua, non te ad magnā iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Nō enim talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes ſi nihil tale vouiſſes. Minor enim tunc eſſes non peior. Modo autem tanto (quod abſit) miſerior, ſi fidē deo fregeris, quanto beatior, ſi perſolueris. Nec ideo te vouiſſe pœniteat, immo gaude iam tibi ſic non licere quod cum tuo detrimento licuiſſet. Aggredere itaq; intrepidus, & dicta imple factis, ipſe adiuuabit qui vota tua expetit, felix eſt neceſsitas quæ in meliora compellit.

Baſilius Magnus. Baſilius Magnus ſermone 4. exercitamentorū, ante

professionem castæ vitæ, inquit, licet volenti, iuxta id quod concessum ac legitimum est, & vitæ consequentiam sibi congruam definire, & seipsum nuptiarum coniugio committere. Verum eum qui præoccupatus per propriam professionem, custodire conueniet seipsum deo, velut sacra quædam deo dicata donaria, vt ne sacrilegij crimen incurrat, si dicatum deo per professionem corpus, rursus communis vitæ ministerio sordidum faciat. Hæc Basilius.

OBEDIentiæ monasticæ uinculum.

Obedientiæ porrò monasticæ, tam indissolubile fuisse vinculum, vt nec presbyteratus dignitatem, quę tunc temporis vt rarissima, ita maxima habebatur, monasticæ obedientiæ iugum abijcere liceret, aut, vt ad episcopi sacerdotium conferentis se transferre ditionem, liquet ex diuo Hieronymo ad quendam episcopum Hierosolymitanum, qui per literas conquestus erat, quòd Bethleemetici monachi, inter quos diuus Hieronymus erat, sibi non obedirent. Vbi inter cætera (quæ breuitatis causa ommitto) hæc ait. Sin sub nomine presbyteri tollis mihi propter quod seculum dereliqui, ego habui, quod semper habui, nullum in ordinatione dispendium passus. Quid est quod semper habuit? ait Alfonsus Viruesius, monachatum vtique cœnobialem ab eo tempore, quo Antiochiam vrbem celeberrimam fugiens in Bethleemitarum sese contulit monasteriũ. Nam antea anachoretam per aliquod tempus egerat. Obedientiæ autem vinculum haud ita apertè, & circumspectè quondam atque hodie voti nuncupatione

Obediẽtiæ uinculum quodnam non circumspecto uoto districtum

cupatione erat districtum, quoniam simplicius Christiani, atque candidius omnia ab ecclesię nascentis exordio transigebant. Verum postea monachorum insolentia in causa fuit vt obedientiam conceptis verbis profiterentur. Non quod eius votum tunc temporis primo cæperit, sed quòd non antehac tanta præstabatur circumspectione: non erant præscripta verba vouentibus, nec eius custodia tanta cẽsura exigebatur à præpositis, alioqui cœnobitę quos latinè communiter viuentes appellare possumus, nunquam sine obedientiæ vinculo fuerunt, apud quos, Hieronymus scribens ad Eustochium de conseruanda virginitate ait, primam cõfœderationem esse obedire maioribus, & quicquid iusserint facere, sine quo quidem obedientiæ voto anachoretas quos eremitas vocãt, fuisse commemorat. Cum igitur à primeua illa euangelicæ propaginis integritate degenerari cæptum est: lapsi sunt & monachi, insolescentibus plus iusto cœnobiorum præpositis, monachis verò ab honestate liberius euagantibus, quamobrem Synodicis patrum decretis, abbates iussi sunt episcopis obedire, monachi verò obedientię iure ab abbatibus repeti. Ex his igitur facilè colligere licet, falsum esse quod quidam dicunt, monachatum tãtum distare ab euangelio, quantum cœlum à terra. Neque monachatus secũdum quosdam in Benedictum, Bernardum, Franciscum, referendus, quasi primos monachos, cum Basilio, Hieronymo, Augustino, & cæteris aliter visum est, qui monachorum institutum ab apo-

Cœnobitæ.

Anachoretæ.

Canone iiij, Chalcedonensis concilij.

Ge: xvi, q. i. et xviij, q. ij.

ORigo monachatus.

Hier: de ĩstituti: monachi ad Paulinũ & uirg: ſuã: ad Eustochium. Basil: ĩ ſm: exercita. Aug: ep: cix. ĩ reg: ꝑser: iij.

ab apoſtolorum temporibus,et altius repetunt,immo
etiam quidam, non hominis cuiuſuis adinuentionem
eſſe dicere audent, ſed dei & hominis Chriſti Ieſu tra-
ditionem,id quod ex antedictis patet. Nam monacho-
rum hierarchæ Baſilius,Benedictus, Bernardus,& re-
liqui omnes, non tam monachatus exorientis inſtitu-
tores,atq; delabentis(vt hominum ſtudia quantumli-
bet pia tandem frigeſcunt) reſtitutores fuerunt. Quē-
admodum & de Antonio antiquiore monacho Hie-
ronymus prodidit,quod non tantum ipſe ante omnes
monachos fuit, quàm ab eo omnia incitata ſunt ſtu-
(dia.

Hiero: in uita Pauli eremi.

Nec eſt cur quiſpiam propter quorundam in-
ſolentiam ſuccenſeat bonis,aut vniuerſo ordini,et ſan-
ctorum patrum, quin & ipſius (vt probatum eſt)
Chriſti ſanctiſsimo inſtituto detrahat. Quod quidem
ſuſcipitur, non quo peccata præterita huius inſtituti
ſectatoribus donentur,quæ vel in baptizmo,vel pœ-
nitentia condonantur, ſed quò facilius futura viten-
tur, & à præteritorum reatibus, ſordibus, morbis in
dies liberiores euadant. Non affirmandum tamen,
quicquid operibus noſtris tribuunt,ſacræ literę ad ſa-
tisfaciendum,aut promerendum monaſticis exercita-
tionibus,quę circa opera eadem verſantur,debere ne-
gari: De ieiunijs, vigilijs, ſacris precibus loquor (de
quibus inferius, vbi de ſatisfactione & operibus agi-
mus) non de cucullarum forma,colore,magnitudine,
et hiſce rebus,quæ non pietatis, ſed decoris & diſcre-
tionis gratia aſſumuntur. Licet & cuculla, ſi caſtiga-
tioni cor-

Monachatus cur ſuſcipiendus.

CVCVLLA

tioni corporis conueniat, contemptumq; & vitatio-
nem deliciarum, & faſtus ſpectet,vituperāda non eſt.
Nam et Ioannes Baptiſta habebat indumentum ſuum
è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos
ſuos. Et Paulus commemorat quoſdam Chriſto ad-
dictos oberraſſe in ouillis & caprinis pellibus. Cucul-
lę eſt mentio apud diuum Ambroſium ſermone 49.de
baptiſmo Auguſtini. Nouum Chriſtianum, inquit,
hoc eſt,Auguſtinum,nouis indumentis cuculla nigra
iuduimus,cingulo ex corio nos ipſi præcinximus.

Heb: xi.

Cucullæ mentio apđ Amb: Quæ d'uoto cō tinētiæ et cuculla obijciunt aduerſarij ex cōc: Gangr: uide eorū ſolutionē ubi opinionē Iouin: d'caſtit: refellimus.

Sequendum igitur hic præceptum Auguſtini. Tu
qui laudas,dic mixtos malos. Tu qui vituperas, vide
illic bonos. Rectè ille. Nam ſi propter malos boni
vituperandi ſunt, tum propter abuſus bonarum rerū
bona abijcienda: hac ratione vituperandus eſſet grex
apoſtolorum à Chriſto electorum, ex quibus,dicente
Chriſto,vnus fuit diabolus. Vituperanda erit in vni-
uerſum eccleſia militans,vt dicitur,in qua veluti Chri
ſtus apertè docuit,malis boni permiſti ſunt. Abijcien-
dus erit baptiſmus in quo Chriſtiani,vt Paulus docet,
Chriſtum induunt,vt vltra non ſeruiant peccato,neq;
obediant concupiſcentijs corporis, ſed in nouitate vi-
tæ ambulent, vt abnegantes impietatem, & ſecularia
deſyderia, ſobriè,& iuſtè, & piè viuant in hoc ſeculo.
Atq; ob id Chriſtiani ſecuti præceptum Pauli,Satanę
et operibus eius renunciant: plurimi tamen,ne dicam
omnes,huic promiſsioni non ſtant, neq; ob id baptiz-
mus damnatur ac reijcitur. Sed ad reliqua pergamus.
De viola-

Aug: in pſ: 99 Propter malos,boni nō uituperandi.

Ioan: vi.

Gal: iij.

Rom: vi.

Abnegatio ī pietatis in baptiſmo.

Tit. ij.

DE VIOLATORIBVS TEMPLORVM.

Cap: Lxij. iuris Hungariæ à Mathia rege confirmati, de violatoribus & spoliatoribus templorum hæc scripta sunt.

Templa per milites & alios quosuis non spolientur, neue quispiam fores templi vi effringere audeat, aut alia quapiam ratione templa prophanare, resq; hominum ad uictum pertinentes, uel alterius generis in templis reconditas, illinc per uim auferre.

Exẽpla pœnarum de spoliatoribus et uiolatoribus tẽplor: sũptarũ. ij Mach. xv.



HAEC IBI CONTRA VIOLAtores, & prophanatores templorũ, quos grauissimas pœnas sceleris sui olim dedisse, scriptura diuina testatur. Nicanor qui manu extensa ad templum dei, iurauerat illud solo se æquaturum, altare effossurum, cum exercitu cæsus, caput illius abscissum, manus quam contra domum omnipotentis extenderat, magnificè gloriatus, à corpore illius amputata, contra templum dei suspensa, lingua maledica præcisa, particulatim auibus data. Antiochus propter expoliatũ templum Ierosolymitanum, et minas Ierosolymæ, insanabili morbo viscerum percussus, adeò vt vermibus scaturiret, fœtoreq; eius grauaretur exercitus, ipseq; odorem tetrum ferre non posset. Quapropter scelere suo cognito, templum sanctum, quod antea spoliauerat, optimis donis donaturum se, et sacra vasa multiplicaturum, pertinentesq; ad sacrificia

NICANOR.

ANtiochus.

sacrificia sumptus de redditibus suis pręstaturum promiserat. Acerrimè à deo percussus Heliodorus, qui Ierosolymam thesauros templi & hominum illic reconditos, raptum venerat. Luit pœnas grauissimas Balthasar rex ethnicus, quòd vasa domini profanasset, ex illis tantummodo in conuiuio bibens: Christianorum verò quidam templa profanantes, spoliantes, se id inultum auferre putant, obliti Christi Iesu facti, & exempli, qui ne vas quidem, vt Marcus euangelista refert, per templum ferri sinebat. Iudæos item in templo vendentes et ementes grauissimè commotus, foras eiecit: viduamq; pauperculam duo æra minuta in gazophilacium mittentem, collaudauit, cæterisq; qui id faciebant prætulit. Quam igitur gratiam referet ijs, qui bona ecclesiæ rapiunt, spoliant, tantum abest, vt aliquid templis conferant? Qua quidem ratione Cyro rege ethnico deteriores sunt, qui Iudæis ex captiuitate dimissis vasa templi à Nabuchodonosore olim ablata restituit, numerum quinq; milium quadringẽtorum implentia. Apud Romanos olim Pleminius legatus ob Proserpinę thesaurum spoliatum Romam vinctus iussu senatus protractus est, & pecuniæ summa duplicata in templum deæ remissa. Masinissa rex Numidarum, cum præfectus classis illius è fano Iunonis, dentes eburneos eximiæ magnitudinis sustulisset, donoq; regi obtulisset, vt cõperit vnde aduecti essent, quinqueremi reportandos Melitam, inq; templo Iunonis collocãdos curauit, insculptis suæ gentis literis, significan

HELiodorus. ij Mach: ij.

BALThasar Dan. v.

CHRISTI factum. Mar. xi. Ioan: ij. Lucæ xxi.

Cyri factum. Esdræ i.

Valerius Maximus lib: i.

Exempla ethnicorum.

significantibus regem ignorantem eos accepisse, libenter deæ reddidisse. Talia ethnicorum religionis exempla, apud scriptores inuenire est. Christiani autem veri dei cultores, alios se præbebunt? Certe ius canonicum spoliatores templorum, & raptores bonorum ecclesiæ, potestate apostolica excommunicat, sacrilegosq; iudicat, & eos qui his consenserint. Ius verò ciuile pœna capitali plectit vt proximè, & in oratione de corruptissimis moribus &c. ostendimus.

Gra: xvij. q. iiij.

ff. ad L. Iul: pecu: lib: i. Instit: lib: iiij.

Diuus Ambrosius cap: 28. lib: 2. officiorum, vbi docet sacris thesauris ecclesiarum, tempore necessitatis non esse parcendum, hæc dicit inter cætera: Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, vt subueniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adiuuat? an ignoramus, inquit, quantum auri atq; argenti de templo domini, Assyrij sustulerint? nonne melius conflant sacerdotes, propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desunt, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Et paulò post, opus est, vt quis fide syncera, et perspicaci prouidentia, munus hoc impleat, disparciendorum scīt vasorum ecclesiæ. Sanè si in sua aliquis deriuat emolumenta crimen est. Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Hæc Ambrosius, quæ perpendant isti, qui vt arcas suas impleant, vel vt ornati incedant, & splendido cultu nitescant, aut libidini gulæq; suæ satisfaciant, bona ecclesiæ diripiunt, iuris diuini et humani obliti.

Aurũ in ecclesia.

De hæreticis

DE HAERETICIS.

Parte i, tit: xiiij. & x. iuris Hungariæ De hæreticis.

Nota infidelitatis inuruntur, qui sunt publici hæretici, damnatæ scīt hæresi adhærentes. Infidelitatis verò notati, uitam & possessiones amittunt.



PTE' QVIDEM LEGIBVS Hungariæ, eadem pœna infligitur hæreticis, quæ & his qui principi infideles sunt. Nam qui fidem catholicam deserũt, quomodo principi fidem seruabunt?

Ireneus qui iuuenis, vt ipse fatetur, Polycarpum senem Ioannis Euangelistæ discipulum viderat. scribit tantum apostolos & horum discipulos habuisse timorẽ, vt neq; verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerunt veritatem. Cuius facti idem exemplum refert, à Polycarpo auditum. Cum enim aliquando Ioannes domini discipulus in Epheso iens, lauari vidisset intus Cerinthum hæreticum, exilijt de balneo non lotus dicens, quòd timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Polycarpus (vt narrat Ireneus) Marcioni hæretico aliquando occurrenti sibi, et dicenti: Cognosce nos, respondit: cognosco te primogenitum satanæ.

Irene: libr: iij. cap: iij.

Apostoli eorumq; discipuli, quales se hæreticis exhibuerint.

 Sacra

Scripturæ sententia de hæreticis. Sacra ſcriptura hæreticos domo & ſalutatione interdicit. Si quis venit ad vos, ait apoſtolus Ioannes epiſtola 2. & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis. Similiter dicit & Paulus. *Tit: iij.* Hæreticum hominem poſt vnam atq; alteram correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus, quòd ſczt in ſemetipſum, vt Hieronymus inquit, ſententiam fert, ſuo arbitrio de eccleſia recedendo, quæ receſsio propriæ conſcientiæ videtur condemnatio. Ita quidem apoſtoli & diſcipuli eorum aduerſus hæreticos ſe geſſerũt. *Notatur quidam huius ſeculi homines.* Sed hoc ſeculo, proh dolor, plurimi hominum, hæreticis communicant, indulgent, fauent.

Quorum etiam vela inexorabili peruicatia, et feroci ingenij ſpiritu, inflant principes quidam, non ſine maximo Reip: malo, nocentiſsimoq; plebi exemplo. Qualis eſt enim rector ciuitatis, tales inhabitantes eã, vt ſcriptura docet. *Eccle: x.* Quodſi fornicarium hominem Corinthijs ex ſeipſis tollendum apoſtolus præceperat, *i Cor: vi.* eoſdem etiam admonens, ne et cibum capiant cum fornicarijs, auaris, idolis ſeruientibus, maledicis, ebrioſis, rapacibus: certè id facere hæreticis conſentaneum eſt, quorum ſermo, dicente apoſtolo, ſicut cancer ſerpit, *ij Tim: ij.* fidem ſczt rectam ſubuertens, & animas hominum (quod omnium malorum maximum eſt) ita inficiens, veluti cancer membra corporis. Corrumpunt ſiquidẽ *i Cor: xv.* bonos mores colloquia praua. Porro cur hæreticorum conuerſatione fidelibus interdicat Paulus, & quo animo eſſe non debeat, docet ipſe alibi cum diceret. *Cõuerſatio hæreticorũ cur fugienda.* Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini, cum illo vt cõfundatur: *ij Theſſ. iij.* et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem. Rectiſsimè id quidem Paulus, ſi Chriſtiani omnes vnanimiter hoc præceptum ſequerentur, & iſtos quorum conuerſatio fugitur, eius puderet. Sed cum hi finibus verecundiæ tranſgreſsis, fronte meretricia aſſumpta, nullis admonitionibus, nullis præcibus, nullis correptiõibus loco relicto, præter id quòd falſa doctrina damnationem æternam hominibus, niſi reſipuerint, conciliant: coniurationes etiam, ſeditiones, bella peſtifera ciuilia, & alia mala in Chriſtianam Remp: inuehunt, veluti in oratione de corruptiſsimis moribus à me monſtratum eſt. Quid igitur faciendum? *Quid agendũ cum hæreticis ꝑtinacib: rẽp. & turbantib.* tolerandúmne? At id maximo diſcrimine Reip: eſſe, ſi antea fuit ignotum, nunc re ipſa compertum eſt. Certè deus, vt ſacræ literæ tradunt, prophetas, aut *Deut: xiij.* fictores ſomniorum, populum à deo auertentes interfici iubet, neq; etiam fratri, filio, vxori parcẽdum præcipit. *Deut. xvij.* Idemq; alibi eius rationem reddit. Auferes, inquit, *Deuter: xvij. Vbi non obedientem ſummo ſacerdoti, necare iubet.* malum de Iſraël, cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinde intumeſcat ſuperbia. Cum igitur hæc dei præcepta ſint, in his apud Chriſtianos ſurdus erit iudex, mancus notarius, accuſator elinguis, carebit ſecuri lictor, vigilantia carceris cuſtos? *MARtinus pereſius.* Fures priuatorum

priuatorum furtorum, in neruis & compedibus vitam agent, spoliatores verò templorum, turbatoresq; et euersores Rerumpublicarum, autores seuitiæ, non solum in possessiones hominum, sed in animas, in auro atq; in purpura? Furibus priuatarum rerum, quos sacra scriptura non plectendos morte dicit, vita adimetur: hi verò, quos mortis reos iudicat, liberi erunt? partes illorum defendentur, honoribus augebuntur?

Deut: xxij.
Prouer: vi.

Qui in legem vel consuetudinem vetustissimam, sapienter à maioribus introductam, & ab omnibus receptam, in rebus quæ ad statum Reip: aut ditionem pertinent, publicè & per contemptum peccat: sane his qui sapiunt, non inultum aufert. Qui verò non solum in legem alicuius iustam ac de re grauissima, arroganter & fastuosè peccaret, sed ipsam impiam & sacrilegam diceret, idq; palam facto, dicto, aut scripto testatus, quin & populum ipsum in manifestum contemptum legis incitaret, vnde plurima mala orirentur: mille cruces, mille carnifices pararentur ei, vt tanquam seditiosus, & pestilens homo compesci, & leges politicæ à contumelia vindicari possint. Isti verò qui politiam diuinitus institutam interturbant, apostolicam & diuinam authoritatem lædunt, & sacrosanctas traditiones, quæ per Christum, & apostolos ecclesiæ innotuerunt, temerè & contemptim infringunt, scriptis publicis impugnant, è suggestu proscindunt, id tamen impunè ferunt: nunquam illis apud Christianos patroni desunt, ad quos etiam inuitantur, pollici-

tationibus

tationibus et premijs illiciuntur. plurimis episcopis & principibus, quasi hæc prouincia ad eos non pertineret, ociosè in vtramq; aurem, vt dicitur, dormientibus et dissimulantibus, causamq; dei, priuatis commodis postponentibus.

Ezec: xxxiiij.
Pastores non pascentes gregem domini, quid maneat.

At horrendum væ minatur deus pastoribus, qui semetipsos pascunt & non gregem, qui lac tantum comedunt, & lanis teguntur, & quod crassum est occidunt, gregem autem domini non pascunt, quod infirmum est, non consolidant, & quod ægrotum est, non sanant, quod confractum est, non alligant, & quod abiectum est, non reducunt, & quod perierat nõ quærunt, sed cum austeritate imperant, & cum potentia.

Ezech: iij.
Sapien: v.

Præterea gregem suum, et sanguinem de manu pastorum se requisiturum pollicetur. Quid igitur pastoribus proderit superbia? quid diuitiarum iactantia conferet? quid voluptas? quibus rebus illi operam dant quam maximam, officio suo neglecto. Quid, inquam, hæc omnia illis commodi afferent, quando horrendè, & cito apparebit dominus? certè nihil, immo plurimum incommodabunt.

Sapien: vi.
Apoc: xviij.

Nam vt scriptura docet. Iudicium durissimum, in hos, qui præsunt, fiet, potentes potenter tormenta patientur, et quantum glorificauit se quispiam, & in delicijs fuit, tantum dabitur illi tormenti & luctus. Nemo est qui non dementissimum iudicaret, qui huius vitæ corporalis miseræ ac breuis iactura, mũdum vniuersum lucrifacere vellet. Quorsum enim opes, si perit ipse possessor? Pari ratione

amentissimus

amentissimus censendus est, qui affectus suos, vel opes tanti facit, vt horum gratia vitæ æternę faciat dispendium, sortem habiturus in stagno ardenti igne & sulphure, quæ est mors secunda vt scriptura sacra loquitur, hoc enim pacto frustra cætera habebit. Proinde cum hæc ita sint, quod præsens negotium attinet, episcopi & cæteri, quibus pascendi gregis cura incumbit, iuxta præceptum scripturæ sacræ, attendant sibi et vniuerso gregi, in quo illos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Attendant, inquam, ne lupi rapaces in ouile dei intrent, non parcẽtes gregi: prædicent verbum, instent oportunè, importunè, arguant, obsecrent, increpent in omni pacientia: peccantes coram hominibus corripiant, vt cęteri timorem habeant, Christum, non solum in docendo, sed quoad fieri potest in faciendo imitentur. Ita enim suos beneuolentiores, & parentiores, docilioresq́; habituri sunt. Bonitate siquidem maximè hominum beneuolentia excitatur, quæ his qui præsunt apprimè necessaria est. Fidem verò præcipuam faciunt mores, vt summi nominis philosophus prodidit. Postremo si aliter fieri nequeat, satanæ tradant, hoc est, ecclesiæ consortio expellant, & quod nos dicimus excommunicẽt, veluti Paulus Hymeneum & Alexandrum, qui circa fidem naufragauerant: & fornicarium Corinthium. Seculares verò talium consortium fugiant, iuxta sacrarum literarum præcepta superius descripta, idq́; vt pudore à scelere

Apoc: xxij. — *Episcopis qd agẽdum cum hæreticis.* — *Acto: xx.* — *ij Tim: iiij.* — *i Tim: v.* — *Acto: i.* — *Docendum & faciendum.* — *MORES.* — *Arist: in ret.* — *i Tim. i.* — *Seculares quales se præstare debent hæreticis.*

abducantur.

abducantur. Quodsi ea non profuerint, illiq́; pestifera dogmata temerè spargere, & respub: turbare perrexerint: hi qui sunt à deo constituti vindices in iram his qui malè agunt, laudem verò bonorum, suo muneri respondeant, leges exequantur, non iracundia sed æquitate ducti, vt prauitas corrigatur. Non enim, vt Paulus ait, frustra gladium gestant. Meminerint Dauidis, qui de seipso ait. In matutino (id est, adhibita summa diligentia, nulla interposita mora) interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Zeli item Phinees, qui zelatus pro deo suo, scortãtes manu propria occidit, iramq́; dei à filijs Isra'el auertit, ob idq́; à deo non parua retributione ornatus. Recordentur Moysis, qui cernens cultum vituli conflatilis, tabulas decalogi perfregit, idololatrasq́; Leuitis interfeci iussit. Quos ob id manus suas in filijs, in fratribus consecrasse domino, dicere non dubitauit, vt daretur illis benedictio. Commoueantur zelo Eliæ, qui zelo zelatus pro domino exercituũ, multos morte affecit, manu propria, & igne diuinitus impetrato. Reminiscantur seueritatis regis Asa olim dicẽtis. Si quis non quęsierit dominum deum Isra'el, moriatur à minimo vsq́; ad maximum, à viro vsq́; ad mulierem. Pauli quoq́; qui Elymam magum cæcitate percussit, & fornicariũ Corithiũ Satanę tradidit in interitũ carnis, vt spiritus saluus esset in die dñi. Petri itẽ apostoli in Ananiam et Saphiram sentẽtiam dicentis: qui ad eius verba exanimes ce-

Rom. xiij. — *Exempla zeli* — *Psal: C.* — *Num: xxv.* — *Exodi xxxij.* — *ij Reg: xvi.* — *iiij Regum i.* — *Aug: de sermone domini in monte lib: i.* — *ij Para: xv.* — *Acto: xiij.* — *Acto: v.*

nimes ceciderunt, nec excitati, sed sepulti sunt. Immo etiam ipsius Christi, qui flagellatos expulit de templo improbos mercatores: vbi etiam connexum est, testimonium scripturæ dicentis. Zelus domus tuæ comedit me. Idem dominus Paulum prius coëgit, postea docuit, prius ferijt, postea consolatus est, vt Augustinus dicit. Qui primitus eius sententiæ se fuisse commemorat, neminem ad CHristi & ecclesiæ vnitatem cogendum, verum verbo esse agendum, disputatione repugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberet, quos apertos hæreticos nouerat. Sed, inquit, hæc opinio mea non contradicentium verbis tantum, sed demonstrãtium superabatur exemplis. Nam primo opponebatur mihi ciuitas mea, quæ cum tota esset in partes Donati, ad vnitatem catholicam, legum imperalium timore conuersa est, quam nunc videmus, ita animositatis vestræ (loquitur de hæreticis Donatistis) perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse videatur. Item & aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscere etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est. Da sapienti occasionem, & sapientior erit. hæc ille. Qui etiam Donato sentienti, non debere hominem cogi ad bonum, quòd illi à deo liberum arbitrium sit datum, inter cætera inquit: Si mala voluntas semper suæ libertati esset permittenda, quare Israëlitæ recusantes, & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibebantur? Quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qui

Ioan: ij. *Psal: Lxviij.* *ad Bonif: ep: l.* *Gratia: causa xxiij, quæst. vi.* *tales hodie cõplures.* *Aug: ad Vincẽti: ep: xlviij* *Prouerb: ix.* *Solutio obiectiõis Donati* *Aug: ep: cciiij* *Acto. ix.*

luntate, qui persequebatur ecclesiam, sed prostratus est, & coactus? Quare in scripturis sanctis, monetur pater, filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera eius tundere? Quare negligentes pastores à deo corripiuntur, & dicitur eis: Errantem non reuocastis, perditum non requisistis? Cumque Donatus probans recedentem à deo non debere inuitum teneri, protulisset dominum septuaginta discipulos, qui schisma fecerant, abire permisisse. Respondet Augustinus, tunc primum ecclesiam nouello germine pullulasse, in qua nondum completa erat illa prophetia. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Quod vtique ait, quanto magis impletur, tanto maiore vtitur ecclesia potestate, vt non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum. hoc dominus significare volebat, qui quamuis haberet magnam potestatem, prius tamen elegit commendare humilitatẽ. Hæc et alia ea de re Augustinus in multis locis. Qui etiam referente Gratiano, ait. Eum qui vitijs nutriẽdis parcit, & fauet, ne contristet peccantium voluntatem, nõ tam esse misericordem, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat, vel extinctum.

D. Hieronymus in epistola aduersus Vigilantium ad Riparium, non crudelitatem esse, ait, crimina pro deo punire, sed pietatem, producens Syromasten Phinees: austeritatem Eliæ, zelum Simonis Cananei: Petri seueritatem, Ananiam & Saphiram trucidantis: Paulique

Eccle. xxx. *Ezech. xxxv.* *Grati: xxiij, q. iij.* *Grati: xxiij. q. v. fauens & parcẽs uitijs cui similis.* *Num. xxv.* *Acto: v.* *iij Reg: xviij.*

Acto:xiij. Paulíq; conſtantiam, qui Elymam magum vſis domi-
ni reſiſtentem, æterna cæcitate damnauit, legem etiam
diuinam proferens, quæ dicit: Si frater tuus et amicus,
Deute: xiij. et vxor quæ in ſinu tuo dormit, deprauare voluerit
veritatem, ſit manus tua ſuper eos, & effundes ſangui-
nem ipſorum. Porro veritatem ab hæreticis depra-
HÆREtici. uari, in confeſſo eſt. Sunt enim hi, qui in eccleſia Chri-
Aug: li:xviij ſti, morbidum aliquid prauumq́; ſapiunt, ſi correcti,
cap: v. Li, de vt ſanum rectumq́; ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſu-
ciuit: dei. áq; peſtifera, et mortifera dogmata emendare nolunt,
ſed defenſare perſiſtunt. Tales ius ciuile pœna mortis
L. ARIAni punit, bona autem eorum ſi fuerint clerici, eccleſiis in
C. de HÆre- quibus fuerunt applicantur: Sin vero laici, fiſco ſecu-
ticis. &c. lari. Leges Friderici imperatoris iure ciuili approba-
Ioã: Nicolai tæ, hæreticorum fautores, & receptatores, infamiæ ſu-
quæſt:xv, li:i. bijciunt, idq́; non iniuria. Error enim, ait quidam, cui
de hæreticis. non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum minimè de-
Diſtin: Lxiij. fenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cum poſsis
perturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere.
Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto
facinori deſinit obuiare. Vnde & apoſtolus dignos
Roman: i. pronunciat morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam
qui conſentiunt facientibus.

Solutio obie- Inſtant recentiores affirmantes vitam hæreticis
ctionis. non adimendam eſſe, ad quod aſtruendum, inter cęte-
Mat:xiij. ra, producunt verba ſeruatoris apud Matthæum. Si-
nite creſcere vſq́; ad meſſem: eorum tamen quidam,
Sleidan: lib: quos tales iudicauerint, extremo ſupplicio afficiunt,
xxv.

veluti proximis temporibus Geneuę Caluinus Serue-
tum. Qui, Caluinus inquam, ædito libro, in hæreticos
gladio vindicandum eſſe docet. Et quidam alius in
Germania, veluti ex eodem accepi, niſi fuga ſibi conſu-
luiſſet, vita priuatus eſſet, quòd doctoribus quibuſdã
in negotio religionis aduerſaretur. Et Lutherus Ana-
baptiſtas extremo afficiendos voluit ſupplicio.

Quodſi dictum ſeruatoris de ſolis hæreticis accipi-
endum eſſet, certè dominus non vult, vt permittãtur
viuere abſolutè, ſed in caſu tãtum, quando ſczt ſine pe-
riculo fidelium ſeparari non poſſunt: vel potius eos
intellexit, qui ipſi infecti, cæteros non inficiunt, rem-
publicam non turbant, factiones, bella ciuilia non ex-
citant. Alioqui ſcriptura ſacra ſibi contraria eſſet, quæ
vt proximè oſtendimus, eos qui homines à deo auer-
tunt, interfici iubet, & magiſtratus gladium geſtare *Roman.xiij.*
dicit, quaſi vindices in iram his qui male agunt. Atqui
quis negabit malè, immo peſsimè agere eos, qui ĩ rẽp:
factiones, bella peſtifera ciuilia inducunt, ex quibus
cædes, rapinæ, direptiones bonorum, & alia plurima
mala, proueniunt: ad hæc homines peſtiferis dogma-
tibus ad æternam damnationem præcipitant. Præte-
rea, cum ſcriptura ſacra politias, aut leges approbat,
leges autem ciuiles pœna capitali hæreticos plecten-
dos decernunt, vt ante à nobis oſtenſum: non
video quanam ratione ſententia eorum,
qui contrarium ſentiunt, proban-
da ſit. (.)

QVOD ECCLESIA CATHOLICA, IN REBVS FIDEI NON ERRAT, EIVSQVE IVDICIVM, IN CONTROVERSIIS SEQVENDVM, ET DE ERRORIBVS RECENTIORVM.

Solutio obiectionis.



VODSI QVISPIAM IMPVDENter fateri velit, religionem & fidem veteris ecclesiæ, erroneam fuisse, atq; ob id constitutiones de eadem nihili ducendas, hoc à vero alienum est. Istud enim qui affirmat, Christum mendacem facit. Ille namq; se cum ecclesia vsq; ad consumationem seculi permansurum promisit. Atqui si ecclesia catholica, quæ est visibilis, in fide errasset: fuisset à Christo deserta, & à spiritu sancto, illi à Christo promisso, atq; ita Christus promissis non stetisset. Neq; hoc iudicium paucorum hominum est, sed catholicæ ecclesiæ. Quemadmodum enim est vnus deus, ita & vna fides, vna ecclesia catholica, referente scriptura. Eam ob rem igitur in controuersia fidei, iudicium penes ecclesiam catholicam esse iudicandum est, ita vt non solum, quod perpetuus sanctorum consensus, ab apostolis vsq; ad nos recepit, & approbauit, idem sentiant omnes, sed etiam idem loquātur, monente apostolo. Obsecro vos, inquit ille, per nomē domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem

Mat: vltimo.
Ioan: xiiij.
Ephe: iiij.
D. CLEmens ALexandrinus oratiōe septima Strommateon.
i Cor. i.

eodem

eodem sensu, & in eadem sententia. Si verò vnus, & aliqui pauci homines, vel singula regna in negotio religionis: pro suo arbitrio diuersa in rebus fidei sentire velint: certè hac ratione vna ecclesia catholica nō esset, quod quidem fidei Christianæ, & scripturæ diuinæ maximè repugnat. Sicut enim manus non est totum corpus, ita & vnus homo, vel vnius loci, aut temporis homines, non est vna ecclesia catholica, quā nos credere profitemur. Cæterum ab ea dissentire, illamq; erroris insimulare, non est eam credere.

SIMILE.

Ab eadem ecclesia si dissenserimus, & nosipsos seiunxerimus, soliq; verbo dei scripto inniti voluerimus: & libri noui testamenti veterisq; abijciendi erunt, quod olim quosdam hæreticos fecisse legimus. Veluti Ebionitas, qui solo Matthæi euangelio vtebantur. Manichei item vetus testamentum damnabant. Siquidem nullus locus est in scriptura canonica, quo apertissimè deus demonstrasset, et præcepisset, quinam libri, & quot essent à Christianis recipiendi: sine quibus in veteri lege ecclesia ferè bis mille annos, in noua verò sine euangelio scripto circiter octo, aut plures annos perstiterat. Quodsi dicas id titulos librorum indicare, hoc non satis est, fit enim plerumq; vt libri ascribantur, his à quibus non sunt scripti, veluti inter cæteros Erasmo Rotherodamo à Lutheranis factum, vt scriptis suis fatetur. Ad eum modum euangelia ab hæreticis conficta sub titulo apostolorū euulgata fuerant, sicuti Iudæ, Petri, Thomæ, Mathiæ, et aliorum:

Qui soli canonicæ scripturæ innitūtur, ecclesiæ autoritate spreta, ipsam scripturam abiiciāt oportet.
Iren: lib: i, ca: xxvi.
Obiectionis solutio.
Iren: lib: i, ca: xxxv. contra hæreses.

et aliorum: non sunt tamen ab ecclesia approbata. Ecclesiæ igitur authoritate adducti, credimus (velut & Augustinus de seipso fatetur) hoc esse euangelium, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, sicq; de cæteris libris, quod quidem à maioribus nostris accepimus, illi verò à suis, hac serie obseruata vsq; ad apostolos.

Aug: cap: v: contra episto. Manich.

His qui temerè sibi scripturarum sacrarum intelligentiam vendicant, id in præsentiarum respondebo, quod Paulus Corinthijs. An à vobis verbum dei processit, an in vos solos peruenit? Quibus verbis innuit apostolus in sacra scriptura interpretanda non esse fidendum vehementer ingenio suo, in quo falli facile est. Argumento sunt omnes hæretici, qui eandem scripturam diuinam legerunt, illaq; non rectè intellecta, errores suos defendere conati sunt. Et ipse Satan Christum tentans, scriptura perperam vsus, eadem à Christo conuictus.

Solutio obiectionis.

i Cor: xiiij.

HÆRetici legentes scripturam lapsi.

Satan scriptura usus.

Matt: iiij.

Si plurimi hæreticorum docti, & in literis sacris diligenter versati, in errores lapsi sunt, quis affirmare audebit ex scripturis sacris non offendendos eos, qui literas sacras breui tempore oscitāter tractarunt? Preterea idiotas, sutores, vestiarios, mulieres, pueros, qui exercitatos sensus non habent? quod Palus ad altiorū mysteriorum intelligentiam requirit, præsertim cum eius nullam interpretationem doctorum & catholicorum admittant, ipsaq; nuda litera se contentos esse asserūt, minimè memores scripturam diuinam in plurimis locis intellectu difficilem esse. Quod & ipsæ literæ sacræ

Ad altiora mysteria quo opus.

Heb: v.

teræ sacræ

teræ sacræ apertissimè testantur. In epistolis Pauli (inquit Petrus apostolus) sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant sicut cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Ita Petrus. Quod quidem hoc seculo maligno plurimos facere experitur ecclesia. Cuius rei hic aliqua exempla proferam.

NOTÆ uerba Petri.

Scriptura sacra in multis locis difficilis intellectu.

ij Pet: iij.

LVTHERVS quem quidam recentiorum, quasi alterum Eliam, & currum Israël fuisse, & euangelicam doctrinam planè illustrasse affirmarunt, hæc inter cætera docuit.

Errores Lutheri.

Euangelium nullam habet vim legis, aut mandati, solum modo requirit vt credamus, cætera omnia opera esse liberrima. In epistolam ad Galatas.

Quòd homo Christianus liber est, ab omni legis obseruatione, ab omnibus operibus bonis, quòd deus hæc non præceperit, nec vetuerit, quòd his etiam ipse non indigeat, sed sola fides ea largitur abundè, immo summam artem esse legem ignorare prorsus. De libertate Christiana. Et alibi.

Omnia tam bona quàm mala ex absoluta necessitate fiunt, adeò vt deus sit non solum causa peccati permissiuè, sed effectiuè. In assertionibus. Et in resolut:

Decem præcepta non pertinent ad Christianos, sed ad solos Iudæos. In sermone de Mose.

Sola fides iustificat & saluat hominem, nec vllo bono opere, nec vlla lege opus est homini Christiano ad iustitiam & salutem: quia nihil personam bonam facit

 nisi fides

nisi fides, nihil malam, nisi sola incredulitas. In asser-tionibus, & de libertate Christiana.

Peccat homo si faciat præcepta dei non existens in gratia, & quod bonum etiam optime factum sit veniale peccatum, secundum misericordiam dei, sed mortale iuxta iustum iudicium dei. In assertionibus.

Omne peccatum est per se, & suapte natura mortale, per se nullum veniale. In articul: per theologos Parisienses damnatis, & de ratione confitendi.

Sola incredulitas peccatum, & nulla alia sunt peccata præter eam. In libro de libertate Christiana.

Sua quisq; speciali fiducia, potest certus esse vtrum sit in gratia dei vel non, nulla habita ratione charitatis, nulla pœnitentiæ, nulla bonorum operum. De libertate Christiana. Et in assertionibus.

Quanto sceleratior quis est, tanto citius deus illi gratiam infundit. Si autem adornet se vt catus bonis operibus, vt deus illum acceptet, nihil efficiet. In sermone de piscatione Petri.

Non sunt septem Sacramenta nouæ legis. De captiuitate Babilonica.

Duo sunt Sacramenta, Baptismus, cœna domini. ad Valdenses.

Hæretica sententia affirmare sacramenta gratiam conferre eis, qui non opponant obicem. In assertionibus, & in resolutionibus contra Eccium.

Baptismus non est plus, quàm externum signum. In sermone de recumbentibus.

In puero negare post baptismum remanens peccatum, est Christum & Paulum conculcare. In assertio.

Præstat prorsus ommittere baptismum in paruulis, quàm baptizare eos sine fide quoniam sacramenta neq; possunt neq; debeant sine fide accipi. Ad Valdeñ. Et in articulis per Parisienses theologos damnatis.

In Eucharistia simul est panis et corpus Christi verum, neq; substantia panis & vini transelementatur in corpus & sanguinem domini. De captiuitate Babyl:

Neutra species, sed sola fides necessaria ad salutem. In asserti: & de formula missæ.

Perniciosus error si quis accedat ad sacramentum eucharistiæ, ea nixus fiducia, quia sit confessus, quia non sit sibi conscius alicuius mortalis peccati, quia orationes suas & præparatoria præmiserit. Eos enim qui id faciant, sibi iudicium manducare & bibere, immo eum melius accedere, quo sit peccatis onustior. In sermone de præparatiõe ad eucharistiam. Et in assert:

Missa non est opus bonum nec sacrificium. In libro de captiuitate Babilonica.

Neq; pœnitentia, neq; charitas, neq; vlla opera bona necessaria ad salutem, immo vehementer obsunt. In epistolam ad Galatas.

Contritio ea quæ præcedit gratiam remisisionis, omnino est peccatum. In asserti: contra Leonem.

Negat auricularem confesisionem, nec vt ea peccata quorum quis meminit, enumeret esse necessarium, cum sit carnificina conscientiarum & sacrilegum in-

uentum, & mendacium hominum. De instituendis ministris ecclesiæ ad Prageñ, in resolutionibus, & de decem leprosis.

Nulla esse potest satisfactio (sczt pro temporali pœna) sed Christum satisfecisse pro culpa & omni pœna. In assertionibus.

Omnes sunt sacerdotes, & possunt ligare & soluere, & vti clauibus. De captiuitate Babilonica.

Episcopus & presbiter iure diuino idem, in 5 conclusione resolutionum.

Ecclesia est inuisibilis, & spiritualis sola fide perceptibilis. lib: contra Ambrosium Catharinum.

Ecclesia non est alligata ordinariæ succesioni, hoc est, neq; continuationi temporis vsquam interrupti, neq; vniuersitati locorum, sed esse gregem pasim dispersum, in orbe terrarum, adeoq; vt vox ista catholica posit expungi ex symbolo, & pro ea reponi Christiana. In responsione ad Ambrosium Catharinum, et de ecclesia, & concilijs. &c.

Nullam habet ecclesia potestatem, vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. Et quòd frustra iactetur arbitrium ecclesiæ, & potestas Papæ. De falso statu cleri, & de captiuitate Babilonica.

Affirmat quòd ecclesia & euangelium nullam sciant potestatem, nullas iurisdictiones, quòd hęc tyrannicæ sunt inuentiones. In responsione aduersus Ambrosium Catharinum.

Non est in manibus ecclesiæ prorsus, statuere, & sancire

sancire canones fidei, seu bonorum operum. Contra Ambrosium Catharinum.

Nulla superioritas est inter Christianos. In libro de potestate seculari.

Quòd nulla alia spes sit remedij, nisi reuocato libertatis euangelio secũdum ipsum semel, extinctis omnium hominum legibus omnia iudicemus et regamus. De captiuitate Babilonica.

Nullis legibus hominum tenemur. De iudicio Christianæ cong: Et alibi.

Pugnare contra Turcam est repugnare deo, nos punienti. In assertionibus.

Cœlibatus, virginitas, nugæ sunt, & mera Satanæ mendacia, cum castitas res sit imposibilis, nec deo placeat. In libro de votis.

Idololatria est interpellare sanctos, iam cœlesti patria fruentes, vt velint pro nobis intercedere. In assertionibus. & alibi.

Hæreticos comburi est contra voluntatem dei. In assertionibus.

Hæc & alia permulta Lutherus asseruit, quamuis aliquando quasi sui oblitus contraria his docuerit, quod hi testari possunt, qui scripta illius legerunt. Hic certè sua doctrina id effecit, vt homines multo deteriores facti sint, quàm vnquam antea fuerint in papatu, vt ipse idem fatetur in sermone dominicæ aduentus.

Quid effecerit LVtherus doctrina sua

PHILIPpus Melanchton.

IN prędictis à Luthero quidam alij non diſſentiunt, alios etiam errores affingentes. Vnus enim in epiſtolam Pauli ad Romanos ſcribēs dicere non veritus eſt: peccata in hominibus eſſe à deo non ſolum permiſsiuè ſed effectiuè, perindeq́ꝫ fuiſſe proprium opus dei adulterium Dauidis, & proditionem Iudæ, atqꝫ fuit vocatio Pauli. Præterea Chriſtum eſſe mediatorem dei & hominum, etiam ſecundum naturam diuinam, patremq́ꝫ orare, et ad deum intercedere etc̄. quod Arianum eſt. Secundum enim diuinam naturam eſt æqualis deo patri. Spiritum item ſanctum eſſe particulam quandam diuinitatis, & alia quædam erronea, quæ docti in illius ſcriptis animaduertunt. Nihilominus tamen nominis eius, & Lutheri ſtudioſi, O^ ſtultas hominum mentes, ô pectora cæca, eccleſia catholica neglecta dogmatibus iſtorum adhærent, illorum iudicio ſtant, adeò vt quicquid illi ſoli etiam, à catholicæ eccleſiæ ſententia diuerſum dixerint, id ratum habeant, & firmum. affirmantes inſuper plus in illorum libello vno doctrinæ ſalutaris contineri, quàm in maximis voluminibus Auguſtini, & aliorum priſcorum. Hoccine eſt credere ſanctam eccleſiam catholicam, quod in ſymbolo profitentur? hoccine mandato Chriſti de eccleſia audienda obedire? hoccine ſentire cum Paulo eccleſiam columnam & firmamentum veritatis? Certè nihil minus. Si enim manus aut aliud quodpiam membrum non eſt totum corpus, multo minus vnus homo eſt eccleſia catholica, quæ nobis

De hoc inferius.

ſcripturam

ſcriptutam etiam diuinam tradidit. Non deſunt tamen ex recentioribus qui Lutherum canem vocitent, et ſequaces eius, ſit venia dicto, papæ ſtercora. Quamuis & ipſi de Sacramento euchariſtiæ maximè impiè ſentiant, & in multis alijs errent, inter cætera affirmãtes: Dimitte nobis debita noſtra, ex oratione dominica demi debere, quaſi illud iam poſt Chriſtum paſſum iuſtificatis per fidem dicere non conueniat. Iis alij non diſsimiles qui pro libidine ſua contra eccleſiæ authoritatem, quaſdam ſcripturas canonicas, & quarundam partes contextus, quaſi cenſoria virgula notant, & tanquam minus rectè ſcriptas, aut ſubdititias ſubmouent, quod olim fecêre Ebionitæ: & alij.

LVTHErus qui uocatur à quibusdam.

Ex ſequacibus Lutheri ſunt, qui docent Chriſtum etiam ſecundum diuinam naturam paſſum & mortuum, iſtucq́ꝫ in ſynodo quadam, credi debere confirmarunt. Synodum hanc Germanicè ſcriptam vidi.

CALuinus, præter alia, quæ tradit à catholica fide diſsidentia, affirmat paruulos fidelium hoc ſolo quòd filij fidelium ſunt, regnum cœlorum conſequi etiam ſi moriantur ſine baptiſmo. Præterea aquam baptiſmi non eſſe neceſſariam aſtruens ait in illo Chriſti. Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c̄, aquę nomen pro mortificatione accipi, vel certè epitheti vice adiectum vt vim & naturam ſpiritus ſancti exprimeret. Item, Omnia quæ à quouis homine perpetrantur facinora, bona ſunt, iuſtaq́ꝫ dei opera. Illud quoqꝫ. Impij, in impietate, potius opus dei quàm ſuū faciunt. Et alia pleraqꝫ.

Andreas Vega li: xiiij. in Concil: Trid.

Carnis re

Carnis resurrectionem esse fictitiam affirmat Seruetus, & Libertini in Gallia.

Matthiam Flaccum Illyricum Philippus Melanchton, in quadam epistola scribit negare dictionem ὁ λόγος, id est, verbum, in principio euangelij Ioannis, significare personam diuinitatis.

Christum non esse æqualem deo patri, nec eiusdem substantiæ affirmat Hetzerus.

Menno quidam in colloquio Vismariensi Christũ nostram naturã ex Maria virgine negat assumpsisse.

Christum in duabus naturis duarum esse personarum asserit Adam pastoris.

Damnatos omnes, & dæmones esse saluandos sentit Ioannes Denckius, & Dauid Ioris.

Christi regnum fore corporale annorum mille, anabaptistæ quidam docent.

Seruetus quem Caluinus Geneuæ supplicio affecit, docuit Christum persona non esse alium, à patre. Præterea Christum in vna persona vnius etiam esse naturę, & substantiam secũdum animam habere æternam.

Hoc dogmate vt reor, persuasi quidam, symbolum Athanasii vituperant, quod ipse audiui. Adeò facilime hoc seculo homines plurimi, quouis vento doctrinæ circumferuntur. Verendum'q; est ne eò insaniæ & impietatis deueniant, vt in corde suo insipientes dicant. Non est deus.

Homines huius seculi leues.

Psal: xiij

Id quod de quodam, nescio ioco an serio dici audiui. Qui cum sacerdotem adijsset peccata confessurus,

impietas cuiusdam.

quibus enar-

quibus enarratis vnum se peccatille (vt verbo eius vtar) habere dixit, cuius oblitus esset, cum'q; sacerdos iuberet illud proferri, nihil se credere affirmauit.

Errores recentiorum, & dogmata, quibus & ipsi secum sententiam suam variantes, & cum alijs discordant & pugnant, habes descripta apud Fredericum Staphylum in epitome trimembris theologiæ Lutheri. Et in tabulis vigentium hæreseon, ex scriptis Vilhelmi Lindani Dordraceni collectis. Sectas præcipua hæreticorum huius seculi ex Staphylo inferius adscripsimus. Quorum quidem dissensionem, & diuisionem non esse à spiritu sancto, sed à Satana, ipse Lutherus libro i. contra Zvuinglianos affirmat, quòd spiritus, inquit, ille vertiginis contradicit sibijpsi, quod liberè concludendum est, diabolum omnis dissensionis patrem, esse eorum doctorem, hæc Lutherus de Zvuinglianis, quæ in recentiores hæreticos optimè torqueri possunt, qui irreconciliabiliter inter se dissentiunt, neq; & sibijpsis constant, quo declaratur illud verissimum, quod diuus Hilarius scripsit, hæreticorũ esse incerta omnia & vana, inuicem dissidere, non eadem de eisdem dicere, cum sint vel duo vel tres, semetipsos arguere, de eisdem verbis non consentientes differentia dicere, in idem tamen blasphemiæ concurrere propositum. Cui non dissimilia loquitur Ireneus lib: 4. cap: 69. Non benè sentientes, tamen semetipsos interim arguunt, de eisdem verbis non consentient[illegible] Ita Ireneus. hoc bellum hæreticorum, pacem

Tabulæ Hæreseon.

Causa dissensionis inter hæreticos.

Hæretici.

Hilarius li: i, de trinitate.

Ireneus.

Bellũ hæreticorum.

ecclesiæ

ecclesiæ esse Hilarius dixit.

Ex contẽptu authoritatis ecclesiæ quid euenit.

Ex his igitur luce meridiana clarius esse, perspici potest, quando à catholica ecclesia disceditur, & vnicuiq; blasphemæ linguæ dicere impunè permittitur, euenire vt quot sunt capita, tot ferè sint in religione opiniones. Vno enim absurdo dato, cętera sequuntur. Vniformis namq; res est veritas, mendacium autem in varia distrahitur. Ex quo deinde, iræ, rixæ, odia, contentiones, factiones, cædes, bella ciuilia oriuntur: veluti in oratione de corruptissimis moribus &c̃ ostendimus. Quo fit vt (veluti antea ostendimus, dicendum enim sæpius) verbo dei, quod omnis controuersiæ iudicem isti faciunt, dignosci non potest quinam istorum veram habeant ecclesiam, vt si qui forte sint, quibus nostra displiceant, illis accedere possint. Nam de illius interpretatione est inter illos altercatio, vt euidentissimè in prędicta oratione ostendi. Apud omnes autem simul ecclesiam esse veram impossibile est, quippe quæ vna sit. Illi autem alij ab alijs non modo pro hæreticis, verum pro furiosis, & pro idololatris vicissim habẽtur. Omnes tamen iactant euangelium, eo insultant sibimet, & nobis. Qui etiam morbus Arianorum tempore totum ferè infecerat orbem.

VERITas.

Sectarij uerbo dei ostẽdere nonpossunt quinam eorũ habeãt ecclesiam.

Quamuis autem, ait D. Clemens Alexandrinus 7 Stromateon, qui hęreses sectantur, vtantur scripturis, tamen primum non omnibus vtuntur, deinde neq; integris, neq; etiam quid vel corpus prophetiæ, vel gibbus velit, consyderant: sed quæ ambiguè dicta sunt, eligentes,

HÆREtici quomodo utũtur scripturis

eligentes, transferunt illa in priuatas opiniones suas, parsimq; voces paucas veluti flosculos carpentes, non spectant in eis significatum, sed nuda dictione abutuntur, propemodum enim solis verbis addictos reperias illos q̃ solis nominibus inhæreant significata variantes.

Sacer sermo, cœlitusq; delapsus (inquit quidam) similis est imagini quoquo versus intuenti, quales multæ pinguntur, obtutum circumagentes ad hominem prætereuntem. Vt enim homines rectà mente prædiֶtos, & dextero pede accedentes, primore aspectu festiuè sermo diuinus admittit, epulisq; salutaribus accipit, & prosequitur: ita sinistro pede ingredientes fallit, eorumq; peruersis voluntatibus assentire creditur, atq; astipulari, ac se se illis dare, eò vsq; vt abutendum etiam semetipsum præbere videatur. Eius rei exemplo sunt omnes hæretici scriptura sacra eadẽ vtentes.

Sermo diuinus cui similis Gregorius ut refert Budæus de instituendo studio.

Rectissimè igitur Tertullianus scriptor grauissimus, apostolorum temporibus vicinus, quem Cyprianus martyr magistrum appellabat, in libro de hæreticorum præscriptione, docens ecclesiasticam traditionem, ipsissimam esse veritatis Christianæ regulam aduersus hæreticos, quibus ad scripturas non licere prouocare ab ecclesia affirmans (vt quæ nullo iure pertineant nisi ad ecclesiam, vnde earum authoritas nobis pendet: & non ad desertores, & oppugnatores ecclesię.) ita ecclesiam contra hæreticos agentem inducit. Qui estis? quando & vnde venistis? Quid in meo agi

TERtulliani sentẽtia de hæreticis ab ecclesia ad scripturam prouocantes.

NOTA uerba Tertulliani

meo agitis nō mei? Quo deniq; Marcion iure syluam meam cedis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? Qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis autoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres apostolorum, sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei cōmiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæreditauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei, & inimici apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisq; de suo arbitrio aduersus apostolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas doctrinæ inuenitur, hæc Tertullianus, qui ibidem affirmat, omnem doctrinam, quę cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod ecclesia ab apostolis, apostoli à Christo, Christus à deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam, de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, & apostolorum, & Christi, & dei. Hæc ille, addens id etiam, veritatem scīt dogmatum manifestari, ex origine ecclesiarum, & ordine episcoporum, ita per successiones decurrente, vt primus ille episcopus, aliquem ex apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseuerauit, habuerit autorem, vel antecessorem,

quod apud

quod apud hæreticos non fit. Ab eo non dissentit Origenes in 24 cap: Matthęi, de hæreticis loquens. Quoties canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos, inquit, illis credere non debemus, nec exire à prima & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem, ecclesiæ dei tradiderunt nobis. *ORIGENES.*

Et diuus Hieronymus aduersus Luciferianos scribens. In illa ecclesia permanendum est, quæ ab apostolis fundata vsq; in hanc diem durat, nec sibi blandiantur hæretici, si de scripturarum capitulis videntur sibi id confirmare quod dicunt: cum & scripturæ non in legendo, sed intelligendo consistant. *HIERONYM.* *Scripturæ in quo cōsistunt*

Ireneus lib: 3. cap: 4. aduersus hæreses. Quę autem, inquit, sunt ecclesiæ? cum magna diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli cōuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est. Quid autem si neq; apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs quibus committebant ecclesias, cui ordinationi assentiunt multę gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes. Hæc *IRENEVS*

 Ireneus

Ireneus qui lib: 3. cap: 4. aduersus hæreses dicit se Polycarpum auditorem beati Ioannis apostoli vidisse.

CLEMENS. Clemens Petri apostoli discipulus epistola 5. Sunt, inquit, multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisq; sponte præsumpsit, sed fieri nō oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum, & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipsum ex scripturarum autoritate confirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit, vt ipse possit ea quæ rectè suscepit, competenter asserere.

Intelligentia scripturarum unde discēda

AVG: li: xi, cap: ij. contra Faustū Manichæum. Augustinus, palam, inquit, est quòd in re dubia ad fidem ac certitudinem valeat autoritas ecclesiæ, quæ ab ipsis fundatissimis apostolorum sedibus vsq; in hodiernum diem durans, succedentium sibi tot episcoporum serie, & populorum consensione firmatur. Et alibi. Multa sunt alia quæ in catholicæ ecclesiæ gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascēdas oues suas post resurrectionem dominus commendauit, vsq; ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in catholica ecclesia, etiamsi propter intelligentiæ nostræ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissimè ostendat. Et post pauca cum Manicheo disputans. Si inuenires aliquem qui euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, non credo? Ego vero euangelio non crederem nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret authoritas.

cap: iiij, contra epistolam Manichæi.

NOTA.

cap: v.

Idem sentiunt & cæteri orthodoxi, quos hic recensere longum esset. Quin & Moyses olim non ad scripturas, sed ad Sacerdotes Leuitici generis, & summi inter eos præsidentis iudicium, in quæstionibus & altercationibus, suos remisit. Sed & Christus ipse, eum qui ecclesiam non audierit, tanquam ethnicum, & publicanum habendum præcipit. De hac materia latius in oratione nostra de corruptissimis moribus & cæt.

Deut: xvij. Moyses in cōtrouersijs ad quē remisit. Mat: xviij.

Neq; solum ea credenda, & tenenda sunt, quæ canonicis scripturis prodita sunt, sed etiam quæ per traditionem innotuerunt.

De qua re inferius disserimus. Alioqui & ipsa scriptura diuina, vt superius dictum est à nobis, esset abijcienda.

Nonnulla

NONNVLLA QVAE MVTARI POSSVNT, ECCLESIA *PRO NECESSITATE ET RATIONE TEMPORVM, SINE VITIO IMMVTAT. ET DE SVMPTIONE EVCHARISTIÆ, SVB VTRAQVE VEL VNA SPECIE.*



Ioã: xiiij. xvi. *ÆC EADEM ECCLESIÆ IVXta* promiſsionem CHriſti, à ſpiritu ſancto in omnem veritatem ducta, in rebus fidei ad ſalutē animæ prorſus neceſſariꝭ, ita progreditur, vt non erret, veluti quibuſdam videtur: & aliqua pro ratione temporum, ſine errore mutat, vel fieri cōſtituit. Vt verbi cauſa. *DIVORTIVM.* Moyſes animaduerſa duritia cordis Iudæorum, ſiuit etiam propter leuem cauſam repudiare vxores, cauens ne niſi dimiſſæ fuiſſent, à viris interficerentur, de quo CHriſtus apud *Matt: xix.* Matthæum. Moyſes ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis repudiare vxores veſtras, cæterum ab initio non fuit ſic. *Gen: xvij.* Iudæis præceperat deus, vt infans octo *CIRCVMCISIO.* dies natus circumderetur, hoc etiam iniungens, vt maſculus cuius præputij caro non eſſet circumciſa, interficeretur, quod pactum dei irritum fecerit. Quo fa*Exo: iiij.*ctum, vt Moyſen, quem in Aegyptum miſerat, occidere voluiſſet, quod filium ex Madianitide natum nō circumcidiſſet: populus tamen Iudaicus, qui natus erat in deſerto

in deſerto, per quadraginta annos itineris latiſsimæ ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumerentur *Ioſuæ v.* qui non audierunt vocem domini. Apoſtoli ab initio fidei Chriſtianæ, iniunxerant vt à ſanguine & ſuffoca*Apoſtolorū conſtitutio.*to abſtineretur, quoniam ita opus eſſe facto iudicarāt, id poſtea exoleuit. Luce euangelica adueniente, docet *Heb: x.* ſcriptura, legem ceremonialem, quæ vmbra erat futurorum bonorum, ceſſare debuiſſe: nihilominus apoſtoli ratione temporis adducti, permiſerant legalium obſeruationem Iudæis ad tempus, donec ſynagoga cū *Actor: xvi.* honore ſepeliretur, id quod ex actibus apoſtolicis co*Acto: xxi.*gnoſcere licet, & doctoribus grauiſsimis.

Sabbatum ex diuina inſtitutione celebrari præce*Dies dominicus pro ſabbato itroductus*ptum, excluſum ab apoſtolis, idq; præter ſcripturæ autoritatem, & introducta dies dominica, vt inter cætera conſtat ex cap: i. apocalypſis. Iiſdem apoſtolis *PRÆCEptum Chriſti de baptiʒmo, quomodo à diſcipulis ſeruatum.* Chriſtus mandarat, homines baptizandos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: illi vero in nomine CHriſti Ieſu baptizare aliquando non veriti ſunt, vt ex actibus apoſtolorum liquet, vbi cap: 2. ſcriptum habetur. Baptizetur vnuſquiſq; veſtrum, in nomine Ieſu Chriſti. Quæ verba ſunt Petri apoſtoli. Et cap: 8. Baptizati tantum erant in nomine Chriſti Ieſu. Decimo item. Petrus iuſsit eos baptizari, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Et 19. Baptizati ſunt in nomine Chriſti Ieſu. Contextus verborum præcedentium locorum euidens eſt, quem ad prædictum modum interpretandum eſſe, ex Ambroſio de ſpiritu ſancto, & *Amb: li. i. ca. iij. de ſp. ſcto.*

Basil: ca: xij, ad Amphilo. Aug: sm: xc, ī Mat: de uerbus domini.

Basilio ad Amphilochium, Augustino item & cæteris colligere est. Id autem non citra rationem fecere apostoli, quò sczt illius seculi hominibus personam filij, & summam per eum in genus humanum exhibitam beneficentiam, notiorem redderent, et menti altius infigerent, prædicantes interim, & credentes trinitatem sanctam esse, eamq; inseparabilem, atq; ita nominata persona filij, cæteras comprehendi, fide cordi hominis ita dictante. De qua re diuus Ambrosius. Si vnum, inquit, in sermone comprehendas, aut patrem, aut filium, aut spiritum sanctum, fide autem nec patrem, nec filium, nec spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum, hæc ille.

Ambrosius de spiritu sancto lib: i, cap: iij.

Applicatio.

Quodsi apostoli testamentum seruatoris in prędicta re minimè perfregisse, neq; Christo sapientiores fuisse (sicut quidam contra instantes obijciunt) iudicandi sunt: cur non idem etiam de ecclesia sentiunt quidam? quę iudicauit non esse de necessitate salutis sacramentum eucharistiæ sub vtraq; specie extra missam accipere, neq; id esse contra mandatum Christi: persuasum habens tantum esse sub vna, quantum sub vtraq;, cum accipiamus integrum Christum, ex humana natura & diuina constantem.

Damas: lib: iij ca: xiij. orthodoxæ fidei. Romanorū vi Virtus euch. uirtus eucharistiæ unde pēdet. Cōcil: Cōstāt. Basiliē. Florē.

Non enim diuinitas, Christi humanitatem, quam semel accepit, deserit, neq; Christus diuiditur, nec amplius moritur, vt apostolus ait. Virtus item eucharistiæ non pendet ex speciebus, sed ex viuifica carne, & sanguine Christi prouenit, quem sub alterutra specie integrum contineri iudicauit ecclesia. Iam verbis illis Christi

Verbis domini ī extrema cœna nō obligari laicos, ad utrāq; speciē.

illis Christi in extrema cœna, aiunt docti, laicos ad speciem vtramq; non obligari. Alioqui cum æque generaliter dictum sit: hoc facite in meam commemorationem, omnibus Christianis esset pręceptum, vt consecrarent. Aut si hæc verba non præcipientis sunt, vt illa: bibite ex hoc omnes, sed potestatem tradentis, omnibus esset collata consecrandi potestas, soli tamen sacerdotes consecrant. Proinde qui olim in Boëmia, eam rem vrgebant, non his quæ in cœna domini acta & dicta sunt, ad persuadendum sunt vsi, verum illis magis ex capite Ioannis sexto. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c. Quæ verba istis ad id comprobandum non conferunt, qui sentiunt in illo capite Christum locutum de spirituali manducatione tantum quæ fide constat, de qua inferius.

Scopus descriptionis cœnæ domini apud Paulum.

Et diuus Paulus Corinthijs describēs cœnam domini, non hoc potissimum agit, vt modum sub vtraq; specie eucharistiæ præscriberet, nam certum est Corinthios eo vsos fuisse. Verum vt quemadmodum neminem suorum, à sacrosancta mensa Christus abiecit, & corpus suum quasi symbolum vnitatis & charitatis Christianæ dedit: ita nec à suis conuiuijs quæ dominicam cœnam representabant, arcere eos pauperes, nec contemnere doceret, ac ad reuerentiam tanti sacramenti inuitaret, hoc antecedentia, & sequentia verba indicant.

Solutio argumēti ex Ioā: Nisi manducaueritis. &c. Pighius contro: vij.

Antea (vt ad argumentum prædictum respondeam) quorundam, quamuis non sana sententia, ex verbis Chri-

bis Christi apud Ioannem proximè citatis ducta fuerat, vt assererent æque communionem sub vtraq; specie, ac baptismi sacramentum, omnibus ad salutem necessariam. Proinde & mox baptizatos, quamuis vsu rationis carerent, infantes, atq; etiam amentes altaris sacramento reficiebant, quem morem diu durasse in primitiua ecclesia scripta Dionysii, Cypriani, Augustini indicant. Sed hanc sententiam, & euidens ratio, & apostolica sententia redarguit. Nam nulla ratio admittit, vt Christus, qui vult omnes saluos fieri, quicquam constituerit ad salutem prorsus necessarium, nisi quod non difficulter posit exhiberi omnibus. At eiusmodi est vnicum baptismi sacramentum, quod facile potest exhiberi in hanc lucem æditis quibuslibet, quamuis infantibus, atq; aliter mente captis, atq; vsu rationis carentibus: non verò sui corporis & sanguinis sumptio, sub speciebus panis et vini in eucharistia. Quæ vt edantur ac bibantur, ab infantibus nondum assuetis solido cibo, et potui, immo quibus nihil potest iugeri, quàm lac ex maternis vberibus, prorsus fieri non posset: Sed nec stultis, & mente captis, nisi persuasis, quod non posset semper fieri. Non est ergo instituta à Christo, vt omnibus ad salutem necessaria. Rationi huic Paulus apostolus subscribit qui nõ vult sumi eucharistiam, nisi ab his qui se ante probauerint. Quod facere non possunt, nisi quibus est rationis vsus et iudicium. alioqui indignè sumi affirmat, & ad iudicium, nec deesse diuinam vltionem in hac etiam vita,

aliter sumentibus. Locus notus est cap: xi. epistolæ 1. ad Corinthios. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui eñ manducat, et bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit, nõ diiudicãs corpus dñi. Ideo int' vos multi infirmi, & imbecilles, et dormiunt multi. Quare catholica Chr̃i ecclesia, veram sentẽtiam Christi verborũ assecuta. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: intelligit verba hæc non dici omnibus, sed his tantum qui iuxta apostolicam sententiam, seipsos probare possunt, & diiudicare corpus domini à profano & communi cibo, et propterea damnauit eorum sententiam, qui ex verbis Christi volunt necessarium omnibus ad salutem, manducare carnem filij hominis, & bibere eius sanguinem, æque vt renasci ex aqua & spiritu. Ita credit *Adaptatio.* suos filios sub panis tantum specie, eucharistiam sumentes fideliter, non fore expertes illius vitæ, quam idem ille negat habituros eos, qui carnem ipsius non manducauerint, & sanguinem eius nõ biberint, vt quę intelligit, totum esse Christum sub specie panis, vt di- *Rationes sumptiõis euchar.* ctum est. Adhæc vna specie accepta perinde potest recoli memoria passionis Christi, & admoneri homo arctissimæ coniunctionis ecclesiæ catholicæ inter se, et Christi cum ea, tum gratia dei augeri in homine, & vita spiritualis ab eodem acquiri, si dignè hoc sacramentum acceperit, hæc enim tres potissimum rationes sunt sumptionis eius sacramenti.

Solutio obiectionū: & calumniarū quarundam.

Si isti temerè pergunt ordinem spiritualem furti arguere, quòd vnam speciem eucharistiæ laicis det: magis secundum eosdem apostoli, sacrilegij damnandi essent. Maius enim peccatum est, duas personas diuinitatis ommittere seu non nominare in baptismo (quod aliquando, vt dixi, fecerunt apostoli) quàm sub vna specie sacramentum eucharistiæ dare. Iidem, sacerdotibus crimini dant, quòd in consecratione corporis domini dicant, hoc est corpus meum, non adijcientes, quod pro vobis tradetur. Condemnandus igitur erit illis Matthæus euangelista eodem crimine, nam ille hæc verba prætermisit, Lucas verò addidit. Queruntur isti, sibi iniuriam fieri, quòd sacerdotibus sub vtraq; specie accipiētibus, illis sub vna detur. Expostulent igitur cum Christo qui solis sacerdotibus consecrationem eucharistiæ concessit, non etiam laicis, à quibus sacerdotes ratione eius sacramenti differunt, quòd consecrant & offerunt Christi corpus (de quo paulo post) laici non item. Duobus enim modis, ex doctrina orthodoxorum, sacramentum hoc diuinissimum consyderatur, nempe, vt rationem habens panis illius viui, & viuifici, quo etiam nobis viaticum dicitur. Et vt oblationem illius agni immaculati, pro mundi salute, in ara crucis referens, vtq; oblatio illa mūdæ eius salutarisq; hostię à nobis reiteratur in hoc mysterio. Primo modo, vt à specie panis illius ipsum sufficientissimè significatur, ita integra eius plenitudo & efficacia sub eadem creditur exhiberi fidelibus.

Calumnia.

Sacramētum EVcharistiæ duobus modis consyderatur

Secundo

Secundo modo vtramq; requirit speciem. Ita enim refert illam hostiam, vt in ara crucis oblata est, in qua in remissionem peccatorum nostrorum vniuersus sanguis eius effusus est, & separatus à corpore. Quare alia illic corporis, alia sanguinis figura est, quamuis sub vtraq; totus integerq; Christus. De hoc secundo à nobis latius tractatur inferius. Sed & sacerdotes in die parasceues tantum sub vna specie eucharistiam accipiunt, aut cum extra missam sacramentum sumunt.

Sumptio eucharistiæ sacerdotū in parasceue.

Ipse Lutherus, in cuius verba isti iurarunt, idem aliquando non reprehenderat, immo faciundum censuerat cuidam, ea de re ab illo consilium capienti, vt relatu cuiusdam nobilissimi et docti viri, aulici inclytissimi regis Polonię accepi, qui hoc ipsum ex ore Lutheri audiuerat, cum aliquando Vittembergę cum eo hac de re collocutus fuisset, præsente quoq; Philippo Melanchtone, qui etiam in locis communibus, anno domini 1523 ni fallor, vel quinto impressis, scripserat, indifferens esse, sub vna specie, vel sub vtraq; sacramentum corporis accipere, quod scriptum meis oculis vidi. Et Lutherus respondens suis collectoribus in catalogo sententiarum, & in declaratione de eucharistia affirmat, quòd sub vna specie æque ac sub vtraq; integrè Christus cū corpore & sanguine exhibeatur.

Sententia Lutheri & Philippi Melan: de una specie sacramenti.

Non negandum est communionem sub vtraq; specie à laicis etiam vsurpatam, quod ex literis sacris, & vetustissimis scriptoribus liquet. Paulus Corinthios auertere volens à mensa idolorum, quam frequentabant, hæc

Cōmunio, sub utraq; specie laicis usurpata olim.

1 Cor: x.

bant, hæc illis inter cætera ſcribit. Calix benedictio-
nis cui benedicimus (id eſt quem cum gratiarum acti-
one ſumimus) nonne communicatio ſanguinis Chri-
ſti eſt? Et panis quem frangimus nonne participatio
corporis domini eſt? quoniam vnus panis, & vnum
corpus multi ſumus, omnes quidem de vno pane, &
de vno calice participamus. Et Paulo poſt. Non pote-
ſtis bibere, calicem domini, & calicem dæmoniorum.
Hic Paulus non ſacerdotibus tantum loquitur, vt vi-
dere licet. Iuſtinus martyr apo: i. pro chriſtianis. Ab-
ſoluta, inquit, gratiarum actione præſulis, & ominati-
tione plebis, diaconi quos vocamus, dant ſingulis præ-
ſentibus partem panis & calicis diluti &c. Cyprianus
ſermõe 5. de lapſis. Solennibus adimpletis, calicem di-
aconus offerre præſentibus cæpit. Et mox loquens de
paruula quadam. Calicem, ait, recuſare videbatur.

Hæc autem authorum dicta intelliguntur de ſacra-
mento corporis & ſanguinis domini, vt antecedentia,
ſequentiaq́; autorum ſcripta euidẽter oſtendunt. The-
odoritus lib: ix. hiſt: tripar: de diuo Ambroſio The-
odoſium Cæſarem corripiente, hæc ſcribit. Quomo-
do manus extendes, de quibus adhuc ſanguis ſtillat in-

olim euchariſtia dabatur laicis ĩ manus

iuſtus? Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſan-
ctum domini? qua temeritate, ore tuo poculum ſan-
guinis precioſi percipies? Talia eius rei teſtimonia, a-
pud authores orthodoxos inuenire licet. Quin et ĩ ca-
none, vt vocant, miſſæ. Quando autem, & quo autore
mutatus ſit mos geminæ communionis, non conſtat
doctiſsimis

doctiſsimis etiam, indeq́; colligere licet, hanc mutati-
onem eſſe vetuſtiſsimam, cuius ex vetuſtioribus etiam
exempla quędam proferunt. Et certè ſi recentior eſſet
hæc mutatio, procul dubiò conſtaret.

Quando mutatus mos geminæ cõmunĩois, ignoratur.

Non deſunt qui dicant, & tempore apoſtolorum
alicubi euchariſtiam, ſub vna ſpecie accipi ſolitam, cu-
ius rei ex literis ſacris, & authoribus proferunt teſti-
monia, veluti diſcipulos duos in Emaus, quos Lucas
ſcribit dominum cognouiſſe in fractione panis, vbi
Theophilactus intelligit diſtributionem ſacramenti.

Teſtimõia ex literis ſacris, pro cõmunione ſub una ſpecie.

Lucæ xxiiij.

cum eo ſentiunt Auguſtinus lib: 3. de conſenſu euan-
geliſtarum, Chryſoſt: homilia 17. ſuper Matthæum,
Beda ſuper Lucam: præterea apoſtolos & fideles, in
eccleſia Hieroſolymitana quos commendat Lucas in
hoc, quòd erant perſeuerantes in doctrina apoſtolo-
rum, communione & fractione panis, & orationibus.

Acto: ij.

Item illud Lucæ in actibus. Vna Sabbati, cum conue-
niſſent ad frangendum panem. Et Ioan: 6. dixit Chri-
ſtus. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Actor: xx.

In quibus quidem locis, quòd nulla ſit mentio vini, in-
ferunt tandem, ſub ſpecie vna communicationem.
Quamuis aduerſarij in his locis dicant eſſe locutiõem
ſynechdochicam, vt pars ponatur pro toto, quod ta-
men catholici negant, affirmantes etiam rationem cõ-
municandi variatam olim in eccleſia occidentali, vt
nunc ſub vna ſpecie, nunc ſub vtraq́; ſacramentum eu-
chariſtiæ, à laicis perciperetur, idq́; propter hæretico-
rum euitanda contagia, vt non ſolum verbis, ſed rebus

Ratio cõmunicandi olim uariata.

N ipſis po-

ipsis populus doceatur, falsis hæreticorum dogmatibus non acquiescere. Romæ tempore Leonis primi pontificis repullulascere cœperat impietas Manichæorum, quæ affirmabat Christum non in vero, sed in phantastico et exangui corpore, ad nos venisse, proinde dominicum corpus, sub panis tantum specie sumebant, abstinentes à calice, quòd exangue eius corpus fuisse atque esse crederent. Ob id igitur Leo pontifex præcepto aut edicto exegisse communicationem sub vtraque specie narratur, ad confundendam Manichæorum insaniam. Vnde constat vsitatam communionem, tunc sub vna specie fuisse. Itaque pro ratione mutatiōis temporum, de eucharistia diuersa apud authores & pontifices inueniuntur præcepta, veluti illud Gelasii distin: 2. de consecratione, vbi de abstinentibus à calice hæc dicuntur. Aut integrum sacramentum percipiant, aut ab integro arceantur. Quamuis affirment quidam id sacerdotibus præceptum esse. Sed & alia non pauca, veluti ne eucharistia laicis daretur in manus quod aliquando fiebat, id quod prohibuit Rotomagensis concilij canon secundus, nulli sczt laico aut fœminæ docens eucharistiam in manus ponendam, sed in os, quod & hodie fieri videmus. Item cibis ante refecti quidam sumebant eucharistiā, quod faciendum negat Africani concilij caput octauum, excepto vno die anniuersario, quo cœna domini celebratur. Quod etiam abrogat canon 29. concilij sexti generalis, Præterea laici olim sanguinem dominicum canna haud

Leo sermone iiij, de ieiunio quadragesimali.

Præceptum Gelasii.

Obseruatiōes circa euchar: sumptionem.

canna haurire soliti erant, quod tamen nunc videmus sublatum. Sed vrgent isti Gelasii decretum, quo dicitur, sub vna specie non sumi plenum sacramentum sacramentaliter, & diuisionem vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio fieri non posse. Neque catholici negant id. Nam quia sacramentaliter accipere, est sub istis speciebus accipere, qui vtrunque non accipit, non plenum sacramentum sacramentaliter accipit, & ideo in celebratione sacramenti vbi integritas requiritur sacramentalis, vtrunque necessario est sumendum. Affirmant tamen sub vna specie, plenum & totum Christum accipi. Cuius acceptionis vsum fuisse quandoque in ecclesia ante mille ducentos annos, vel plures, colligi potest ex Eusebio, Ambrosio, & alijs, quorum scripta protulimus, vbi de sacramento corporis domini extra vsum tractamus.

Solutio obiectionis.

Ferunt tacito quodam Christi fidelium, & prepositorum ecclesiæ consensu, communionem sub vna specie, quæ ad laicos pertinet, receptam, quòd apud plerasque nationes, præsertim illo tempore magna fuisset vini raritas, ob quam aliquādo impossibile esset, vt totus populus communicaret sub vini specie: & aliquando ęgroti morituri, propter defectum vini, eucharistiam suscipere non possent, à quo etiam, vino inquam, multi abhorrent. Adhæc ne hac occasione in eum ducerentur errorem, vt crederent sub vtraque specie, non æque Christum contineri, sicut Nestoriani sensisse narrantur: tum propter alias rationes. Hæc consuetudo

Cōmunio sub vna specie quo modo tandem recepta.

consuetudo cum magno consensu, magna etiam laicorum pace et concordia, obseruata est seculis aliquot. Tandem Ioanne Hus apud Boëmos ecclesiam perturbante, quidã Petrus Dresensis Germanus patria pulsus (vt Aeneas Syluius, & Bomfinius scribunt) cum Pragam Boëmiæ ciuitatem venisset, Iacobellum quẽdam concionatorem in hanc sententiam pertraxit, vt crederet, populumq; publicis concionibus doceret, sine communione calicis neminem saluari posse, cui dogmati cæteri consenserunt. Controuersia hæc deinde in concilio Constantiensi primum, & postea Basiliensi agitata, conclusumq;, communicandi sub vna specie morem, ad salutem sumentium æquiualere, & tam efficacem esse, quàm alterum sub vtraq;: neq; eum communicandi modum à quibusdam reprobari debere, quem ecclesia propter ratiõales causas elegit pro temporum ratione, neq; immutari sine ecclesiæ autoritate oportere. Si verò quispiam hac in re, aut quacũq; alia, Græcam sequi mauult, quàm Romanam & vniuersam occiduam ecclesiam, quæ illi in orthodoxa, & catholica fide coniungitur, ille mauult Christum contra Christum in deserto quærere, in angulis, & penetralibus, quàm in illo corpore ecclesiasticæ domus & ædificij illi Cephæ inædificati, certo inuenire. De quo diuus Hieronymus ad Damasum. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunq; extra

Controuersia de vtraq; specie, quando et quomodo sumpsit originem.
Æneas lib: de origĩe Boëmorum.
Bomfinius in Chronicis ungar.
Iudicium ecclesiæ de perceptione eucharistiæ sub una specie.
Concil: const: sessione iij.
Concil: Bas. ses: xxx.
Solutio obiectionis.
Hieronymi sententia.

hanc do-

hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Hęc Hieronymus eo tempore, quo factiones Arianorum, quanquam expulsæ plerisq; locis, tamen in aliquot adhuc ecclesiis aut regnabant, aut ambiebant regnum, veluti & hodie cernimus. De hac materia ante, & in oratiõe de corruptissimis moribus &c. egimus latius.

Quemadmodum autem apostolorum tempore ecclesia à spiritu sancto dirigebatur, ita & sequentibus temporibus, iuxta promissum Christi. Alium, inquit, paracletum dabit vobis pater, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Et alibi. Ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem seculi. Quæ quidem promissio, non pertinet ad hæreticos & schismaticos ecclesiæ vnitatem deserentes, & proscindentes, sed ad eos qui vnitatis et charitatis sunt studiosi, quam peculiare quoddam insigne suorum esse Christus declarauit, cum diceret. Per hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si charitatem mutuam inter vos habueritis. Et cum oraret patrem inquiens. Non pro eis tantum rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Vnde Cyprianus martyr, in sermone de ablutione pedum. Ipse, inquit, summus sacerdos sui sacramenti institutor, & auctor, in cæteris homines spiritum sanctum habuere doctorem. Et sicut par est spiritui sancto, & Christo diuinitas: ita in suis institutis æqua est

Ecclesia spiritu sancto regitur.
Ioan: xiiij.
Mat: vltimo.
Ioan: xiij.
Ioan: xvij.
Cyprianus.

 autoritas

autoritas & potestas: nec minus ratum est, quod dictante spiritu sancto apostoli tradiderũt, quàm quod ipse tradidit, et in sui commemorationem fieri praecepit, manet singulis propria dignitas, & vniformis in suo genere stat actio omnium. Hæc Cyprianus. Qui, quod de apostolis dixit, id de sententia ecclesiæ catholicæ (cuius etiam apostoli membra sunt) sentiendum est, quatenus spiritus sanctus eius ductor est, iuxta promissionem Christi. *Ioan: xiiij.* Alioqui si à veritate ad salutem spectante aberrasset, Christus mendacij coarguendus esset: et Paulus apostolus, qui ecclesiam columnam & firmamentum veritatis esse dixit, *i Timot: iij.* quod non solum dictu, verum & cogitatu impium, & blasphemum est. Adhæc catholica nõ esset, quod affirmare, symbolum fidei destruere est, quo nos profitemur credere ecclesiam catholicam, pro qua Christus in extrema cœna patrem rogauit. Quodsi ecclesia audienda est, vt Christus præcepit, eumq; tanquam ethnicum & publicanũ habendum, qui id non fecerit. *Cõfirmatio iudicij ecclesiæ, de communione sub una specie.* Præterea illa, ceu columna veritatis, vt loquitur Paulus, controuersiarum in religione iudex sit, vt superius, & in oratione de corruptissimis moribus &c. ostendimus, *i Timot. iij.* signis etiam veræ ecclesiæ in qua nos sumus ostensis: illa autem sic decreuit & definiuit, nec priuato cuiquam, sine autoritate illius ea mutare præcepit: cur non obsequuntur isti? cur damnant, & erroris insimulant ecclesiam? Quodsi in hunc modum faciendum est, redibunt Arius, Macedonius, Nestorius, & omnis hæreticorum olim dam-

olim damnatorum colluuies reuocabitur ab inferis. Nam (vt dici solet) necesse est vni sustinendo mendacio accomodari multa. Mendacium enim in varia distrahitur, et instar catenæ, plurima sibi connexa habet, vno igitur arrepto, cætera trahuntur. Et veluti in findendis arboribus, si acies cunei ictibus adacti, parum quidpiam arbori inhæserit, facile tandem totus cuneus incutitur: sic & de erroribus sentiendum est. *Simile.*

Cuius rei, vt vetera ommittam, præsens seculum nobis euidentissima suppeditauit exempla.

DE SECTIS HVIVS TEMPESTATIS.



HOC SECVLO ENIM: CVM LVtherus authoritatem ecclesiæ sperne re cæpisset, eamq; erroris insimulare, in communione laicorum sub vna specie, & quibusdam alijs paucis, subsecutæ tandem sectæ variæ, quas viri docti, per genera & species descripserunt, tres præcipuas sectas ponentes. Anabaptisticam, Zvuinglianam, Confessionariam, quorum singulæ, plures sectas inter se hostiliter dissidentes continent. Anabaptistica, Adamitas sic dictos, quòd innocentiam Adæ se imitari

FREdericus Staphylus in epitome trimembris theologiæ Lutheri. Et author tabularũ collectarum ex scriptis D. Vilhelmi Lindani Dordraceni. &c.

ſe imitari profiteantur. Stebleros qui cenſent peccatum eſſe apud magiſtratum de iure contendere, nec vim vi repellere, baculum portant, gladium nullum gerunt. Libertinos ex ipſa re appellatos, quia omnem religionis ſuæ curam in libertate carnis locent, quos Caluinus oppugnat. Sabbatarios qui ſabbatum colere ſe dicunt oportere, nec de Chriſti diuinitate rectè ſentiunt, procliues ad Iudæorum Meſsiam. Clancularios qui exiſtimant ſibi licere ſi rogentur, an ſint Anabaptiſtæ? negare, vt vitent periculum. Manifeſtarios contrarium prædictis ſentientes. Dæmoniacos, qui contendunt, ſicut Origeniſtæ, olim etiam dæmones ſaluos fore. Sunt & aliæ ſectæ Anabaptiſtarum, qui etſi in defedando baptiſmo variè conſentiant, tamen in pleriſq; alijs diſsident.

Altera ſecta et eius ſpecies

Altera ſecta ab Vlricho Zvuinglio Zvuingliana appellata, verum & ſubſtantiale corpus Chriſti non eſſe in ſacramento euchariſtiæ, in qua ſunt ſignificatiui, qui hæc verba: hoc eſt corpus meum, ſic interpretantur, vt verbum, eſt, exponi debeat, pro ſignificat. Tropiſtæ qui non attento verbo eſt, tropum eſſe in voce corporis, vt intelligendum ſit pro corporis figura. Energici ſentientes corpus domini intelligi debere pro energia corporis, quaſi effectum pro cauſa per metonymiam. Ita Caluinus. Arrabonarij ab iſtis omnibus diuerſum ſtatuentes. Aiunt enim cœnam domini cum præbetur, dari tanquam arrabonem corporis, et quaſi inueſtiturã donati prædij, aut alicuius domus.

Ita Fran-

Ita Franciſcum Stancarum docere aiunt. Præterea ſunt qui corpus domini adeſſe quidem concedunt, ſed eorum alij, quod ſub pane, alij cum pane, alij in pane, alij circa panem. Huc Suencfeldiani accedunt, à Gaſpare Suencfeldio nomen ducentes, qui adeò verum corpus domini negant eſſe in euchariſtia, vt non dubitent, Chriſti naturale corpus, poſteaquam in cœlũ aſcendit, in diuinam naturam transmutatum eſſe, contendere: ac propterea externa ſigna eſſe vana, internũ ſolum ſpiritum ſufficere, quæ hæreſis latè patet.

Tertia ſecta.

Tertia ſecta confeſsioniſtarum, qui Auguſtanam confeſsionem ſe dicunt profiteri. Principem huius ſectę ferunt extitiſſe Philippum Melanchtonem, ſed inuidia ſociorum ab hoc gradu penè depulſum. Eius ſectę præcipuus ſcopus fuit, ſemper ſedem apoſtolicam, et quod in Chriſtiana fide catholicum eſt (ne vczt vlla ſit apoſtolicarum clauium poteſtas) funditus delere, habet factiones tres, in quarum prima rigidi & Stoici confeſsioniſtæ ponuntur, vulgo Illyricani dicuntur. Melanchton θρασυδείλους appellat, hi à placitis Lutheri, ſiue bona illa, ſiue mala ſint, penitus non recedendum arbitrantur. Præcipui duces ſunt eius, Illyricus, Gallus, Amſdorfius, Sneppius, Morlinus, Veſtphalus, Sarcerius, hi abſurdiſsima Lutheri mordicus ſibi defendenda putant, vt nullum eſſe homini liberum arbitrium, omnia euenire neceſſariò, vt ne liberum quidem præbere aſſenſum homo poſsit, adeòq; hominem nõ plus ſentire quid in ſe deus agat, quam incus, quam

factiones tertiæ ſectæ.

 malleus,

malleus, opera non esse necessaria ad salutem: nullos ritus, aut ceremonias in ecclesia admitti oportere, quę tamen Lutherus partim ambiguè scripsit, partim retractauit. Itaq; hi Stoici confessionistæ cum cætera sint rigidi Lutherani, tum in hisce quæ dicta sunt Luthero assentiri videntur in genere præter alios, in specie autem degeneres ab eo longius recesserunt, etiam inter se distracti diuersis opinionibus. Quidam enim sunt Antinomi, qui legem, neq; ante, neq; post iustificationem iudicant necessariam esse. Deinde Samosatenenses, qui negant in principio euangelij Ioannis dictionem ὁ λόγος personam significare. Illyricus eius antiquę hęreseos resuscitandę autor esse à Melanchtone fertur. Sunt & infernales, negantes Christum re ipsa descendisse ad inferos, infernum enim suum cuiusq; sepulchrum. Antadiaphoristæ item quorum alij nonnullas ceremonias admittunt, sed quas ipsi instituunt nouas, non veteres. Alij planè nullos ritus nisi quos Lutherus præscripsit, fieri in ecclesia putant oportere. Et Antisuencfeldiani, qui cum Suencfeldium refutant, omnia ponentem in spiritu, literam prorsus reijcientem: ponunt illi contra omnem viam salutis in vocali verbo ecclesiastici ministerij, sine quo nemo possit credere, aut salutem consequi. Antosiandrini, & hi admodum varij, adeò vt quatuordecim iustificationes, inter se penè omnes pugnantes ab ijs prolatæ fuisse legantur, dum alij sanguinem Christi, alij passionem, alij satisfactionem, alij transitum illius, esse formalem ho-

malem hominis iustificationem assererent. Anticaluiniani qui tametsi perpetuam ecclesię catholicę doctrinam de eucharistia non complexi sunt, id tamen pro catholico consensu, contra priuatam opinionem Caluini rectè defendunt, corpus domini verum & naturale esse in eucharistia, non tantum energiam corporis. Sunt manus impositorij, qui in Pomerania altercantur, vtrum impositio manuum sit sacramentum. Bisacramentales qui solummodo baptismum, & cœnam domini in sacramentis ponunt. Ita sentit maxima pars Illyricanorum. Sunt contra trisacramentales, tria sacramenta tantum admittentes.

In secunda confessionistarum factione molles illos philosophos et elegantes ἐπιεικῶς ponunt, quorum principem Melanchtonem, & Maiorem, Lipsensesq; theologos, & alios eiusdem farinæ esse dicunt: quibus sunt sua priuata dogmata, & inter aliquot ipsorum communia, vt, esse nonnullum liberum arbitrium, fidem principaliter, opera bona, minus principaliter iustificare, vt de particula, sola, non esse dimicandum, Et quod de cœna domini Caluinus rectius sentiat, quàm Lutherus. Et quædam præterea. Sed nec isti quidem de fundamento concordes sunt. Maioristæ enim docent, bona opera esse necessaria ad salutem, neminem absq; bonis operibus vnquam saluatũ, absq; operibus impossibile quenquam saluari. Adiaphoristæ asserentes ecclesiasticas constitutiones, atq; ceremonias esse res indifferentes, quas siue obserues, siue repudies,

Secunda factio cõfessionistarum.

repudies, in pari ſis conditione. Sunt quadraſacramentales, quod quatuor ſacramenta ex ſeptem recipiant, baptiſmum, euchariſtiam, claues, ſacrũ ordinem.

Lutherocaluiani, qui Berengarianum dogma de euchariſtia ſic temperant, vt Caluini ſacramentariam hæreſim, iam in confeſ: Aug: à principibus approbatã perſuadere conentur, quod quidam de Melanchtone teſtificantur. Reperiuntur quoq; qui inter Oſiandrianos & Antoſiandrinos amniſtian ſanciendam cenſeant, vt diſsimulatis vtrobiq; erroribus contentio tota tradatur obliuioni. Ita Illyricum in apologia ſua de Melãchtone cõqueri aiũt. Medioſiandrini ſunt, Brentius, cæteriq; theologi Tubingenſes, hi enim cũ Oſiander hominem eſſentiali dei iuſtitia iuſtum dixiſſet: & Illyricani hominem ſola imputatione iuſtum diceret, correxerunt vtroſq;, media via interpoſita: quod ſczt in hac vita homo imputatiue iuſtus reputetur. In felici autem patria fore illum ea iuſticia iuſtum, qua deus per eſſentiam iuſtus eſt.

Tertia factio confeſsioniſtarum.

In tertia factione ſectæ reperiuntur quatuor recalcitrantes vocati qui etſi non apertè à confeſsione Auguſtana reſiliſſe exiſtimari volunt, non obſcurè tamen Luthero magiſtro ſuo auſi ſunt obluctari.

Primas in hac factione tenent Suencfeldiani, qui ſacramenta omnia, inprimiſq; vocale verbum miniſterij, tanquam literam occidentem reſpuunt, & ſolo ſpiritu nos contentos eſſe debere docent. Præterea humanam Chriſti naturã poſteaquam in cœlum aſcẽdit,

in diuinam penitus mutatam eſſe. Itemq; & fidem, & charitatem, & iuſtitiam, quibus homo iuſtus efficitur, eſſe diuinæ naturæ particulas. Iudam non percepiſſe veram euchariſtiam, in cœna domini. Et alia quędam. Oſiandrini ea habent cum Suencfeldianis communia, quod charitas et iuſticia, et ſapientia (non tamen fides) quibus homo à deo iuſtus & ſapiens conſtituitur, ſint ipſa dei eſſentia.

Priuatum Oſiandrinorum eſt quod Chriſtus, ſolum modo ſecundum naturam diuinam iuſtificet hominem. Quod item homo, cum ſit imago dei, fiat omnino eadem imago illa quæ eſt Chriſtus filius dei & Mariæ &c.

Stancariani aduerſus Oſiandrum ſcribentes affirmabant Chriſtum iuſtificare hominem iuxta ſolam humanam naturam. &c. Antiſtancariani, quò Stancarum expeditius refellerent, contendebant Chriſti diuinam naturam quoq; vnà cum humana in cruce paſſam mortuamq; fuiſſe, idq; iudicium ipſius Lutheri eſſe affirmabant. Ex illa igitur Lutheri Lernea hydra, tot capita eſſe procreata, viri docti teſtes oculati, vt pote inter illos verſati prodiderunt, indieſq; noua enaſcuntur, adeò vt vix inuenias cui cum altero in vniuerſum conueniat vnoquoq;, quod ſibi proprij capitis ſententia ſuggeſſerit, ſentiente, & pro affectibus ſuis, ſcripturam ſacram exponente, quò ſecurius poſſint ſuis voluptatibus, vti cœno prouolui, quas cum non intelligant (animalis enim homo, ait apoſto-

i Cor: ij.

lus, non percipit ea quæ sunt spiritus dei.) fit vt antidotus vertatur eis in venenum. Vnde seditiones, bella ciuilia oboriuntur. Indicuntur apud eos synodi, fiunt conuentus, disputatur à doctoribus, vt malum restingui possit, sed frustra. Nam cum ecclesia catholica iudex cōtrouersiarum, quæ etiam nobis scripturam tradidit, ab illis neglecta sit, infecta re soluuntur conuentus, vnoquoq; pro libidine sua scripturam sacram interpretante. Quo quidem modo, nunquam, aut ægerrimè lites cessabunt, ad quas rectè dirimendas iudice æquo opus est.

Synodi hæreticorum.

Interim verò, proh dolor, multorum salus periclitatur, plurimi erroribus intricati decedunt.

IN DOCTRINA RELIGIONIS ANTIQVI, ET ORTHODOXI SCRIPTORES SEQVENDI.



ANDEM SCRIPTVRAM SAcram, quam recentiores habent, legerunt vetustissimi et grauissimi doctores Græci & Latini, neq; tamen senserunt cultum & fidem, quam maiores nostri, & nos profitemur, idololatriam esse, vt isti aiunt, quod scripta illorum indicant

indicant his qui ea diligenter legunt, euoluunt, loca locis conferendo, quod in interpretandis scripturis apprimè necessarium est. Porro in exponendis scripturis diuinis, cæterisq; rebus, sententiam antiquissimorum, et orthodoxorum scriptorum potius sequendam esse, quàm recentiorum ab eis dissidentium, nemo prudens negauerit, quòd illi apostolorum temporibus viciniores, quidam etiam discipuli eorum fuêre. Scripturas item sacras, tanquam vngues, digitosq; suos nouerant, vt pote summam operam illis impendentes, & linguarum cæterarumq; scientiarum periti, à peccatis, quoad eius fieri potuit, alieni, pietatisq; studiosi. Qui etiam hæreticorum illorum acutissimorum, ora impia obturarunt, doctrinamq; suam, sanctimonia vitæ comprobarunt, quam etiam quidam illorum pro Christo profuderunt. Quapropter deo illos placuisse certissima indicia extant. Recentiores verò contraria ferè omnia habent, vt in epistola præliminari hac de re diximus. Variabant quidem antiqui sancti sententijs interdum, contendebant verò penè nunquam, id quod recentiores faciunt, vt à nobis monstratum est, quod quidem indicium est maximū illos à spiritu dei alienos esse. Non eñ docente Paulo, deus autor est dissensiōis, sed pacis. Quòd aūt illi religionē hanc et cultū, qui in ecclesia catholica retinet̄, et à recētioribus damnatur, approbarūt & obseruarunt, eius rei ex scriptis illorū euidētissima ꝓducā testimonia non trūcata illa, vt isti solēt, idq; secūdū numerum septem sacramentorum nouæ legis &c̄.

Antiqui non contendebāt.

i Cor: xiiij.

Ratio tractationis sequentium.

DE CEREMONIIS BAPTISMI, ET ERRORIBVS RECENTIORVM IN EO.



VNCTIONIS IN BAPTISMO in quo ex aqua, & spiritu sancto, docente Christo, spiritualiter renascimur, meminit Clemens diui Petri discipulus lib: 3 recogni: et 2. epistola. Eandem Iustinus martyr, vir doctissimus, ante mille quadringentos annos non improbauit, in ecclesiaq; Christi fuisse ostendit, cum diceret. Vngimur vetere oleo, vt fiamus Christi, id est, vncti. Et Cyprianus martyr lib. i. epistolarum. Vngi quoq; necesse est eũ qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, id est vnctione, esse vnctus dei, & habere in se gratiam Christi posset, cuius olei sanctificationis meminit ibidem. Origenes lib: 5. in cap: 6. ad Romanos. Baptizati sumus in aquis visibilibus, & Chrismate visibili. Diuus Augustinus de exufflatione & exorcismis, in baptismo paruulorum hæc inquit. Paruuli exufflantur & exorcisantur, id est, coniurantur, vt pellatur ab eis potestas diaboli inimica, quæ decepit hominem, vt posideret homines. Et lib: 2. contra Pelagium & Cœlestium de originali peccato, cap: xl. Paruuli fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exufflatur potestas contraria, cui etiã verbis eo-

Ioan: iij.

Iusti: quæst. cxxxvij. ad orthodoxos.

Exsufflatio exorcismi: Aug: lib: i, ca pi. i, de symb. fidei ad Catechum.

verbis eorum à quibus portantur se renunciare respondent. hæc ibi Augustinus, & alibi pasim. Ab eo non dissentit Basilius cap: 27. lib: de spiritu sancto, qui ea quæ circa baptisma fiunt, vt benedictio aquæ baptismatis, olei vnctionis, renunciatio Sathanæ & angelis eius, & alia id genus à tacita, & arcana traditione processisse affirmat.

Aquæ benedictio.

Cui & Tertullianus vicinus temporibus apostolorum subscribit de corona militis. Ambrosius in libro de his qui iniciantur, vestis candidæ, quam baptizatus accipit, meminit. Eorum mysteriorum quæ symbolicòs fiunt, quædam celebrauit Christus in euangelio (vt ait Ambrosius) quando surdum & mutum curauerat, digitis in aures eius missis, & lingua illius, sputo misso tacta. Item cum luto facto ex sputo & terra, oculos cęci nati illeuerat. Et in discipulos flauerat. Qm̃ autem Christiani dicente Petro, facti sunt regale sacerdotium, quòd sczt deo spirituales hostias offerant, non immerito in baptismo vnguntur, veluti olim in veteri lege, reges & sacerdotes: quo quidem denotatur vnctio spiritus sancti. de qua illud Psalmographi. Propterea vnxit te deus tuus oleo læticiæ prę consortibus tuis. Renunciationis Satanæ in baptismo, exemplum est, apud Paulum ad Titum. Abnegantes, inquit, impietatem, & secularia desyderia, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo.

Ambr: cap: i, de hisqui iniciantur.

Marci vij.

Ioan: ix.

Ioan: xx.

i Pet, ij.

Psal: xliiij.

Renunciatio Satanæ apud Paulum. Tit: ij.

Paruulis etiam baptismum dare ecclesia ab apostolis traditionẽ suscepit, inquit Origenes lib: 5. in cap: 6. ad Roma-

Paruulorum baptismus.

ad Romanos. Sciebant enim, ait idem, illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinę sordes peccati, quæ per aquã et spiritum ablui deberent, hæc ibi Origenes & in alijs plurimis locis.

Augustinus epistola 28. ad Hieronymum. Quisquis, inquit, dixerit, quod in Christo etiam viuificabuntur paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat. de qua dicit apostolus, per vnius delictum in omnes homines ad condemnationẽ. hæc Augustinus ex Paulo apostolo ad Roma: 5. comprobans infantes, propter vnum peccatum originale, si baptizati non fuerint: condemnari. Idem Augustinus lib: 4. contra Donatistas de baptismo cap: 24. asseuerat baptismum paruulorum esse traditionem apostolicam, proferens etiam testimonia valoris eius baptismi ex canonica scriptura, in qua præceptum erat, vt infans masculus die octauo circumcideretur, licet nondum corde credere poterat, vt ei deputaretur ad iustitiam. Adijciens id non ob aliud fieri solitum, nisi quia ipsum per seipsum sacramentum multum valebat. Quod & in filio Mosis per angelum manifestatum dicit, qui cum adhuc incircumcisus

Infantes non baptizati dãnantur.

Gen: xvij.

Exo: iiij.

incircumcisus à matre gestaretur, præsenti & euidenti periculo: vt circumcideretur, exactum est, & cum factum esset, depulsa est pernicies. Et lib: 5. hypognosticon contra Pelagianos disputans, inter cætera producit Christi verba ex Luca. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Epistola xxiij. ad Bonifacium docet infantes in baptismo regenerari, per oblationem voluntatis eorum quorum gestantur manibus, & ab ecclesia. Ad quod facere affirmat vnum eundemq; spiritum. Infantes item baptizatos credere, & fideles dici propter fidei sacramentum.

Lucæ xix.

Lutherus, & alij quidam docent, paruulos baptizatos habere fidem, qua verè credant, propriam: immo tanto synceriorem, quanto in eis minus viget ratio, vt quæ semper fidei sit impedimento. Quod quam absurdum sit, quiuis, modo sit mentis compos, facile iudicare potest. Quis enim nisi delyrus credat, paruulos habere actum fidei, cum vsum rationis non habeant? Vnde Augustinus epistola 106, paruulos iustificatos dicit eius muneris merito, quod vtiq; cum profuit, nescierunt. Idem asserit alibi. Et Bernardus epistola 77. Sanè infantes quia prohibente ætate habere non possunt fidem, hoc est, cordis ad deum conuersionem, consequenter neq; salutem possunt habere, si absq; baptismi perceptione moriuntur.

Error Luther.

De baptismo paruulorum, idem sentiunt cæteri, Græci & Latini doctores, quos hic recensere longum esset, immo tota ecclesia catholica.

Pelagianus error. Peccatum originale esse, negarunt Pelagiani, neq; eo Christianorum infantes contaminatos esse affirmarunt, sed mundos, vt Augustinus lib: 2. de nuptijs, & concupiscentia cap: 29. Et alibi pasim contra Pelagianos scribens docet. Hunc errorem hoc seculo reuocarunt Anabaptistæ, quin et Caluinus, & Bucerus aliqua ex parte vt quidam referunt.

Error Luthe. Peccatum originale in baptismo non remitti, sed manere non imputatum, aliquando Lutherus docuit, quæ hæresis erat Masilianorum, vt scribit Damascenus de hæresibus.

Concupiscentia post baptismum manēs. *Confeßio Ducis Virtemb.* Porro concupiscentiam, quæ post baptismum manet, sentire peccatum esse, atq; ita manere peccatum post baptismum, vt opinantur quidam, Pauli dictis id confirmantes. Video aliam legem, inquit Paulus, in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Et Augustini lib: i. de nuptijs, & concupiscentia cap: 25. Respondetur dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen, donec sanetur infirmitas nostra &c. Atqui diligentius expendenti, manifestum est id ex Augustino colligi non posse, nam et ibidem mox dicit. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cum fit, sicut scriptum est. Propitius dominus omnibus iniquitatibus nostris &c. Et libro eodem cap: 23. Ipsa, inquit, concupiscentia, iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atq; vt ea perpetret, à regina mente membra non dantur, vt si non fit quod scriptum est. Non concupisces, fiat saltem quod alibi legitur. Post concupiscentias tuas non eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quòd peccato facta est, & peccatum si vicerit, facit reum, reatus eius valet in generato, quem reatum Christi gratia per remisionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodammodo iubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio quam facit lingua, & manus vocatur scriptura quam facit manus. Itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. Hæc Augustinus. Qui etiam lib: 3. cap: 3. contra duas epistolas Pelagianorum, ait baptismum abluere peccata omnia prorsus, omnia factorum dictorum, cogitatorum, siue originalia siue addita, siue quę ignoranter, siue quę scienter admissa sunt. Ex Augustini verbis liquet, quomodo verba Pauli superius citata intelligenda sunt. Alioqui Paulus ipse sibi esset contrarius, cum alibi dicat. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum. &c.

Exo: xx. *Eccle: xviij.* *Concupiscentia quomodo uocatur peccatum.* *Tit: iij.*

Error Luthe. Idem Lutherus, vt ante retulimus, ad Valdenses affirmarat præstare prorsus ommittere baptismum in paruulis

paruulis, quàm baptizare eos sine fide. Ex quibus verbis fluxit origo Anabaptistarum, quos postea ille non scriptis modo, sed extremo etiam affligendos voluit supplicio. *Anabaptistæ* Rebaptizant autem Anabaptistæ baptizatos, vnde & nomen habent. Paruulorum item baptismum damnant, & alijs rationibus baptismum conspurcant, de quibus ante diximus. Fuit hæc heresis olim Donatistarum, contra quos diuus Augustinus scripsit.

Cypriani opinio. *Augu: lib: de unico baptismo contra Petilianum.* *Cypria: epist: ultima: lib: i.*

Cyprianus martyr episcopus Cartaginensis, & quidam alij, existimabant olim, vt Augustinus refert, & ex ipso Cypriano cognoscere licet, in hæresi, vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in ecclesia catholica. Id tamen decretum refutatum, constitutumq; vt antiqua regula à patribus super hoc tradita seruaretur, quæ continebat hæreticos sola manus impositione purgandos. *Regula de nō rebaptizādis. Cap: xi.* Regulam hanc Augustinus comprobat in libro contra Petilianum de vnico baptismo, inter cætera hec dicēs. Fieri potest vt aliqui verum habeant baptisma, et non habeant veram fidem, sicut fieri potest vt habeant verum euangelium, quod non rectè intelligendo falsi aliquid credant de deo. Nunquid propter ipsam fidei falsitatem, etiam euangelium, quod verum apud eos inuenitur, detestādum aut emendandum putabimus? *i. Cor: i.* Nec illos Corinthios arbitror, inquit, quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse, in eo quod dicebant. Ego sum Pauli, hoc enim falsum erat. Verum

Verum tamen baptismum habebant, ex cuius veritate, vt istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Et item. Qui dicit destruendum esse baptismum Christi, quando illo hæretici baptizabant, consequens est, vt dicat negandum esse etiam ipsum Christum, quando eum dæmones etiam confitentur. Hinc laudatus est Petrus, quando dixit. *Mat: xvi.* Tu es Christus filius dei viui, expulsi sunt dæmones hoc ipsum dicentes. Scimus qui sis filius dei. *Marci i.* Ergo ista confessio Petro fructuosa, dæmonibus perniciosa, in vtrisq; tamen non falsa, sed vera, non neganda, sed agnoscenda, non detestanda, sed approbanda est. Sic & baptismi veritas datur à rectis catholicis, tanquam à Petro illa confessio. Datur à peruersis hæreticis, tanquam à dæmonibus. Eadem ipsa confessio, illos adiuuat, hos condemnat, in vtrisq; tamen agnoscenda, approbanda, in neutris negando, violanda. Hæc Augustinus, et alia plura. Qui alibi docet, cur baptismus iterandus non sit. *lib: de uera et falsa pœnitē. cap: iij.* Qui baptizatur, inquit, mortem crucis et sepulturam Christi repræsentat in immersione sua. In signo enim crucis quisq; in aqua submergitur, & submersus, sepultus ostenditur. *CVR Baptismus non iterādus.* Non enim qui lapsi sunt, per iteratum baptismum consequi veniam poterunt. Sicut enim semel Christus crucifixus est: sic baptismus iterādus non est. *Rom: vi.* Vna enim morte sua omnes redemit, vt amplius mori non oporteat. Quod videns ecclesia, intellexit non iterandum baptismum. Huc pertinere

Heb: vi. pertinere dicit illud Pauli ad Hebræos. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei, & ostentui habentes, hoc est, ludibrio. Ita Paulus. Qui per illuminatiōem intelligit baptismum. *Expositio loci PAVLI.* Veteres enim sacramentum baptismi, sacramentum φωτισμάτων id est illuminationum vocant. Porro non dicit impossibile pœnitere, sed renouari ad pœnitentiam, pœnitētiam scīt baptismatis, vt inquit Cyrillus. Nam de ea satis indicat verbum renouationis, quando per solum baptismum verè innouamur, ab omni prorsus culpa et pœna liberi. Et de ea quoq; pœnitentia intelligi indicat locus sequens: rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei &c. Sicut enim Christus semel crucifixus, & mortuus, nunquam iterum moritur, ita semel baptizatus in Christo, nunquam iterum baptizatur: quem qui iterare cupit, quantum in se est, Christum rursus sibi crucifigi cupit. Ex hoc loco Pauli non bene intellecto Nouatus negauit semel in peccatum post baptismum lapsos, ad pœnitentiam recipiendos. *ERror NOVATI.*

Canonis apostolici expositio. Producunt quidam 67. canonem apostolorum, ex quo probare nituntur, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos, quòd in fine canonis scriptum sit. Qui à talibus, hæreticis scīt, baptizati aut ordinati sunt, hi

neq; fide-

neq; fideles, neq; clerici esse possunt. Verum vt docti aiunt, hoc intelligendum, de hæreticis qui iuxta ritum ecclesiæ catholicæ, nec ordinabant nec baptizabant, vt Paulianistę & Cathaphrigę, qui sine inuocatiōe trium personarum, dispensabant baptismi sacramentum, à quibus baptizati (vt explicat canon 19 concilij Niceni. & can: 95 sextæ synodi) sunt rebaptizandi. *Hæresis quædam.*

Baptismum aquæ non esse necessarium, quod quidam recentiores affirmant, error est Seleucianorum et Hermianorū teste Augustino ad Quoduultdeum. *ERROR.*

Chrisma conspuendum, & conculcandum, sicut quidam recentiorum docent, error est Donatistarum apud Optatum. *ERROR.*

Cyprianus in sermone de vnctione Chrismatis. Chrisma sacrum conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, regiæ et sacerdotalis glorię exprimit vnitatem, quibus dignitatibus iniciandis, diuinitus est vnctio instituta. Et item. Ex huius vnctionis beneficio, & sapientia, nobis & intellectus, diuinitus datur, consilium et fortitudo cœlitus illabitur, scientia & pietas & timor inspirantibus supernis infunditur &c̄. Et paulo post. Sicut Christus à Chrismate dictus est, eo quòd singularis excellentiæ oleo vnxerit eum deus, ita & participes eius quotquot sunt, consortes sunt tam vnctionis, quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, vt sint sui Christo duce, rectores & duces, & offerant deo quotidianum sacrificium, ordinati à deo sanctimonię sacerdotes. hæc & alia Cyprianus. Fabianus *CHrisma.* *CHRistiani.*

 papa

papa martyr, ante annos mille trecentos, confectionem Chrismatis singulis annis, in epistola ad episcopos orientales traditionem esse apostolorum docet. Falluntur igitur hi qui Chrismatis vnctionem Syluestri constitutionem esse affirmant, cum Fabianus eo antiquior fuit & Dionysius, Origenes itē, vt superius retulimus, eius meminerunt. Quod igitur de Syluestro à quibusdam refertur, de vsu Chrismatis, id non de nouo ab eo institutum fuit, sed magis explicatum, aut restauratum, si alicubi obliteratum fuit.

Opinio quorūdam falsa.

Iam quod ad id refellendum, Paulum producunt: posteaquam cognouistis deum, quin potius cogniti estis à deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire vultis? Sed illi non rectè. Nam vt Augustinus cap: 9. lib: 3. de doctrina Christiana docet. Sub signis seruire, est ea venerari, ignorantes quid significent. Ait tamen ibidem. Qui non intelligit quid significet signū, et tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere. hæc Augustinus. Quodsi per verba Pauli hæc abijcere velint, cur non abijciunt etiam aquam ex baptismo. Quod iā aliqui sentiūt contra præceptū Christi affirmātes etiā in verbis illis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c̃ aquæ nomē ꝑ mortificatiōe acceptū vel certè epitheti vice adiectū vt vim & naturā spiritus sancti exprimeret. De quo diximus superius.

Solutio obiectiōis ex Pau: Gal: iiij.

CALVINus Ioan: iij.

DE CONFIRMATIONE.



CONSTAT EX DECRETIS Melchiadis pontificis & martyris, qui ante mille trecentos circiter annos floruit. Ex scriptis item beatorum pontificum, Damasi, Innocentij, & aliorum vetustissimorum vsum confirmatiōis in ecclesia olim fuisse. Quæ quidem est gratiæ in baptismo acceptæ augmentum et confirmatio. Huius exemplum in actibus apostolicis extat, vbi missi sunt ab apostolis Petrus & Ioannes, vt baptizatis in nomine Iesu manus imponerent. Et baptizatis manus Paulus imponebat, & accipiebant spiritum sanctum. Quin & apostoli, etsi ante spiritum sanctum insufflante in eos Christo acceperant, tamen eiusdem participes facti, in die pentecostes. Quoniam differentes sunt gratię spiritus sancti, vt Paulus apostolus docet. Itaq; vt Chrysostomus, et cæteri scribunt, acceperant apostoli, insufflante in eos Christo, potestatem quandam, & donum spirituale, vt scīt remitterent peccata. Post ascensionem autem misso spiritu, signorum & aliorum charismatum virtus illis data est. Ideo dicit: accipietis virtutem venientis in vos spiritus sancti. Vnde baptizati chrismate per sacerdotem, in capitis vertice signantur, per pontificem verò in fronte, vt in priori vnctione significetur spiritus sancti descensio, ad habitationem deo consecrandam, in secunda verò, vt eiusdem spiritus

Gratia: de cōsecrat: dist.v.

CONfirmatio quid.

Acto: viij.

Acto: xix.

Ioan: xx.

i Cor. xij.

Vnctio chrismatis.

ſeptiformis gratia veniret & augeretur.

Solutio obiectionis.

Quod verò recentiorum quidam in confirmatione & baptiſmo, ſuperuacaneam illitionem chriſmatis affirmant, inde adeò quia apoſtolos manuum tantum impoſitione, & oratione vſos fuiſſe ſcriptura teſtatur. Cæterum ſciendum eſt apoſtolos tantiſper exteriori vnctione chriſmatis (quę denotaret internam & inuiſibilem ſpiritus ſancti inunctionem) non eſſe vſos nec ea opus habuiſſe, quantiſper ſpiritus ſanctus in ſigno viſibili deſcendebat in confirmatos, quod per impoſitionem manuum apoſtolorum, in primis illis eccleſiæ crepundijs factum legimus, poſtea verò dilatata eccleſia id apoſtolos tradidiſſe, vt viri grauiſsimi docent.

Hieronymus.

Diuus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos huius conſuetudinis in eccleſia meminit, vt epiſcopus imponeret manum his, qui in recta fide baptizati ſunt, quam quidem obſeruationem, ibidem docet, ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſionem domini ſpiritus deſcendit, & multis in locis idem factitatum reperimus, inquit, magis ad ordinem totius ſacerdotij, quàm ad legis neceſsitatem, vbi hæc etiam addit: Eccleſię ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & omnibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit, vt ſine chriſmate, et epiſcopi iuſſione, neq; presbyter neq; diaconus ius habeant baptizandi, quod frequenter, ſi tamen neceſsitas cogit, ſcimus etiam licere laicis. hæc ille. Auguſtinus cap: 52. de dogma-

Propter ordinem ſacerdotij totius, quæ dã fiũt ab epiſcopis ſolis.

Salus eccleſiæ in quo pendeat.

de dogmatibus eccleſiæ, confirmandos manus impoſitione et chriſmate communiendos docet. Idem contra literas Petiliani lib: 2. cap: Ciiij aſſerit ſacramentũ chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſſe, ſicut ipſe baptiſmus eſt.

Teſtimonium prędictorum de confirmatione Clemens beati Petri ſucceſſor, tam in cathedra, quàm in martyrio confirmat in epiſtola ad Iulianum, & Iulium epiſcopos dicens. Omnibus feſtinandum eſt, ſine mora renaſci deo, & demum conſignari ab epiſcopo, id eſt ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti percipere, quia incertus eſt exitus vniuſcuiuſq; vitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi ſpiritus gratia ab epiſcopo confirmatus, quia perfectus aliter eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſsitate, ſed iniuria, aut voluntate remanſerit, vt à beato Petro accepimus, & cæteri ſancti apoſtoli, præcipiente domino docuerunt, & demum ex operibus bonis oſtendat in ſe ſimilitudinem eius qui eum genuit, patris. hæc Clemens. Meminit huius & Dionyſius cap: 4. hierarchiæ eccleſiaſticæ.

CLEMENS de confirmatione.

Lutherus ipſe aliquando aſſeruit confirmationem eſſe ſacramentum.

Luthe: de poteſtate Papæ.

Cum autem pleriq; eorum qui baptizantur, infantes ſunt, nec fidei, profeſsionẽ per ſe ædunt, non eſt inconueniẽs quòd adulti de religiõe Chriſtiana inſtructi, ad percipiendũ confirmatiõis ſacramentũ accedunt, fidemq; Chriſti & obediẽtiã eccleſię ſuo ore profitetur.

DE CONFESSIONE AVRICVLARI.



ONFESSIONEM SECRETAM in ecclesia catholica fuisse, ex vetustissimis authoribus constat. Non erubescat (inquit Clemens diui Petri successor, cuius etiam testimonio aliquando vsus Iustinus martyr & Basilius magnus) qui animæ suæ curam gerit confiteri huic qui præest, nimirum sacerdoti, vt ab ipso per verbum dei, et consilium salubre curetur, quo possit integra fide, et operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere &c. Idem colligitur, ex discipulo diui Pauli Dionysio Areopagita, quem, apostolo Paulo concionante, credidisse cum quibusdam, diuina scriptura testatur. Is in epistola ad Demophilum, qui procidentem sacerdoti peccatorem repulerat, hæc inter cætera scribit. Tu procidentem sacerdoti impium, calce abiecisti, ac repulisti, cum ille quidem verecundè, quod oportuit, fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse. hæc ille. Porro hunc Dionysium apostoli discipulum fuisse, inde præter cætera constat, quod in scriptis suis faciat mentionem Timothei, discipuli Pauli et Carpi, cuius epistola 8. sic meminit. Cum aliquando venissem Cretam, sanctus Carpus me suscepit hospitio &c. Carpum autem tempore Pauli fuisse Georgius Pachimeres Græcus in paraphrasi testatur: hic, inquit, est Carpus, de quo 2. ad Timotheum epistola meminit Paulus. Et licet discipulus Pauli non fuisset, veluti quidam recentiorum opinantur, liquet tamen ex scriptis illius, & aliorum, vetustissimum scriptorem esse.

Dionysius Areopagita. Acto: xvij.

Dionysius discipulus Pauli.

CARPVS.

Tertullianus apostolorum temporibus vicinus, de pœnitentia scribens, inter cætera opera eius, hæc recenset: presbyteris aduolui. Vbi etiam enumerationē peccatorum innuit, plerosq; arguens, qui publicationem sui, aut suffugiunt, aut de die in diem differre præsumunt, pudoris magis memores quàm salutis.

TERTVLLIANVS.

Cyprianus martyr sermo: 5. de lapsis loquens de his qui leuius peccauerunt, hæc ait. Quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes dei dolentes, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt animi sui, pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, deus non irridetur. Et paulo post. Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui delinquit, in seculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio per sacerdotes apud deum grata est.

CYPRIANVS.

Origenes in Leuiticum. Cum, inquit, lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ panes die ac nocte, et cū non erubuerit sacerdoti domini indicare

ORIGENes homilia ij, ubi ostēdit vij modos remittendorum peccatorum.

indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundum eum, qui ait: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hieronymus in ecclesiastis cap: 10. Si tacuerit qui percussus est, à diabolo sczt, & non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri aut magistro voluerit confiteri, magister qui habet linguam ad curandum, facile ei prodesse non poterit, si enim erubescat ægrotus vulnus suum confiteri, quod ignorat medicina, non curat. Et in commentariis super Matthæū. Alligat vel soluit episcopus, & presbyter, non eos qui insontes sunt, vel innoxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quiue soluendus. Ambrosius in libro exhortatiōis ad poenitentiam. Non solum post poenitentiam, ait, ab istis peccatis intus homo debet se obseruare, sed etiam ante poenitentiam dum sanus est, quia nescit si possit ipsam poenitentiam accipere, & confiteri deo, & sacerdoti peccata sua. hæc ille. Similia verba immo ferè eadem loquitur Augustinus homi: 41. in 50. homiliis. Idem homilia 49. Nemo sibi dicat, occultè ago poenitentiam, apud deum ago, nouit deus qui mihi ignoscit, quòd in corde ago. Ergo sine causa dictum est. Quæcunq; solueritis in terra, soluta erunt & in coelo. Ergo sine causa claues sunt datæ ecclesię dei? Et paulo post, Iob dicit. Si erubui in conspectu populi, confiteri peccata mea. Talis iustus thesauri domini obrisi, tali camino probatꝰ ista dicit, et resistit mihi filius pestilētię,

Psal: xxxi.

HIERONYMVS.

In xvi, cap: Matt.

AMBROSIVS.

Matt. xvi.

Ioan: xx.

Iob, xxxi.

et erubescit

et erubescit genu figere sub benedictione dei, quod non erubuit imperator, erubescit nec senator, sed tantum curialis: erubescit plebeius, siue negotiator, quod non erubuit imperator. Quę est hæc superbia? Nonne sufficeret gehennæ etiamsi adulterium nullum esset? hæc ille. Quę etsi de publica poenitentia dicta sunt, vt ex ipso Augustino liquet, tamen ad confessionem secretam referri possunt. De qua idem alibi. Sunt, inquit, quidam, qui sufficere sibi existimant, si soli deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua crimina confiteantur. Nolunt enim aut dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem constituit dominus. Sed nolo vt decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri Christi vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione. Nam ipsius est subeundum iudicium humiliter, quem dominus suum non dedignatur vicarium, ergo ad te venire roges sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Ita Aug: cap: 4. lib: 2. de visitatione infirmorum. Chrysostomus in sermone de poenitentia apertè enarrationem peccatorum expressit inquiens. Non sufficit dicere, peccator sum, sed operæprecium est, speciatim peccatorum meminisse. Idem homilia 3. in Matthęum. Confessio, inquit, peccatorum, testimonium est conscientię timentis deum. Qui enim timet iudicium dei, peccata sua non erubescit confiteri, qui autem erubescit, non timet, per-

In aulicos & negotiatores.

CHRYSOSTOMVS.

R fectus enim

fectus enim timor soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessiōis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid non cernit, quòd confessio peccatorum habet pudorem? & quòd hoc ipsum erubescere, pœna grauis est? Sed ideo deus magis iubet confiteri peccata, vt verecundiam patiamur pro pœna. Hactenus ille. Quæ verba non videntur debere intelligi de publica confessione, aut illa qua quis tantum diceret sacerdoti in genere: peccaui, quæ pudorem & verecundiam non habet, sicuti secreta, atq; ob id prædicta ad eam referri optimo iure possunt. Sozomenes in tripartita historia, ostēdit in Græca ecclesia, olim secretam confessionem fuisse, cum dicit: presbyterum bonæ conuersatiōis, seruantemq; secretum, ac sapientem constitutum fuisse, ad quem accedentes hi qui deliquerunt, delicta propria faterentur, quibus ille secundum vniuscuiusq; culpam, indicebat & mulctam. Quem morem postea sublatum scribit à Nectario episcopo Constantinopolitano, ob matronam à diacono compressam in templo, in quo illa secuta præceptum presbyteri sæpissimè versabatur, deo supplicans. Ex quo quidem loco, quidam tollere nituntur confessionem peccatorum secretam. Cæterum ob id planè confessiōem clancularíam damnandam, & abolendam in ecclesia esse, docti negant. Nam hoc Constantinopoli tantum factum à Nectario episcopo, ob hoc magis vt furori populi tumultuantis occurreret. Sæuiebat enim plebs, vt refert Sozomenes, in sacerdotes, quasi

li:ix, Tripar: hist: ca: xxxv

Confessio secreta à Nectario sublata.

tes, quasi per eos facta esset iniuria ecclesiæ. Neq; Sozomenes consilium auferendæ necessitatis confitendi, et relinquendi vnumquenq; suæ conscientiæ iudicio probat, cum ipse arbitretur minora peccata, ob pudorem confessionis & subtilitatē examinantium patrari.

Iudicium Sozomenis de cōfessione secreta.

Proinde, aiunt, antiquam consuetudinem confitendi Constantinopoli post Nectarium reuocatam. Vnde et apud Rutenos, qui Grecorum ecclesiam sequuntur, secretæ confessionis vsus est. Non desunt, qui ex Chrysostomo, qui Nectario proximè successerat, proferant locos quosdam contra secretam confessionem, vt inter cæteros illum, in epistolam ad Hebrços. Non dico tibi, inquit, vt te prodas in publicum, aut apud alios accuses. Hęc tamen quidam non ad secretam confessionem, sed ad publicam pœnitētiam referunt. Sed et alij alijs modis exponunt, de quo paulo inferius.

Autor enchiridij conc: Coloni: Gratianus dist: i, de pœnitentia.

Secretæ confessionis & publicæ pœnitentiæ, quæ in conspectu totius ecclesiæ, vt qui scandalizati erant de notorio, & enormi peccato, emendarentur de correctione & pœnitentia, extat testimonium apud Origenem circiter annum domini ducentesimum scriptū. Vide (inquit ille in psal: 37.) quid nos edocet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut hi qui habēt intus inclusam escam indigestam, aut phlegmatis humorem stomacho grauiter, & molestè innitentem, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, siquidem & occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur,

Origenes homilia secūda.

vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, aut humore peccati. Si autem peccator ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, suum peccatum confitetur, simul euomit delictum, & omnem morbi causam digerit. Tantum modo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicũ cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi compatiendiq; disciplinam nouerit, vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias, & sequaris. Etsi intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius ecclesiæ exponi et curari debeat, ex quo fortasis et cæteri ædificari poterunt, & tuipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. hactenus Origenes. Quem audis clare distinguentem confesionem publicam, & qualis in publica pœnitentia peragebatur à priuata, quam ab ipsis apostolorum temporibus, vsq; ad nos in ecclesia vsitatam, ex prædictis constat, & non ab eo tempore, quo Nouatianorum hæresis damnata est, vt quidã volunt.

Confeßio priuata.

ad obiectionẽ ex Chrysostomo responsio.

Licet autem Chrysostomus magni nominis scripturæ diuinæ interpres, illud de secreta confesione intellexisset, tamen ea in re authoritas ecclesię, quæ est columna & firmamentum veritatis, vt apostolus ait. quamq; nos credere profitemur, præferenda est, præsertim cũ illud si sensisset Chrysostomus, loco, & tempori seruiret, vt dictum est.

i Tim: iij.

Secretam confesionem in literis sacris habere testimonia, & exempla catholici affirmant. Nam scriptum est in euangelio quòd populi Ioanni baptistæ, confitebantur peccata sua. Et in actibus apostolorum scribitur, multos credẽtium venisse ad apostolos confitentes actus suos. Et Christus ipse tacitè indicauit confesionem cum dixit. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et item. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo &c̃. Quid eñ soluet, aut ligabit sacerdos, quid remittet, aut retinebit, si nihil ei confessum erit? Nouaciani, vt refert Ambrosius lib: 1. cap: 2. de pænitentia, aiebant se domino deferre reuerentiam, cui soli dimittendorum peccatorum potestatem reseruarent: cum tamen, ait Ambrosius, nulli maiorem iniuriam faciant, quàm qui eius mandatum volunt rescindere. Ille enim dixit. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. hæc ille. Maximus certè fastus est, nolle confiteri peccata sacerdoti, quem Christus ligandorum, & soluendorum peccatorum potestate dignatus est. à quo quidem sacerdote, consilium, consolationem, absolutionem confitens refert. De hoc Augustinus, claues, inquit, dedit ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent & in cœlo, quæ ligaret in terra, ligata essent & in cœlo, scilicet vt quisquis in ecclesia eius dimitti sibi peccata non crede-

Basilius de vita mona. &c.

Mat: iij.

Acto: xix.

Ioan: xx.

Nouaciani.

Fastus nolle cõfiteri sacerdoti.

lib: i, ca: xviij de dodri:

non crederet, non ei dimitterentur. Quisquis autem crederet, seq; ab his correctus auerteret, in eiusdem ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide, & correctione sanaretur &c. hæc ille. Cæterum quod attinet morosam, & nimis anxiam singulorum peccatorũ cum circumstantijs enumerationem, in ea illud Dauidis spectandum est. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo. Enumeranda itaq; peccata, quæ non anxiè nimis, sed tamen diligenter cogitanti, & sese excutienti, in mentem veniunt, iuxta illud Pauli. Si nosmetipsos diiudicaremus, vtiq; à domino non iudicaremur, dum autẽ iudicamur, à domino corripimur.

Numeratio peccatorũ morosa.

Psal: xviij.

i Cor: xi.

Verbum autem Grecum, quod hic versum est per dijudicare, significat examinare, & condemnare, vt hęc condemnatio referatur ad peccata nostra. De qua re Theodoritus Græcus super illud Pauli. Probet seipsum. Tu, inquit, tuijpsius arbiter esto, & eorum quæ in vita gesisti, iudex non indiligens, conscientiam tuam scrutare, & tunc dei dona suscipe. neq; enim sufficit rectè de hoc sacramẽto sentire, nisi puram mentem à peccato afferas.

Locus Pauli.

Confesionem secretam ex recentioribus Beatus Rhenanus saluberrimam esse, neminem posse inficiari ait, si morositatem, & nimiam scrupulositatem amputes. Quid enim, inquit, per deum immortalem, vtilius posit habere ecclesia ad continendam disciplinam? quid commodius, quàm priuatam confesiõem, ad populum

Beatus Rhenanus.

ad populum in necessarijs erudiendum? vbi horulæ spacio plus proficit laicus, quàm triduana concione. Hęc et alia ille in argumento libri Tertulliani de pœnitentia. Lutherus de captiuitate Babylonica, affirmat homines debere sua peccata recensere iuxta præcepta decalogi. Et Caluinus ca: ix. de pœnitentia non improbat, cum quispiam in aliqua dubitatione existens, inquietumq; animum habens, pastori suo secretum animi vulnus aperit.

Lutherus.

Caluinus.

DE SATISFACTIONE PARTE POENITENTIÆ.



TERTVLLIANVS VICINVS temporibus apostolorum. Cyprianus martyr pietate & doctrina insignis. Ambrosius, Augustinus, & cæteri, multis ante seculis, non irriserunt satisfactionem, non illam satisfactionem dico, quæ est meritoria remisionis peccatorum, et abolitoria mortis æternæ, quæ soli Christo tribuitur: Verum hanc satisfactionem, quæ est pars pœnitentiæ, fundata in priore, quę peragitur emendatione, oratione, ieiunijs, eleemosynis, & alijs pijs vitæ spiritualis exercitijs, idq; pro expiandis reliquijs peccati, aut pro tollendis, aut mitigandis pœnis temporalibus, quæ nostris sceleribus debentur, iuxta illud Pauli. Si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; à domino iudicaremur. Porro culpa vel

i Cor: xi.

Reatu dimis- culpa vel reatu dimisso à deo secundum rationem &
so, pœna ple- peccati punitionem deputari, sacra scriptura testatur,
rumq; manet. quæ docet Moysen & Aaron, qui ad aquas contradi-
Nume: xx. ctionis offenderant dominum, eidem non tam fiden-
MOYSES et AARON. ter quàm debebant dantes gloriam, tametsi eius offen-
sæ mox remisionem obtinuerunt, pœnam tamen of-
fensæ etiam post veniam perferre debebant, neq; in-
gressi sunt in terram promissionis. Maria item soror,
Nume: xij. eius rei exemplo est, quæ detractionis in Moysen, eti-
MARIA. am post remissum peccatum lepram, dierum septem
Populus Israeliticus. pœnam perferre debuit. Et Israëliticus populus, qui
cum incredulitate & rebellione, qua detrectabat, post
reuersos exploratores, terram promissionis ingredi,
deum offendisset, ad Moysis instantissimam oratio-
nem, & populi pœnitentiam, remisit quidem illi pec-
catum, non tamen pœnam eius. Dimisi, inquit Moysi,
iuxta verbum tuum. Attamen omnes homines qui vi-
derunt faciem meam, & signa quæ feci &c. non vide-
bunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. Sed &
DAVID. Dauid qui etsi aliquando dixerat. Dixi confitebor ad-
Psal: xxxi. uersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti
Psal: xxxvij. impietatem peccati mei. Nihilominus gemitibus ac
Psal: vi. lachrymis, vigilijs etiam, post veniam, carnem suam
macerauit, et afflixit. Cui suppliciter veniam poscenti,
dixit Nathan: dominus quidem transtulit peccatum
ij Reg: xij. tuum, non morieris. Verumtamen quia fecisti inimi-
cos blasphemare nomẽ domini, propter verbum hoc,
filius qui natus est tibi morietur: Non recedet gladius
de domo

de domo tua in sempiternum. Quæ quidem Dauid
perpessus, & alia multa. Rursus cum animaduerteret *ij Reg: xxiiij*
se offendisse deum, in numerando populo, dixit ad
dominum. Peccaui valde in hoc facto, sed precor do-
mine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè e-
gi nimis. Et quamuis hæc diceret Dauid, tamen cum
ex tribus pœnis, quarum per prophetam data erat illi
optio, pestilentiam elegisset, eam dominus in Israël
immisit. Item abolito originali peccato, eius pœnæ *Pœnæ pecca-*
manent, quæ sunt omnia corporis incommoda, atq; *ti originalis.*
adeò mors ista corporalis.

Punitionem autem illam, quam pro remissis pec-
catis, deus à nobis exigit deprecari nos posse, & nosi- *Deprecatio*
psos vltionem animaduersiõis auertere, testis est Pau- *pœnæ.*
lus cum diceret. Si nosmetipsos iudicaremus, non v-
tiq; dijudicaremur, cum autem iudicamur, à domino *i Cor: xi.*
corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Te-
stis est Niniue, testis Dauid, qui cum angelum vide-
ret cædentem populum, oratione impetrauit, vt ces-
saret plaga, quæ alioqui triduana constituta fuerat. Et
alij multi. Hac igitur ratione satisfactio, quæ est pars
pœnitentiæ, ab orthodoxis & grauissimis scriptori-
bus, non improbatur, immo fieri præcipitur.

Tertullianus de pœnitentia. Tantum releuat con-
fessio delictum, quãtum dissimulatio exaggerat. Con- *Vocabulũ sa-*
fessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio *tisfactionis &*
contumaciæ. Item. Ieiunijs preces alere, ingemiscere, *preceptũ eius*
lachrymari, et mugire dies noctesq; ad dominum deũ,

tum presbyteris aduolui, & aris dei adgeniculari. Basilius magnus summæ primę cap: 4. Pœnitentiam, inquit, agentibus, non sufficit ad salutem secessus solus à peccatis, verum opus est ipsis etiam fructibus pœnitentia dignis. Quod confirmat ex Matthęo verbis Ioannis ad pharisæos & Saducæos, ad baptismum venientes dicentis: facite fructus penitentia dignos &c.

BASILIus.

Cyprianus martyr, sermone v. de lapsis. Dominus, inquit, orandus est, dominus nostra satisfactione placandus. Et item. Ad dominum toto corde redeamus, iram & offensam eius ieiunijs, fletibus, planctibus, sicut admonuit ipse, placemus. Et in eodem sermone arguens quosdam falso errore, & pestifera quorundam doctrina persuasos, fidem redintegratam, his qui lapsi aut in fide, aut in confessione fuerant cum contritione, & reuersione ad deum sibi sufficere.

CYPRIanus.

Agite, inquit, pœnitentiam plenam dolentis, & lamentantis animi, probate mœstitiam, nec vos commoueat quorundam error inprouidus, aut stupor, qui cum teneantur tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, vt nec intelligāt delicta, nec plangant. Et post pauca, pacem sibi vltro nemine dante sumpserunt, falsa pollicitatione seducti, & apostotatis perfidis iuncti, errorem pro veritate sumpserunt, communionem non communicantium ratam ducunt, hominibus contra deum credunt, qui contra homines deo non credunt. Eiusmodi homines quantum potestis effugite, perniciosis contactibus adhærentes, salubri cautio-

Tales hodie multi.

bri cautione vitantes. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsa peius interficit, sola illic superest pœnitentia, quæ satisfaciat, qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactiōis viam claudunt, ita fit, vt dum temeritate quorundam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Idem epistola 3. lib: 1. contra hæreticos quæritur. Datur inquit opera, ne satisfactionibus, & lamentationibus iustis, delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur, pax vera, pacis falsæ mendacio tollitur, salutaris sinus matris, nouerca intercedente præcluditur, ne de pectore, atq; ore lapsorum fletus et gemitus audiatur. hæc ille. Quæ isti perpendant, qui ad omne opus bonum, vt Paulus ait, reprobi, formam tantum pietatis habentes virtutem eius operibus abnegant, dicentes Christum satis dependisse, pro nostris omnium peccatis, à nobis nihil requiri, præter suam illam informissimam contritionem, hoc est, qualitercunq; incussos terrores conscientiæ, cognito peccato, & fidem quam credimus nos donari à Christo iustificationis gratia, & salute, satisfactionem verò rident, explodūt. Qui quòd fidem esse partem præcipuam pœnitentiæ contendunt, suo more faciunt, vczt vt ab alijs dissideant. Est quidem fides causa pœnitentiæ, non tamen pars eius, multi certè reperiuntur qui fidem habent, non tamen agunt pœnitentiam. Neq; pœnitentiæ solum fides est causa seu fundamen-

NOTA.

Tit: i. ij Tim: iij.

fides non est pars pœnitētiæ.

tum, sed omnis operis boni. Nam nisi crediderimus, labuntur nobis omnia: neq; tamen, eorum operum seu actionum fides est pars, quarum est causa.

AMbrosius.

Ambrosius de natali domini 15. sermone. Nos si tam graue peccatum fuerit, vt minimè solis fletibus abluatur. Addamus misericordiæ oleū, acrimoniamq; ieiunij. Nullum enim tam graue delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis non restinguatur. Ait enim sanctus propheta. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos, fonte beneuolentę refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quamuis offensus deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodam modo, dum compellitur, pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eodemq; homine nunc seueritate iudicis permoueri, nunc patris pietate blandiri. Pater enim nobis deus est, cum benè agimus, iudex noster est cum peccamus.

Cogitur deus quodā modo.

Et enarrans illud Christi quod habetur apud Lucam. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Vides, inquit, quanta remedia? mundat nos misericordia, mundat nos dei sermo, iuxta quod scriptum est. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Nec hoc loco solum, sed etiam alijs expressum tenes. Eleemosyna enim à morte liberat. Et conclude eleemosynam in corde pauperis,

Lxcæ xi.

pauperis, & hæc pro te exorabit in die malo. Item lib: 2. cap: 8. de pœnitentia. Plura soluendi habet subsidia qui deo, quàm is qui homini debet, homo pecuniam, pro pecunia reposcit quæ non semper debitori præsto est. Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit: etsi non habet quod vendat, habet quod soluat, oratio, lachrymę, ieiunia, debitoris boni census est, multoq; vberior, quàm si quis ex precijs fundorū pecuniam sine fide deferat. Deniq; pauper erat Ananias, cum vendito agro pecuniam deferret ad apostolos, vnde nec soluere se potuit, sed implicauit. Diues illa vidua, quæ duo æra minuta in gazophilacium misit, de qua dictum est: hæc vidua paupercula plus omnibus misit. Non enim pecuniam deus sed fidem requirit. Non ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis, posse minui peccatum, sed si fides commendat expensas. Quid enim prodest collatio patrimonij, sine gratia charitatis? Ita Ambrosius. Qui quidē Ambr: quòd iniquior videtur esse eleemosynæ, propter eos facit, quos Augustinus dicit, quotidie perpetrare crimina, & quotidie eleemosynis redimere. hi enim sine gratia charitatis, quam in eleemosynis requirit Ambrosius, conferunt patrimonia. Alioqui secum ipse, et cum scriptura pugnaret Ambrosius.

Lucæ xxi.

AMBrosius cur uidetur iniquior eleemosynæ.

Aug: ca: lxx. Enchir.

Iam illud quod ex Ambrosio producunt quidam, ad satisfactionem tollendam, non facit pro illis. Ergo, inquit, Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus Inue-

Solutio obiectiōis ex Ambrosio de satisfactione.

catus. Inuenio enim quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego &c. Locus est sermone 46. de poenitentia Petri apostoli. Caeterum in hoc loco apud Ambrosium non accipitur satisfactio, pro facto vindicatiuo delicti patrati, sed pro excusatione, qua ratio redditur alicuius operis commissi, in qua significatione ponitur Act: 24. bono animo pro me satisfaciam, inquit Paulus, purgans seipsum coram praeside. Indicant id verba antecedentia apud Ambrosium. Confert enim Petrum cũ Adamo, qui culpam reiecerat in vxorem. Similis est Augustino & Ambrosio Hilarius in improbanda vana ieiuniorum, & eleemosynarum fiducia, quae legitima commendat vtilius. Nos, inquit, si semel ieiunamus, satisfecisse nos arbitramur. Si aliquid ex horreo domesticarum facultatũ inopi damus, impleuisse nos iustitiam credimus, ieiunantes vt aut placeamus hominibus, aut corpora cibis releuemus, & inter ipsa ieiunia stupra iniurias odia cogitantes, pulsantem fores nostras, inopem non sustinemus: aut dum bonitatis famam inani & ociosa hominum opinione sectamur, et deberi nobis, vt audiamur existimamus. Haec ille, prauos hominum affectus corrigens, quò facilius bona opera merendi fructum assequeretur, inanem praeterea confidentiam cohibens.

Hilarius de uana fiducia eleemosynarũ.

Augustinus in 50. homilijs, vltima homilia. Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiã de his quae facta sunt, satisfaciat deo, per poeni-

Augustinus.

per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Idem homila 46. Peccator satisfactione abluat, quod delictorum maculis sordidauerat. Et epistola Cviij. poenitentiam triplicem distinguit. Vnam quae baptismo praeexigitur, de qua illud Petri ad Iudaeos. Agite poenitentiam, & baptizetur vnusquisq; vestrũ etc̃. Alteram quae pro illis peccatis subeunda, de quibus Paulus. Qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. De hac ad Corinthios, ne lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam, super immundicia & luxuria & fornicatione, quam egerant. Tertiam bonorum, & humilium fidelium, quae minutis, & quotidianis est necessaria. Et sermone 57. de tempore. In satisfactione, inquit, ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quaeruntur. In enchiridio item ad Laurentium cap: 70. Sanè cauendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda, in melius quippe est vita commutanda, & per eleemosynas de peccatis est propiciandus deus, non ad hoc emendandus quodam modo, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si nõ satisfactio congrua negligatur. De quotidianis autem breuibus leuibusq; peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.

Poenitentia triplex Augustino.
Acto: ij.
Gala: v.
ij Cor: xij.
Galat: v.

ſatisfacit. Hæc Auguſtinus, & plura ea de re in aliis locis.

CYRILLus.

Cyrillus in Leuiticum. Audiſti quanta ſint in lege ſacrificia pro peccatis.

REmißiones peccatorũ in euangelio.

Audi nunc quantæ ſunt remiſsiones peccatorum in euangelio. Eſt iſta prima, qua baptizamur in remiſsionem peccatorum. Secunda remiſsio eſt, in paſsione martyrij. Tertia eſt, quæ per eleemoſynam datur. Dicit enim ſaluator. Verumtamen date quæ habetis, & ecce omnia munda ſunt vobis. *Lucæ xi.* Quarta nobis fit remiſsio peccatorum, quando & nos remittimus peccata fratribus noſtris: Sic enim dicit ipſe dominus et ſaluator. Quia ſi remiſeritis fratribus veſtris ex corde peccata, & vobis remittet peccata veſtra pater veſter. *Mat: vi.* Et ipſe in oratione, nos dicere docuit. Remitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Quinta peccatorum remiſsio cum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. Ita enim dicit ſcriptura diuina. Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam eius à morte, & cooperit multitudinẽ peccatorum. *Iacobi v.* Sexta quoq; fit remiſsio, per abundantiam charitatis, ſicut & ipſe dominus dicit. Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multũ. *Lucæ vij.* Et apoſtolus dicit. Quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum. *i.Pet: iiij.* Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſsio peccatorum, cum lauat peccator lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ panes die ac nocte. *Pſal: vi. Pſal: xli.* Cum non erubeſcit ſacerdoti domini indicare pec-

CONfeßio.

dicare peccatum, & quærere medicinam, ſecundum qui ait. Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſticiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſal: xxxi.* Hæc & plura Cyrillus ſcriptor Græcus vetuſtiſsimus. Ab eo non diſſentit Ireneus illo vetuſtior. Docebat, inquit Chriſtus, vt facerent præcepta, quæ ab initio præcepit deus, & vt veterem cupiditatem per bona opera ſoluerent, & ſequerentur Chriſtum. *Iren: lib: iiij, cap: xxv.* Quoniam autem ea quæ poſsidentur, pauperibus diuiſa, ſolutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit manifeſtum. Ecce dicens, dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, & ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum. *Lucæ xix.*

Diuus Hieronymus in commentariis Iſa: cap: xl. Et hoc notãdum eſt, inquit, quòd non ſoluantur peccata noſtra, niſi de manu domini receperimus ea. Nec idem eſt ſolui peccata atq; dimitti. Cui enim dimittuntur, ſolutione non indiget, audiens in euangelio. Confide fili dimittũtur tibi peccata tua. *Mat: ix.* Cur autem ſoluuntur, propterea ſoluuntur quia purgata ſunt, & ſoluta per pœnas.

Soluere peccatum & dimittere non idem.

Chryſoſtomus concione quarta de Lazaro ſic ait. Vt igitur neq; puniamur, neq; pœnas demus in alio ſeculo, in ſuam quiſq; conſcientiam ingrediatur, vitamq; explicet, cunctiſq; commiſsis diligenter excuſsis, condemnet animam, quę hæc patrauit, puniatq; cogitationem, affligat, crucietq; ſuam ipſius mentem, ſupplicium à ſeipſo exigat, à peccatis per condemnationẽ, per dili-

per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam, per charitatem, vt possimus omnes omnimodo hic depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci. Idem in sermone de confessione peccati. Confessio pœnitentiam monstrat. Satisfactio veniam sibi diuina pietate conciliat. Idem verba illa præcursoris explicans. Facite dignos fructus pœnitentiæ. Quomodo autem digne fructificare poterimus? Si vtiq; peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo tempore es fornicatus? a legittimo quoq; vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sepius paucorum institnto dierum meditare. Iniuria quenquam, vel opere, vel verbo affecisti? refer benedictionis verba. Conuicijs te percutientes, nunc officijs, nunc beneficijs placare contende &c. Delicijs ante & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrunq; compensa. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omnino non videas. Hæc ille. Qui de pœnitentia, partibusq; eius, & virtute multoties scripsit, decem præsertim homilias. Ita illi viri doctissimi, & sancti ecclesiæ lumina de satisfactione parte pœnitentiæ sensere, tribuentes quidem fidei salutis nostræ summam, & pietatis basim, quia sine fide impossibile est placere deo. Eam tamen sine operibus, mortuam esse iudicantes, & sentientes fidem in Christo valere, quæ per dilectionem operatur, vt scriptura docet. Quàm purius, atq; simplicius

Fructus digni pœnitentia.

Mens autorũ de pœnitẽtia scribentium.

uide de materia hac latius ubi de iustificatione scribimus.

simplicius tractasse, & intellexisse, pro verissimo habendum, quàm istos qui ad propriam gloriam, & susceptas contentiones scriptura abutentes, cum omnia susq; deq; habeant, conuellant, euertant, se solos diuini verbi spiritum adeptos, nunquam non perstrepunt, nobisq; quòd huiusmodi spiritus expertes sumus, quoties eis noua docentibus non assentimur, exprobrant. At omnes præ se contemnere catholicamq; ecclesiam, cui Christus se adfuturum vsq; ad consummationem seculi promisit, erroris insimulare, Luciperum sapere est, qui alijs seipsum præferẽs, deo æqualis fieri voluit. Illud autem hoc loco notandum. Non omnia scıt quę antiqui sancti de eleemosynis, ieiunijs, vigilijs, lachrymis, & precibus, & alijs pijs exercitationibus præceperunt, ad satisfactionem pertinere vel pœnitentiam. Quandoquidem illorum multa, aut officij causa, aut pietatis debito, aut cohibẽdę libidinis necessitate præstantur, quæ, etiamsi satisfactionis fructu non careant, secernenda tamen sunt ab illis locis, quibus præcipuè eisdem operibus satisfacere, & pœnitere docemur. Neq; satisfactionis nomen superstitiosè exigendum, satis est, quòd peccatorum remissionem satisfactione, redemptione, ablutione, placatione, & cæteris huiusmodi vocibus, aut locutionibus, per nostra bona opera ostendimus nobis posse contingere.

Omnes præ se contẽnere, Luciperanicũ ẽ.

NOTA.

Nomẽ satisfactionis nõ exigendum superstitiosè.

Quodsi quispiam hæc hominum commenta esse dicere, & velut humanas adinuentiones contemnere velit, quid dicturus est ad scripturarum testimonia,

 quibus

quibus luce clarius apparet vtiles esse,ne dicam necessarias ad placandum deum, & peccatorum veniam promerendam huiusmodi satisfactiones. Eccli: 21. Fili peccasti ne adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare,vt tibi dimittantur. Item Eccli 5. De propiciato peccato noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum,& ne dicas. Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proximant,& in peccatores respicit ira illius. Tobiæ 4. & 12. Eleemosyna à morte liberat, purgat peccata, misericordiam inuenit,& vitam æternam. Daniel:4. Peccata tua eleemosynis redime. Eccli 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Ioel: 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro,in ieiunio, & fletu, et planctu. Matth: 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Lucę 12. ait Christus. Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et 16. Facite vobis amicos ex mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

TEStimonia scripturæ sacræ pro satisfactione.

Fingunt isti in prædictis testimonijs, nescio quas figuras, verum inepte vt ex grauissimis scriptoribus liquet,qui id,vt ostensum,nõ dicunt. Hæ aũt pię exercitationes, apud deum acceptæ fiunt, propter fidem, per dilectionem operantem, & gratiam dei illis coniunctam, idq; efficacia passionis Christi Iesu, qui,vt apostolus ait,dedit semetipsum pro nobis,vt nos redimeret ab omni iniquitate,& purificaret sibijpsi populum peculiarem sectatorem bonorum operum. Quibus quidem operibus, quod deerit, Christi supplebit passio. Quæ etiam opera ipse in membris suis operatur. iuxta illud Pauli. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere,pro bona voluntate. Cui voluntati homines suam adiungere debent, & quantum animo conniti possunt, quantum viribus contendere,pœnitentiæ dignos fructus facere. hac de re plura, vbi de iustificatione & operibus agimus.

Tit: ij.

Phil: ij.

Quod autem viuam ardentemq;, & diuturnam, pro grauioribus criminibus pœnitentiam orthodoxi exigunt, hoc agunt,vti docti sentiunt, non quia misericordiæ dei moras voluerint præscribere,& tempora, quominus etiam si quacunq; hora peccator supplex corde verè contrito & humiliato, ad ipsum conuersus fuerit,illi neget,aut differat gratiam suã: sed quod intellexerunt diuinam nihilominus iusticiam, etiam pro remissis peccatis, secundum eorundem magnitudinem,(sicuti paulo superius ex scripturis diuinis mõstratum est) punitionem exigere, quam ipsa ad nouissimum quadrantem exactura est,nisi nos in nobismetipsis eandem exercuerimus, aut charitatis feruore, & operibus pietatis in proximos,eius remissionem obtinuerimus. Qua in re, si nostro vniuersum hoc committeretur arbitrio,torperemus desidia, & nostræ salutis negligentiores essemus, incideremus in horrendas manus diuinæ iustitiæ: hoc doctrina recepit catholicæ ecclesiæ,vt ecclesiarum pastores peccatoribus

Ratio pœnitentiæ iniungi solitæ.

peccata confitentibus, actionem pœnitentiæ darent, et ad grauitatem peccati, satisfactiõis modum præscriberent, cui humiliter ac fideliter se tenebantur submittere, & se ponere prorsus in sacerdotis iudicio. Simul nos admonens quàm sit plenum periculi eiusmodi satisfactionem de die in diem differre, dum nos mors præoccupet. Et cum possit pleniori satisfactiõe indulgentiam promereri, illius temporis angustiam eligat, quo vix inueniat spacium vel confessio peccatoris vel reconciliatio sacerdotis. Deinde quò & illam ipsam procrastinandi licentiam abscinderent, & negligentiam periculosam, velut quibusdam calcaribus excitarent, salubriter ordinauit sancta mater ecclesia, vt saltem semel quotannis Christi fidelis oĩs, rationis compos se subdat salutari pœnitentiæ, peccata confiteatur suo parocho & sacerdoti, & impositam sibi pœnitentiæ satisfactionisq; actionem, pro viribus adimpleri studeat, absolutionemq; sacerdotalem accipere mereatur.

Solutio obiectionis. Rogabit fortasse quispiam. Quid ergo nobis contulit passio Christi, si pro nobis non satisfecit? aut quomodo setisfecit, si adhuc nobis superest necessitas satisfaciendi? Quem ex aduerso vicissim ego rogabo, quid sit illud quòd passionibus Christi defuit, quod Paulus in carne sua supplebat, pro corpore eius quod est ecclesia. *Col: i.* Adimpleo, inquit, ea quæ desunt passionũ Christi, in carne mea, pro corpore eius quod est ecclesia, hoc est, suppleo defectus afflictionum Christi vel reliquias, vt Ambrosius vertit. Non quòd insufficiens fuerit

fuerit Christi passio pro nobis, sed quòd afflictiones corporis mystici ecclesię, id est sanctorum martyrum, Christi afflictiões dicantur, quas ille suas ducit dicens. *Mat: xxv.* Quod vni fecistis de minimis meis, mihi fecistis. Photius explicat adimplere defectum, & reliquias passionum Christi, non aliud esse, quàm Christo compati, & coaffligi. De quo apostolus. *Rom: viij.* Si compatimur, vt conglorificemur. Qui igitur hoc facit adimplet id quod deerat afflictionibus Christi. Adhæc quid nobis contulit Christi crux, quibus ex præcepto Christi opus est portare propriam crucem. *Lu: ix. xiiij. Gal: v. Col: iij.* Et, vt Paulus docet, carnem cum vicijs, & concupiscentijs crucifigere. Quidue profuit Christum pro nobis mori, quibus non semel, sed quotidie moriendum, iuxta illud quod ex propheta adducit Paulus. *Roman: viij. Psal: xliij.* Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Catholicis in promptu est responsio, nempe dei voluntas, & eius incomprehensibilis sapientiæ arcana dispositio, cui sic visum est, vt per multas tribulationes, dicente *Acto: xiiij.* scriptura, oporteat nos intrare in regnum dei, vt varijs tentationibus fragilitatis nostræ admoniti, humiliemur sub potenti manu dei, vt sublimitas sit virtutis dei, *ij Cor: iiij. i Pet: v.* & non ex nobis, ita vt ne nimia confidentia, & securitate pereamus, quemadmodum non modo homines primi, sed & angeli perierant.

Solutio obiectionis. Non desunt qui proferant locos quosdam, ex scripturis diuinis, in quibus fidei tantum mentio fit, satisfactionis nulla, vt illud: *Ioan: vi.* hoc est opus dei, vt credatis in eum quem

Mat: ix. eum quem misit ille. Item fides tua saluam te fecit. Et in actis. Crede in dominum Iesum & saluus eris tu & domus tua. Item, fide purificans corda eorum. Et similia. Ex quibus inferunt satisfactionem non esse necessariam. Verum sciendum est duo genera esse hominum, quos Christus, & apostoli ad poenitentiam inuitant, quibusque condonationem peccatorum, si poenitentiam egerint, pollicentur. Alteri erant infideles & impij, à cognitione veri dei alieni. Alteri erant pij quidem, quod ad veri dei cultum, & fidei professionem attinet, sed moribus flagitiosi, atque scelesti, horum vtrosque prophetæ, & apostoli admonent, suadent, obsecrant, vt poenitentiam agentes resipiscant, præcedentium omnium delictorum veniam promittentes poenitentibus, & ad Christum conuersis. Erat tamen iuxta delinquentium varietatem, diuersa promissio. Nam infideles quorum maximum peccatum, & cæterorum omnium caput esse videbatur incredulitas, tantum admonentur vt ab ea resipiscant per fidem, futurumque promittitur eis, vt simulatque ab infidelitate sua, & impietate conuersi crediderint in Christum, omnium peccatorum remissionem accipiant. Vnde sunt illæ voces. Qui credit in me, habet vitam æternam. Item Omnis qui credit in eum non confundetur. Et aliæ his similes.

Actto: xvi. / Actto: xv.

Credentibus sed flagitiosis qd prædicetur.

Porro credentibus cum poenitentia prædicatur, tantum præcipitur vt resipiscant à peccatis, nec sibi de nomine fidei blandiantur, cum sint quodam modo infidelibus

infidelibus deteriores. Melius enim erat illis, inquit Petrus apostolus, viam iustitiæ non cognouisse, quàm post agnitionem retrorsum auerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Hinc illæ voces prophetarũ. Conuertimini ad me in toto corde vr̃o, in ieiunio, in fletu, in planctu, scindite corda vestra. Et illud Ieremiæ. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam et ego poenitentiam, super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. In his & id genus propheticis obiurgationibus, & promissionibus, nulla est mentio fidei, quia illis fiebant, qui veri dei cultum & fidem profitebantur, quinimo admonentur, ne huiusmodi professioni fidentes præcipuã pietatis partem, quæ in charitate sita est negligerent. Hinc illud Ieremiæ. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes. Templum domini, templum dñi. &c. Et illud Ioannis Baptistæ: Facite fructus dignos poenitentiæ, & ne velitis dicere inter vos, patrem habemus Abraham. Et Petrus apostolus cum Simonem, qui iam crediderat, et baptisma susceperat dura obiurgatione corriperet, non ab eo denuo fidem exigebat, sed vt resipisceret, & veniam precaretur à deo. Poenitentiam, inquit, age, ab hac nequitia tua, & roga deum &c. Paulus etiam credentiũ Corinth: quos in priori epistola obiurgauerat poenitentiam probans, & poenitentis singulos affectus, quasi membratim distinguens, nullam fidei mentionem admiscuit. Gaudeo, inquit, non quia contristati estis, sed quia contristati

ij Pet: ij. / Ioel: ij. / Iere: xviij. / Iere: vij. / Actto: viij. / ij Cor: vij.

estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum deum, vt in nullo detrimẽtum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum deum tristicia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundũ deum contristari vos, quantam operatur in vobis solicitudinem, immo defensionem, immo indignationem, immo timorem, immo desyderium, immo æmulationem, immo vindictam, & cætera. Lutherus in

LVTHerus. resoluti: de indulgentijs asserit, quòd ecclesia sancta mater, pro pio affectu, manum domini præuentura, castigat filios suos, satisfactionibus quibusdam, ne incurrant in flagella dei.

DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.



ECCLESIA CATHOLICA iam inde ab apostolis ex verbo dei edocta, credidit in sacramento eucharistiæ corpus & sanguinem Iesu Christi veraciter contineri sub speciebus panis & vini. De qua re Ireneus, etsi iunior, synchronus tamen (vt ante ostensum est) Polycarpi Ioannis euangelistæ discipuli, lib: 4. cap: xxxiiij. aduersus hæreses, Quo

reses. Quomodo, inquit, constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini sui, & calicem sanguinis eius? Et paulo post. Quomodo rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, et non percipere vitam, quæ à corpore domini & sanguine alitur? Ac mox. Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens vocationem dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti: sic & corpora nostra cum percipiunt eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia. Hæc Ireneus. Qui vt vides, aperte, panem in quo sunt gratiæ actæ, corpus domini esse dicit, affirmãs etiam non esse communem panem post consecrationem, sed eucharistiam, quod neutiquã dixisset, si nõ intellexisset de vero corpore & sanguine Christi, à quo etiam corpora nostra percipere dicit vitam, et habere spem resurrectionis, ad gloriam scilicet, quod certe soli signo corporis non conuenit. Neq;, si materialem panem in sacramento esse sensisset, asseruisset panem communem non esse, sed eucharistiam. Alioqui locutio illa esset impossibilis. Neq; enim simplex prædicatum substantiæ, de re quæ duas substantias includit, non reddẽtes quodam modo vnum, verè prædicari potest. Non enim, si corpus Christi esset in pane, sicut ignis in ferro, vt isti sentiunt, vera esset locutio. hic panis est. Sicuti neq; de ignito ferro, verum est dicere, quòd sit ignis, quanq; verè dicatur esse ignitum. Cæterum quod dicit eucharistiam

expenduntur uerba Irenei.

V 2 terrena

terrena & cœlesti natura constare, verè loquitur. Nā in eucharistia sacramentum est, & res sacramenti, sacramentum, signa sensibilia, hoc est, accidentia panis materialis, res vero sacramenti Christus ipse. de quare paulo post latius.

Iustinus martyr.

Iustinus martyr vir doctus ante mille quadringentos annos ferè apol: i. pro Christianis. Non enim, inquit, vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc sumimus: sed quemadmodum per verbum dei caro factus est Christus seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem et sanguinem esse didicimus. Nam apostoli in suis scriptis quæ vocantur euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt. hęc ille. Vbi cernis mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, hoc enim significat alimoniæ mutatione.

EXplanatio uerborum Iustini martyris

Quod vero affirmat ea alimonia nutriri nostras carnes & sanguinem, ideo dictum quòd (vt proximè Irenei verba retulimus.) corpora nostra ex sacramento eucharistię percipiant vitam, & habēt spem resurrectionis ad gloriam. Quamuis etiam non negandum est digna sumptione eucharistiæ, corpus valetudinarium refici. Nam & in euangelio cum mulier sanguinis profluuio laborans ad tactum vestimentorum Christi sanata fuisset, dixit Christus virtutem tum temporis de se exijsse. Et in actibus apostolorum scribitur

Lucæ viij. Acto: xix.

scribitur languidos sanatos ad delationem sudariorū et semicinctiorum è corpore Pauli. Vmbra item Petri. Quod tamen multo magis Christi carni conuenit, quæ est verè viuificatrix. De hoc postea.

Acto: v.

Tertullianus

Tertullianus temporibus apostolorum vicinus, quem Cyprianus magistrum suum appellabat, aduersus Marcionem lib: 4. Christus professus, inquit, se concupiscentia concupijsse edere pascha vt suum, (indignum enim, vt quid alienum concupisceret deus.) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. hæc Tertullianus.

expenduntur verba Tertulliani.

Quibus verbis non solum præsentia corporis Christi in sacramēto affirmatur, sed etiam conuersio panis in ipsum corpus: alioqui non dixisset signanter Christum concupijsse comedere pascha suum (nam illud typicum & veruecinum ante toties cum ijsdem discipulis manducauerat.) & panem corpus suum fecisse. Quod autem figura addit, temperamentum præcedentis sententiæ est, ne scilicet corpus Christi extensiuè, & visibiliter in illis mysterijs contineri putaremus, sed spirituali quodam modo sub illis accidentibus, quæ ex pane remanent (quod inferius patebit melius) ratione quorum eucharistia symbolum & figura est, nam representat nobis corpus Christi verum.

Corpus Christi panis uocatur in scripturis. Iere: xi.

Quod quidem corpus eodem libro, ait Tertullianus vocari panem, idq; veteri figura Ieremiæ dicentis. Venite conijciamus lignum in panem eius, hoc est, crucem in corpus.

Itaq; inquit, illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Quæ verba apertè declarant Tertullianum sensisse, in eucharistia esse corpus Christi verum, licet nominetur panis. De qua re inferius. Et in libro de carnis resurrectione, vbi multis carnem nostram extulit præconijs, hæc inter alia adiecit. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de deo saginetur.

Vrgentur aduersarij.

Iamsi quispiam consentaneus sibi esse velit, neq; his adduci, vt credat Tertullianum ita sensisse vt dictum est, propterea quòd figuram corporis Christi dixisset: certè ea ratione cogetur fateri apostolum credidisse Christum non fuisse verum deum, & eiusdem essentiæ cum patre, quòd dixerit in epistola ad Hebræos, Christum esse figuram patris. Et ad Philippenses, eundem in forma dei esse. Sed quis Christianorum, modo sit mentis compos, hoc affirmabit? *Heb: i. Philip: ij.*

Cyprianus.

Cyprianus martyr de cœna domini. Panis iste, inquit, communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam. Et item. Panis iste, quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia dei factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio. Ita Cyprianus, sentiens panem in Christi corpus mutari secũdum substantiã, non formam panis quæ remanet. *Transmutatio.*

id enim

id enim significat verbis illis. Non effigie, inquit, sed natura mutatus. De hoc post. Et in eodem sermone. Vsq; hodie hoc veracissimum et sanctissimum corpus suum dominus creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. Hæc Cyprianus ante mille trecentos circiter annos.

Hilarius.

Diuus Hilarius Pictauorum episcopus libro octauo de trinitate, probans vnius substantiæ & naturæ filium cum patre aduersus hæreticorum prauam expositionem, qui verba illa Christi. Ego et pater vnum sumus, ad voluntatum vnionem, mutuamq; dilectionem referebant. Hanc igitur hæreticorum calumniã refellens inter cætera ait. Si verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit vnitatis? Non est, inquit Hilarius, humano aut seculi sensu in dei rebus loquendum, neq; per violentiam atq; impudẽtem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt legamus: quæ legerimus, intelligamus: & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impiè dicimus. Ipse enim ait: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *NOTA.* *EXPOSItio uerborũ Christi.*

potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius domini professione, & fide nostra verè caro est, et verè sanguis est, & hæc accepta atq; hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. &c. Quòd autem in eo per sacramentum communicatæ carnis, & sanguinis simus, ipse testatur dicens. Quoniam ego viuo, & vos viuetis. Quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hæc ille sanctus Hilarius ante 1200 circiter annos. Vbi audis nos communione corporis et sanguinis Christi, eidem & deo vniri naturaliter, hoc est verè & realiter.

Cyrillus.

De vniõe per communionẽ.

De hac vnione beatus Cyrillus Alexandrinus patriarcha Hilario aliquanto vetustior, in Ioannem disserit docens eam esse duplicem corporalem & spiritualem. Priorem sic astruit. Ex dei patris substantia vnigenitus prodiens, & totam in sua genitoris naturã possidens, caro factus, seipsum naturæ nostræ ineffabiliter coniunxit, & vniuit verus deus simul et homo, quæ plurimum inter se secundum naturam distant, in vno seipso coniunxit, & naturę diuinæ participes nos effecit. &c. Qui vt inter nos, & deum singulos nos vniret, quamuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit consilio patris, & sapientiæ

suæ con-

suæ congruentem: suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens & secũ et inter nos, vnum nos corpus effecit. Quis enim eos qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam si omnes vnum panem manducamus, vnum corpus omnes efficimur: diuidi enim atq; seiungi Christus non patitur. Idcirco etiam ecclesia corpus Christi effecta est, et nos singuli membra Christi secundum Paulum. Vt veritatem, inquit Paulus, sequentes in charitate crescamus *Ephe: iiij.* in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem naturam subministrationis secundũ operationem in mensuram vniuscuiusq; membri augmentũ corporis facit in ædificationem sui in charitate. Quod autem corporalis hęc vnio ad Christum participatione carnis eius acquiritur, ipse Paulus testatur. Quod alijs, inquit, generationibus *Ephe: iij.* non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu esse gentes cohæredes, & concorpores, & comparticipes promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos in Christo vnum corpus sumus, nec inter nos solum, verumetiam cum eo, qui per carnem suam ad nos transiuit: quomodo vniuersi & inter nos et in Christo vnum non erimus? Christus enim est vnionis huius vinculum, qui deus simul & homo est. Hæc Cyrillus de corporali vnione. De spirituali autem hæc dicit. Quia spiritu sancto accepto, & inter

Vnio spiritualis.

X nos quo-

nos quodam modo, & cum deo vnimur. Nam sicut virtus sacratissima Christi carnis vnum corpus facit participantes, eodem arbitror pacto in quibus indiuisibilis dei spiritus habitat, eos omnes ad vnitatem spiritualem conducit &c. Ergo, inquit, in patre & filio & spiritu sancto omnes vnum sumus. Vnum autem dico habitudine & affectu, vnum pietatis consensu, vnum sanctæ Christi carnis communione, vnum vnius sancti spiritus participatione. Et ego claritatem, inquit, quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnū. Naturalem consubstantialemq; vnionem cum patre, quamuis vnigenitus habeat, propter nostram tamen salutem à sua illa dignitate, gloria & claritate quasi exiuit. (hoc enim significat exinaniuit semetipsum) atq; ideo accepit rursus cum carne claritatem & gloriam, quam semper vt deus habet. Quoniam enim templum quod à virgine accepit, quamuis consubstantiali deo patri non sit, vnum tamen cum deo verbo est, datum sibi vnigenitus ait, quod templo suo datum est. Datum sibi à patre per ipsum in spiritu. Hanc igitur claritatem, inquit, & gloriam pater quam mihi dedisti, quæ est, vt tecum vnum sim, dedi eis vt sint vnum, sicut nos vnū sumus. Vniuntur enim inter se fideles illis modis, quos iam exposuimus: vniuntur etiam deo, & modum ipse saluator aperuit dicens. Ego in ipsis, & tu in me, vt in vnum sint consummati. Corporaliter enim filius per benedictionem mysticam

Ioan: xvij.

mysticam

mysticam nobis vt homo vnitur. Spiritualiter autem vt deus sui spiritus gratia nostrum ad nouam vitam et diuinæ naturę participationem spiritum reintegrans. Nexus igitur vnionis nostræ ad deum patrem Christus est, nobis quidem vt homo, deo autem patri vt deus naturaliter vnitus. Non enim erat possibile corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atq; incommutabilis ad eam descendisset, ac communione ac participatione sui à mortalitatis nostrę terminis ad suum bonum reformatos eleuaret. hæc Cyrillus. Qui etiam tractans illa verba Christi. Ego sum panis vitæ: inter alia ait. Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram superfuderit, alteram cum altera per totum commisceat oportet. Ita si quis carnem & sanguinem recipit domini, cum ipso ita coniungatur necesse est, vt Christus in ipso & ipse in Christo inueniatur. Et sicut parum, vt ait Paulus, fermenti totam massam fermentat, sic paruula benedictio (eucharistiam intelligit.) totū hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo manet in nobis Christus, et nos in Christo. Verè enim totum fermentum in totam massam pertransit. Hactenus ille.

SIMILE.

i Cor: v.

Diuus Epiphanius Græcus Cypri episcopus in libro qui inscribitur ancoratus. Videmus (inquit folio 558) quod accepit saluator in manus suas, veluti euangelium habet, quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset dixit: hoc meum est, hoc & hoc.

EPIphanius.

X 2 Et vide-

Et videmus quod non equale est, neq; simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim rotundæ formæ & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit ipsum verum sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Hactenus Epiphanius, ante mille centum octoginta annos.

NOta uerba Epiph.

AMBrosius lib: iiij, cap: iiij de sacra.

Ambrosius de sacramento eucharistiæ loquens. Sermo Christi conficit sacramentū. Quis sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia. Iussit dominus & factum est cœlum: iussit dominus, & facta est terra. Iussit dominus, & omnis creatura generata est. Vides igitur quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est vt sint quę erant, & in aliud cōmutentur? Ita Ambrosius, qui dicens panem et vinum esse quæ fuerant, cum in corpus Christi commutantur, intelligit secundum accidentia & species panis & vini, quæ esse non desinunt, non autem secundum substantiam, alioqui sibi esset contrarius. Et alibi. Antequam consecretur panis est, vbi vero verba CHristi accesserint, corpus est Christi. &c. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deinde ipse dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fidei testificatione dubitare? Idem in libro de mysterijs

Algerus cap: vij. libr:, de sacra.

cap: v, lib: iiij de sacra.

iniciandis

iniciandis cap: 9. exemplo virgæ Moysis mutatæ in colubrum. Petræ item in deserto populo sitienti vomentis aquam, quam natura non habebat. Heliæ ignem de cœlo deponentis, & alijs exemplis probans corpus Christi quod accipimus, non panem esse sed carnem Christi, hæc inter cætera inquit. Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat? Non em̄ minus est nouas rebus dare quàm mutare naturas. Et paulo post. Præter naturæ ordinem virgo generauit: et hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum pręter naturam sit ipse dominus Iesus partus ex virgine? Vera vtiq; Christi caro, quæ crucifixa est. Verè ergo carnis illius sacramentum est, ipse clamat dominus Iesus: hoc est corpus meum. Et in Lucam: corpus Christi edimus, vt vitę æternæ possimus esse participes. Hæc ille & plura ea de re. Non desunt qui citantes scripta Ambrosii quibus probat deum posse conuertere panem in corpus Christi, concedūt id quidem, sed dubitant qua ratione cogi possint, vt concedant deum id facere. Ego sanè non aliam rationem firmiorem esse arbitror, quàm testimonium Christi Iesu, et Pauli Apostoli, totiusq; ecclę. de quo inferius.

Ambr: i xxij cap: Lucæ capite xcij.

Solutio obiectionis.

Hieronymus.

Diuus Hieronymus ad Hedibiam quęstione secunda. Nos audiamus, inquit, panem quem fregit dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus domini saluatoris ipso dicente ad eos. Accipite, & comedite, hoc est

corpus

corpus meum, et calicem illum esse, de quo iterum locutus est: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundetur. hæc ille.

Damasce: lib: iiij, cap: xiiij.

Non dissimilia prædictis lib: 4. orthodoxæ fidei Damascenus ante mille centum annos prodidit. Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus domini deificatum ipso domino dicente, hoc est meum, non corporis figura, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verus est potus. Ita Damascenus.

Verum corpus non figura.

OPinio quorundam:

Non desunt qui affirment Damascenũ sensisse in sacramento eucharistię simul esse corpus Christi & panẽ, quod quàm verum sit, ex eiusdem verbis infra scriptis cognosces. Cum argumentis confirmasset ille dei verbum, posse panem sanctissimum corpus & vinum facere, hæc tandem subijcit. Quia mos hominibus est panem manducare, vinum, aquamq; bibere: coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus et sanguinem, vt per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in his quæ sunt supra naturam collocemur. Corpus enim secundum veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta virgine corpus est. Non quòd ipsum corpus assumptum, ex cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & vinum transmutantur in corpus et sanguinem dei. Si autem modum requiris quo hoc fiat pacto,

NOTA.

Ttansmutatio.

fiat pacto, sat tibi sit audire quoniam per spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta deipara, seipso & in seipso dominus carnem sustentauit, & nihil amplius cognoscimus, quàm quòd verbum dei verum est, & efficax, & omnipotens: modus autem nobis est inscrutabilis. Neq; & hoc etiam dictu promptum est, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum et aqua per potionem in corpus & sanguinem comedentis, & bibentis transmutantur, et non fit aliud corpus præter id quod erat prius. Sic & propositionis panis vinumq; & aqua per inuocatiõem & aduentum spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum et idem. Hæc Damascenus. Apud quem vides nominari transmutationem panis in corpus, vini in sanguinem. Et ne putes eo modo illum intellexisse, sicuti isti fingunt esse scilicet panem & corpus quòd eucharistiam carbonem diuinum appellauerit, quoniam dignè sumentium peccata comburit, corda illuminat, et igne diuino accendit, id enĩ verba postrema indicant. Non sunt, inquit, duo, sed vnum & idem.

Opinio quorundam.

libr: iiij, cap: xiiij. ortho: fidei.

Chrysostomus in epistolã ad Ephesios. Cogitemus quod illius corpus et sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab angelis adoratur. &c. Idem in epistolam primam ad Corinth: Quod est in calice, id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Idẽ in 26. cap: Matthæi. Oˆ quot modo dicunt, ait, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem

Chrysostomus serm: iij.

homil: xxiiij.

Similia loquitur Chrysost: homil: lx. ad populum Antiochen.

vellem calciamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. &c. Et paulo post. Ea re nos alimur quam angeli videntes tremunt, nec absq; pauore propter fulgorem, qui inde resilit aspicere possunt, & nos in vnam cũ illo massam reducimur, Christi corpus, & caro vna. Et paulo post. Ministrorum nos ordinẽ tenemus, qui vero hæc sanctificat, et transmutat, ipse est Christus scilicet. Eadem loquitur homilia 60. ad populum Antiochenum.

Transmutatio.

Idem lib: 3. de sacerdotio, de sacrificio, cui sacerdos incumbit, differens ait. O miraculum, o dei benignitatem, qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omium manibus pertractatur, ac seipse tradit volentibus illum excipere ac complecti. Et in epistolam 2. ad Timoth: homilia secunda. Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiuscunq; meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo etiã conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus, cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoq; pronunciant, ita & oblatio eadem est. Et paulo post. Hoc igitur Christi corpus, & illud est. Qui autem hoc illo minus habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atq; operatur. Ista vobis nõ absq; certa ratione diximus. Hæc Chrysostomus.

NOTA.

oblatio.

Cui non dissimilia Basilius in dialogo suo loquitur. Qui sursum sedet ad dexteram patris, sacrificij tamen tempore hominum manibus continetur. Et Leo papa in epistola ad Anatolium episcopum, Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Maria virgine sacramentum propitiationis exequitur. Hæc Leo. Cui ter sancto ab vniuersa Chalcedonensi synodo sexcentorum triginta ex toto orbe episcoporum acclamatum est. Cæterum prædicta non intelligenda, quasi Christi corpus cœlũ relinquens descenderet, vt ibidem adsit in altari sub forma sacramenti, sed inconcussa fide illud credẽdum, quòd diuina virtute panis & vinũ conuertitur in corpus & sanguinẽ Chri vere ibi existentis. Queadmodũ (si paruula maximis sunt comparanda.) cum faciei humanæ obijciuntur compluscula specula, in quorum singulis efformatur illius faciei effigies: non egreditur in illa efformatione figura faciei, vt transferatur in speculum, sed manens immota, suam in vnoquoq; speculo effingit, & quidem integram imaginem. hac de re inferius plura.

Basilius.

LEO.

Christus non relinquit dexterã patris.

Simile.

Theophilactus episcopus Bulgariæ in cap: Math: 26. Porro dicens, hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus domini est panis, qui sacrificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, præsertim hominis carnẽ, & ideo panis

Theophilactus.

NOTA.

cur non appareat caro sed panis.

quidem apparet, sed caro est. Et in Marcum. Non enim, inquit, figura tantum & exemplum quoddam dominici corporis panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo caro mea est. Non dixit, figura carnis meæ est, sed caro mea est. Et paulo post. Deus infirmitati nostræ condescendens, speciem quidem panis et vini seruat, in virtutem autem panis & vini transelementat. Et in Ioannem. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionē sancti spiritus in carnem domini. Audis (referente Theophilacto) quid ante octingentos annos de sacramento eucharistiæ crediderit Bulgaria, & Græcia.

TRanselementatio.

Theodoritus.

Theodoritus Græcus Pauli apostoli verba exponens. Quod vero ait: reus erit corporis & sanguinis domini, hoc innuit, quod quemadmodum prodidit quidem illum Iudas, & Iudæi eum conuicijs & iniurijs affecerunt. Sic illum ignominia afficiunt qui sacratissimum eius corpus manibus impuris attrectant, oriq; admouent execrabili. En simile crimen proditoris, crucifigentiumq; Iudæorum, & indignè illud sacrosanctum corpus habentium. Quemadmodum (inquit Chrysostomus) Iudæi eum transfixerunt, non vt biberent, transfixerunt, sed vt effunderent, ita qui indigne communicat, nullum inde fructum consequitur, atq; ita effundit.

Chrisosto: hom: xxvij in epist: ad Corin

Augustinus.

Augustinus, Hieronymi & Ambrosii synchronus in concione prima super psal: 33. Manibus, inquit, aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur, ferebatur autem Christus manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait. hoc est corpus meum. ferebat enim illud corpus suum in manibus suis. Ita Augustinus. Obsecro quomodo sese ferebat in manibus suis, nisi ipse substātialiter sub panis accidentibus contineretur? sed ferebat se spiritualiter. De hoc paulo post latius dicetur. Idem in psalmum 98. De carne Mariæ, carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.

Et paulo post. Non solum non peccemus illam adorando, sed peccemus illam non adorando. Ita Augustinus. Ab eodem (vt ex scriptis eius colligitur) ponitur triplex modus cōmunionis. Vnus sacramentalis tantum, qui bonis & malis communis esse potest, cum caro Christi editur, & sanguis eius bibitur, in altaris sacramento, de quo illud Augustini. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi &c. De hoc modo, & illud Pauli intelligitur. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Alter modus est spiritualis tantum, qui his qui in fide, & charitate perseuerāt peculiaris est, iuxta illud Augustini: Vt quid paras dentes,

Triplex modus cōmunionis.

Augu: tract: xxvi sup Ioannem.

Tracta: xxv. super Ioannē

dentes, & ventrem, crede & manducasti. Secundum hunc modum quidã intelligunt illud seruatoris Christi dictum. Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Item, qui credit in me, habet vitã æternam. Tertius modus spiritualis & sacramẽtalis simul, quem idem innuit, cum diceret: Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuiq; erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramẽto visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur & spiritualiter bibatur. audiuimus enim dominum dicentem: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicq̃. Hos modos qui non distinguunt, putant Augustinum sensisse fide tantum, et cordis affectu huiusmodi sacramentalem manducationem fieri.

Ioan: vi.

Augu: de uerbis apostoli sermone secundo

SOLVTIONES QVARVNDAM OBIECTIONVM PRAESERTIM EX AVGVSTINO.

Solutio obiectionis cuiusdam.



AT NON DESVNT QVI EX Augustini scriptis proferãt locos, quibus probare nituntur, Augustinum negare veritatem corporis & sanguinis in sacramẽto eucharistię, vt inter cæteros locos est ille in prologo psal: 3. cum de Iuda proditore loquitur. Cũ Christus cogitationes eius, inquit, non ignoraret eum tamen adhibuit ad conuiuium, in quo sui corporis & sanguinis figuram discipulis commendauit. Et cap: 12. contra Adimantum. Non dubitauit, inquit, dominus dicere, hoc est corpus meum, cum signum corporis sui daret. Sed illi non rectè. Nã ipse Augustinus fatetur in libro sententiarum Prosperi, vt refert Gratianus, sacrificium ecclesiæ constare duobus, visibili elementorum specie, inuisibili domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: sacramento, id est, visibili sed mystico signo, & re sacramenti, id est, corpore Christi. Vnde ait: caro eius est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus, & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus &c̃. Et in epistola ad Ireneum. Non hoc corpus quod videtur, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt illi qui me crucifigent, ipsum quidem, & non ipsum. Ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Vnde & subditur: si necesse est illud celebrari visibiliter, necesse est illud inuisibiliter intelligi. Hæc Augustinus referente Gratiano. Et in psal: 98. loquens de corpore Christi ait: Si necesse illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibilit' intelligi. Quod igitur Augustinus sacramentum dicit, esse formam & signum corporis, id verè dicit, non tamen eo tollit veritatem corporis & sanguinis Christi ex sacramento, vt verba eius proximè citata ostendunt, veluti & Tertullianus, vt ante ostensum est.

Gratianus distinct: ij, de cõsecrat.

Sacramẽtum quid propriè significet.

Sciendumq; est formam seu speciem panis & vini, et cæteras

et ceteras qualitates remanentes, sacramentum tantum modo verè dici & esse: substantiam autem illam inuisibilem, quę ipsi sacramento operta est, & in quam panis & vini substantia translata est, verè & propriè dici et esse corpus Christi. Hoc ex verbis prædictis Augustini intelligitur, in quibus non dicit formã panis esse carnem Christi, sed operimentũ carnis Christi. Vnde in sermone quodam ait. Quod videtis in altari panis et calix est, quod etiam vobis oculi vestri renunciant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus, calix est sanguis. Item. corpus Christi et veritas & figura est: veritas, dum corpus Christi & sanguis, virtute spiritus in verba ipsius, ex panis vinique substantia efficitur: figura vero est id quod exterius sentitur. Si igitur species visibiles panis et vini vocentur corpus et sanguis Christi, id oportet intelligi nuncupatiuè, eo locutionis modo, quo res significans solet rei significatæ vocabulo nũcupari. Vnde Augustinus ad Bonifacium. Si sacramẽta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim secundum quendam modum, sacramentum corporis CHRIsti, corpus CHristi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: Sic sacramentum fidei fides est, ac per hoc paruulus, qui non habet fidei affectum respondetur credere, & fidem habere, propter fidei sacramẽtum. In quo notandum est, (ait Algerus, quem Eras-

quem Erasmus Roterodamus recognouit) sacramentum corporis Christi, secundum quendam modum, id est similitudinariè, & nuncupatiuè, non propriè corpus Christi vocari quantum ad elemẽtorum speciem. Quod tamen verè, et propriè corpus Christi vocatur et creditur quantum ad substantiam quam continet, et in quam panis et vini substantia conuersa est. Vnde Eusebius Emissenus. Verè vnica & perfecta hostia fide æstimãda, nõ specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Cum enim exterius non videatur nisi species panis, interius creditur veritas dominici corporis.

cap: v, lib: i, de sacra: euchar.

Neq; solum sacramentum panis & vini significat, et est nuncupatiuè corpus Christi, sed etiam verum corpus Christi inuisibile post resurrectionem est sacramentum visibilis corporis Christi in pasione scz sui ipsius. De hoc Augustinus in lib: sententiarum Prosperi. Caro eius est, inquit, quam forma panis opertam in sacramẽto accipimus, & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis sacramentum sanguinis, carne & sanguine vtroq; inuisibili, intelligibili, spirituali significatur corpus visibile domini nostri Iesu Christi, & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maiestate. Item in eodem. Sicut ergo cœlestis panis qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, quum reuera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce po-

Alg: ca. xviij lib: i, de sacramẽto euchar.

cruce poſitum eſt, vocaturq́ ipſa carnis immolatio, quæ ſacerdotis manibus fit, paſsio Chriſti, mors, crucifixio, non in rei veritate, ſed in ſignificante myſterio: ſic ſacramentum fidei, quod baptiſma intelligunt, fides eſt. Et ad Bonifacium. Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, et tamen in ſacramento non ſolum per omnes paſchę ſolennitates, ſed omni etiam die pro populo immolatur, neq; vtiq; mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari. Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim ſecundum quendam modum, ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt. Sic ſacramentum fidei, fides eſt, ac per hoc paruulus qui non habet fidei affectum, reſpondetur credere, & fidem habere, propter fidei ſacramentum. Quibus verbis Auguſtinus probans ſacramentum fidei fidem dici, duas ſimilitudines dat. Vnam actualis ſacramenti, immolationis ſcilicet imaginariæ. Alteram vero realis formę ſcilicet panis & vini, vt ſicut immolatio imaginaria figuratè vocatur mors, crucifixio Chriſti. Et ſicut forma panis & vini figuratè vocat̃ corpus Chriſti, ſic ſacramentum fidei ſcilicet baptiſma figuratè vocatur fides. In quo notandum quòd in altera harum ſimilitudinum cœleſtem panem, qui verè Chriſti caro eſt, non communi, ſed ſuo proprio modo corpus

EXPLicatio uerb: Augu.

Expoſitio uerborum Aug.

vocari dixit. Non ita intelligens quaſi non verè dicatur & ſit corpus Chriſti, ſed ſuo modo, id eſt, ſibi ſingulariter proprio, intelligendo corpus illud natura non ſubſtantia mutatum ſpirituale. In altera autem ſacramentum corporis Chriſti, id eſt formam panis abſolutè ſecundum quendam modum corpus Chriſti dixit, quia communi figura non exiſtentium, quod dicuntur, illud dici corpus Chriſti notauit, vt proximè dictum eſt. Quod autem inuiſibile corpus Chriſti ſacramentum viſibilis corporis Chriſti dixit, intelligibiliter tantum per exteriorem aliquam actionem, & non ſenſualiter accipiendum eſt. Quomodo enim more cæterorum ſacramentorum viſibilium, id quod videri non poteſt, rei viſibilis eſſe poterit ſignum, niſi exterioris alicuius actionis circa ſe imaginem? De hoc inferius dicitur.

Solutio obiectionis cuiuſdam ex Aug.

Ex prædictis facilè diluitur opinio eorum qui intelligunt Chriſtum imaginarium in ſacramento, ex eo quod ab Auguſtino dicatur immolari in ſeipſo, & quotidie in ſacramento: quaſi verus intelligi debeat, cum dicitur: in ſeipſo: et non verus, in ſacramento. Sed ſciendum Chriſtum dici immolari in ſeipſo, id eſt in humana forma: & in ſacramento, id eſt panis & vini forma. Non quin tam verè hic immoletur in ſeipſo quantum ad ſubſtantiam, ſicut ibi, ſed vt notetur hic et ibi diuerſa eiuſdem ſubſtantiæ forma. De hoc inferius. Hac de cauſa ſancti de corpore Chriſti & ſanguine loquũtur variè, ſed nõ contrariè. Hieronymus

Aug: ca: xvi, lib: i, de ſacra: euchar.

in primũ cap: epist: ad Ephesios. Dupliciter, inquit, sanguis Christi & caro intelligitur, vel spiritualis illa atq; diuina, de qua ipse dixit: caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Vel caro et sanguis quę crucifixa est, & qui à militis effusus est lancea. Quod non dixisse, ait Algerus, quantum ad duplicem substã tiam credendus est, sed quãtum ad duplicem eius substantiæ formam, qua nunc in humana, nunc panis & vini intelligitur forma, alioqui secum ipse pugnaret, vt paulo ante patuit. Quin & ecclesia corpus Christi dicitur ab Augustino & scriptoribus grauissimis, & à Paulo apostolo.

Caro Christi quot modis intelligatur.

Alg: ca: xvij. lib: i.

Qui igitur has significationes corporis Christi, sacramentum item & rem sacramenti, appellationesq; eorum non distinguunt, facile labuntur, & grauissimos authores suo errori fauere putant. Veluti inter cætera illud Augustini lib: 3. de doctrina Christiana. Locutio, inquit, si flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est pręcipiẽs passioni domini esse communicandum, & vtiliter recondendum in memoria, quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit, quod & ipse dominus præcepit, hoc facite in meam commemorationem. Hæc Augustinus, non quòd intellexisset corpus verum domini modo spirituali (de quo proximè diximus ex Hieronymo & latius paulo post) in sacramento non esse, sed de corpore visibili in forma humana sensit, quale Iudæi intellexerũt, de quibus idem Augustinus in psal: 98. Sed quomodo, ait, illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere venditur, aut in macello dilaniatur. Hæc ille & plura ibidem. Qui nisi sic intellexisset, & sibi & omnibus orthodoxis contraueniret, vt ex ante dictis patuit. Plura ea de re Algerus scribit, ex cuius lectione Erasmus Roterodamus ait sibi nescio quo pacto non parum confirmatam sententiam esse, & auctam reuerentiam eucharistiæ, etsi nunquam antehac dubitasset de veritate corporis dominici, vt ipse fatetur.

Augu: lib: iij, cap: xvi.

Alg: lib: i, ca: xi, de sacram: euchar.

Iam et ex prędictis facilè conuincuntur illi, qui volentes tollere veritatem corporis & sanguinis domini ex sacramento, definitionem sacramenti & signi ex Augustino proferunt. Sacramentũ est inuisibilis gratiæ, visibilis forma. Signum est præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire. Nam vt ex supra dictis patet, non negatur ratione accidẽtium seu specierum panis & vini in eucharistia esse figuram, formam, signum, symbolum corporis domini, quod illic verè est, licet non cernatur. Alioqui nec in baptismo reuera originale peccatum deleretur, nec spiritus sanctus descenderet, si signa essent tantum illa earum rerum, & non res ipsa. Nam et illic spiritus non cernitur, nec anima, quæ mundat.

Obiectionis solutio.

Augu: lib: ij, cap: i, de doctrina Christ.

Sed neq; isti rectè argumentantur, qui ex eo, quòd

Solutio obiectionis

quo'd aqua baptiſmi non ſit ſpiritus ſanctus, negant eſ-
ſe in ſacramento euchariſtię corpus et ſanguinẽ Chri-
ſti. Licet enim materia baptiſmi & cæterorum ſacra-
mentorum ſpiritum ſanctum credentibus ſuo myſte-
rio exhibeat, non tamen continere eſſentialiter, ſed fi-
guratiuè tantum creditur. Solum ſacramentum panis
et vini ita mutatur, vt ſubſtantialiter non ſit quod an-
te fuerat, ſed ſubſtantia eius corpus Chriſti fiat, forma
vero remanens ipſum ſignificet & contineat. Poteſt
tamen ſacramentum euchariſtię in ſignificando Chri-
ſtum cum alijs ſacramentis comparari, veluti Augu-
ſtinus & cæteri comparant, vt Algerus docet, quam-
uis tanto priuilegio vt omnibus tam nouis quàm ve-
teribus pręcellat. Nam arcano quodam modo ſub ſpe-
cie panis et vini, verum corpus Chriſti et ſanguis con-
tinetur. Neq; ſolum comparatur ſacramentum cor-
poris Chriſti cæteris ſacramentis conſignificando, ſed
et in corpore Chriſti æternaliter non permanendo.
Quamuis panis ſubſtantia mirificè in corpus Chriſti
creditur conuerſa, forma tamen in ſacramento rema-
nens, non in corpore Chriſti manere perpetualiter,
ſed poſt hanc vitam omnino deſinere creditur, ſicut
et cætera ſacramenta. Illic enim ablata vmbra ſacra-
menti, videbimus eum ſicuti eſt, vt ſcriptura docet.
Porro ſacramentum corporis domini duobus modis
ſuis rebus ſimilatur, & eas ſignificat: Primo ſua ex ſe
ſimilitudine, de quo dominus. Caro mea verè eſt ci-
bus, & ſanguis meus verè eſt potus. Item. Ego ſum
panis vi-

Alg: ca: viij, lib: i.

Quomõ ſacramentum corporis domini, cum alijs ſacramentis cõparari poſsit.

Aug: lib: i, capite xix.

i Ioã: iij.

panis viuus qui de cœlo deſcendi. Sicut enim cibus &
potus temporalem vitam, ſic ipſe dat æternam. Vnde
Ioannis ſexto: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet
in æternum. Nec ſolum ſua ex ſe ſimilitudine cibi &
potus nomine et ſpecie ſignificari ſe voluit vitam ęter-
nam, ſed etiam ex panis & vini ſimilitudine ſignificari
voluit aliud corpus ſuum, id eſt eccleſiam, quæ corpus
ipſius facta, & miſericordia eius quod accipit ipſa eſt,
vt ait Auguſtinus, iuxta illud Pauli. Ipſum (de Chri-
ſto loquitur) dedit caput eccleſię, quę eſt corpus ipſius.
Et Chriſti. Qui manducat meam carnem & bibit me-
um ſanguinem in me manet & ego in eo. De hoc ſu-
perius. Et quia panis ex multis granis conficitur, &
vinum ex multis vuis confluit: propterea dominus
in his ſacramentis ſuum corpus commendauit, vt cha-
ritatis & vnitatis admoneamur in Chriſto, ſecundum
illud Pauli. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus,
nam omnes ex eodem pane participamus. Secundo
ſimilitudine alicuius exterioris actionis circa ſe. Dum
frangitur (inquit Auguſtinus) hoſtia, dum ſanguis de
calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm do-
minici corporis in cruce immolatio, eiuſdemq; ſan-
guinis de latere effuſio deſignatur? Ideo etiam corpus
ſuum fregit & tradidit vt ſignaret quo'd ſponte ſua in
paſsione ſe frangeret, & traderet pro nobis, qui ſolus
habebat poteſtatem ponendi animam ſuam, quod eti-
am in altari vice ſua imitantur ſacerdotes, vt idem re-
preſentent.

Sacramẽtum euchariſtiæ q̃bus modis rebus ſuis aſsimiletur.

Eph: i.

Ioan: vi.

i Corin: x.

Error quorũdam

Stultè impièq; & illi qui ex verbis Augustini sentiunt, ita personaliter in pane inpanatum Christum, sicut in carne humana personaliter incarnatum deum. Inde adeò quòd in libro sententiarum Prosperi dixerit Augustinus. Sacrificium ecclesiæ confici duobus, duobusq; constare, sicut persona Christi constat et cõficitur deo & homine. Dicunt enim male subaudiendo: ita personaliter ecclesiæ sacrificium, id est, CHristum in altari sacrificatum duobus constare in eadem persona, sicut persona Christi constat ex deo et homine. Qui error ex indifferenti & impropria vsurpatione nominum, vel similitudinum concipi videtur, qua de sacramento & re sacramenti ita loquuntur, vt prauè intelligentibus quasi vnum quid accipiantur. Sed cum dicitur, corpus Christi est veritas & figura, nunquid pro vna persona accipiendum est? Sicuti cum dicitur: homo est corpus & anima. Similis quidem cõstructio verborum, sed non similis intelligentia, non enim dicitur quòd hæc duo sint in corpore CHRIsti personaliter vnum facta, sed ita æquiuoce dicitur corpus Christi veritas & figura, quasi de vero homine & picto diceretur homo dicitur, homo verus et pictura. Quanq; familiarior fit figura panis cum veritate corporis CHristi, quàm pictura cum homine, cum non solum represẽtet vt sacramentum, sed ipsum etiam contineat, & substantialiter conuersus sit in ipsum. Itẽ non omnimoda similitudo accipienda est, qua dicit Augustinus sacrificium ecclesiæ ita constare duobus sicut per-

sicut persona Christi duobus constat, cum non vtrobiq; personalis vnitatis contulerit similitudinem, sed qualiter tantum vtraq; duobus constent, fecerit collationem. Hæc Algerus & plura hanc hæresim refutans cap: 6. lib: 1.

Hactenus testimonia non truncata orthodoxorũ, eorundemq; doctissimorum, & pietate insignium virorum, iam inde ab apostolis de veritate corporis & sanguinis Christi in eucharistiæ sacramento protulimus, tum obiectiones quæ ex scriptis illorum in contrarium à recentioribus producuntur, diluimus. Ex quibus colligere licet, eam fuisse tum de eucharistia ecclesiæ catholicæ per orbem fidem in qua Christus semper dat doctores, neq; omnibus in ea munus docendi commune esse vult, vt Paulus docet.

1 Cor: xij. Eph: iiij.

DE ERRORE BERENGARII.



CIRCITER ANNVM DOMIni millesimum, primus, quod sciam, Berengarius diaconus Andegauensis, homo, vt apparet, temerarius & arrogans, garrulitate, et loquacitate quadam sophistica tumens, ac sibi placens, nulla scripturarum doctrina solida instructus, in sacramento eucharistiæ non esse verum CHRISTI corpus, & verum Christi

sanguinem,

sanguinem, sed tantum sacramentum, hoc est, signum sacrum corporis & sanguinis domini sensit, quem errorem postea in concilio publicè reuocauit, hæc inter cætera (vt Gratianus refert) inquiens. Ego Berengarius &c̄. cognoscens veram & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, solum modo sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse &c̄ iurās per sanctam & homousion trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi euangelia, eos qui contra hanc fidem (de veritate sczt corporis Christi in sacramento) venerint, cum dogmatibus & consectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio. &c̄.

Distinc: ij, de consecratiōe.

Quæ verba cum istis ostenduntur, aiunt eum tyrannide spiritualium adactum id fecisse. At ille fatetur, vt est apud Gratianum, sponte se subscripsisse. Et licet ita fuisset, veluti isti prædicant, cur pro veritate, vt isti putant, mortem non oppetijt?

expenduntur uerba Berengarij.

Cæterum quod Berengarius in confessione sua affirmat corpus domini sensualiter non solum sacramētum, sed in veritate manibus sacerdotū tractari, frangi, fidelium dentibus atteri (quæ quidem verba quibusdam legentibus durum quiddam præ se ferre videntur) hoc (etsi non desunt, qui sentiāt corpus Christi essentialiter frangi, & diuidi, & tamen integrum et incorruptibile existere) per communicationem

idiomatum, dictumest, vel per synecdochen, veluti cum dicimus Christum passum, mortuum, cum tamē diuinitas passa non est, nec mortua: referendumq́; est ad species sacramenti, vt sit sensus (sicut quidam exponit.) Non tantum pondus, & reliquas sacramenti qualitates sensibus corporeis percipi fateor, sed etiam sub illis speciebus fractis & contritis partibus, totum et integrum corpus CHristi esse profiteor, totum mãducari, totum sumi.

Alij verba Berengarij sic distinguenda aiunt, vt sensualiter non tantum sacramento, sed in veritate dicatur, corpus Christi tractari, manibus sacerdotum frangi, verum & atteri dentibus, verè quidem, sed in sacramento tantum. Verbis Berengarij non omnino dissimilia sunt Chrysostomi verba ante citata. Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis &c̄. Et in verba Pauli. Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est, loquens de fractione in eucharistia hæc dicit. Quod in carne passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit. Quæ loquitur Chrysostomus ostendens Christi corpus verè in sacramento contineri. Et Cyrillus in Ioannem. Visibiliter simul atq; inuisibiliter CHristus omnibus apparet: inuisibiliter quidem vt deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam, vt firmiter credamus, quòd templum suum verè suscitauit. Non enim, ait Augustinus, quando manducamus, partes de illo facimus: & quidem in sacra-

lib: iiij senten. distinct: xij.

Verba Chrysostomi similia uerbis Berengarij.

SACRamēti fractio.

AVgustinus de uerbis domini.

Gratian: dist. ij, de consecratione. mento sic fit, per partes manducatur, & manet integer totus, per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cœlo. Manet integer totus in corde tuo. Ita Augustinus. Qui, vt antea ostensum est, dicit constare sacramentum eucharistiæ, visibili forma, vt pote specie panis & vini: & re sacramenti, id est, inuisibili corpore, & sanguine Christi. Vnde & ecclesia canit. Fracto demum sacramento, non vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmēto, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur. Eius rei datur similitudo de speculo, in quo repræsentatum *Simile.* in qualibet eius parte, si fractum fuerit, relucet integrum. Et de voce item, quæ à proferente ædita, multorum auribus integra excipitur. Miratur *Solutio obiectionis.* quispiam, quod corpus in tam parua hostia contineatur, cur non miratur, quod exigua oculi pupilla montem vel maximum apprehendit? Captiuandus hic intellectus in obsequium fidei, Christoq; omnipotenti credendum qui fallere non potest, nihilq; apud illū *ij Cor: x.* impossibile. Non igitur corpus Christi in sacramento diuiditur, cum & Christus ipse redarguat carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem CHristi in partes diuidendam & morsibus dilacerandam. *Lucæ i.* *Ioan: vi.*

De transsub

DE TRANSSVBSTANTIATIONE PANIS IN CORPVS CHRISTI.



ANTE TRECENTOS QVAdraginta, paulóue plures annos, in concilio œcumenico Laterano, cui interfuêre Ierosolymitanus & Constantinopolitanus patriarcha, metropolitani 70. episcopi 400. Græci et Romani imperij legati, regum vero Ierusalem, Frãciæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri oratores, iudicauit verum Christi corpus, & sanguinem in sacramento altaris, sub speciebus panis et vini veraciter contineri, transsubstātiatis pane in corpus, & vino in sanguinē, potestate diuina, vt scilicet sint accidentia panis, sapor, albedo &c̄. non tamen ipse panis. Idem & in concilio Florentino confirmatum, cui interfuêre præter Græcos Armeni, vbi etiam iudicatum perinde in pane fermentato, atq; in azymo sacramentum corporis confici posse. Id autem fecit ecclesia secuta vetustissimorum & orthodoxorum doctorum ea de re verborum Christi expositionem, de qua ante egimus. Cum enim Christus hoc ipsum quod porrexit discipulis affirmauerit suum corpus, & sanguinem: Et alibi dixerit: Nisi manducaueritis carnem filij & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c̄. Inde euidenter consequens est, illud ipsum non fuisse simul

Concilium Lateranū in quo transubstantiatio approbata.

Conciliū Florentinum.

Sacramētum corporis Christi ī pane fermentato.

 panem

Cur crediderunt semp. omnes transubstantiari panis et uini substantias.

panem & vinum, cum euidentem contradictionem implicet, esse aliqua essentialiter, & substantialiter eadem, vt quod bos & asinus, vtrumq; manens quod erat, vnum nihilominus sit alterum. Ex quo axiomate euidenti, verbis Christi ante omnia firmissimè credeñ intellexerunt consecratione perfecta sacerdotali ministerio, diuina virtute transsumi, & verti propositas illic panis viniq; substantias in corpus Christi & sanguinem. Hoc & Lutherus aliquando sensit.

LVTherus in ſsm: de eucharistia, et in libro uisitatiō.

Solutio obiectionis.

Non desunt tamen, qui ipsi damnandi, damnent decretum conciliorum, quod in sacramento corporis transsubstantiationem esse approbarint, ceu rem nouam. Qua quidem ratione vituperandum esset concilium Nicenum, quod contra impium dogma Arij iudicauerit filium deo patri esse homousion, id est, cōsubstantialem, licet hoc nomen nouum in scripturis canonicis non reperiatur. Vitio vertendum erit ecclesiæ, quod præter scripturæ canonicæ autoritatem nomine personæ vtatur in descriptione trinitatis sanctissimæ. Quemadmodum autem ab æterno fuit homousios patri filius, ita iam inde à constitutione huius sacramenti eucharistiæ, transsubstantiationem fuisse catholica ecclesia credidit, vt ante ostendimus. Sed recentiorum quidam ab orthodoxis & catholicis dissentientes, neq; permoti authoritate ecclesiæ, quam se credere in symbolo profitentur, secus sentiunt. Quorum alij verum Christi corpus & sanguinem in sacramento eucharistiæ esse affirmant, ita vt panis & vinū

De his superius, ubi secta recentiorum descripta.

sint cum corpore & sanguine vt in ijs corpus & sanguis delitescant. Alij contra, veritatem corporis & sanguinis negant, eaq; de re vtriq; inter se contendūt, nec inter ipsos, vt soli fatentur (quod in oratione mea de corruptissimis moribus ostēdi) conuenit, num verum corpus & verus sanguis Christi pani & vino insit corporaliter. Ob idq; ex conuentu Marpurgensi re indiscussa aliquando discessum fuit.

Sleidanus parte i, lib: vi.

De hac re cum aliquando scripta Oecolampadij apostatę ERAsmus Roterodamus vir doctissimus legisset missa à senatu Louaniensi vt de illis iudiciū ferret, hæc inter cætera scripsit. S. P. Magnifici domini, celsitudinis vestræ hortatu, perlegi librum Ioannis Oecolampadij, de verbis cœnæ domini, mea sententia doctum, disertum, elaboratum, adderem etiam pium, si quid pium esse possit, quod pugnat cum sententia, consensuq; ecclesiæ, à qua dissentire periculosum esse iudico. Hæc Erasmus in libello cui titulus est. Eras: Rotero: detectio præstigiarum cuiusdam libelli Germanicè scripti, ficto authoris titulo &c. In quo idem loquitur. Varijs argumentis in vtramq; partem vacillare possem, nisi me confirmaret autoritas ecclesiæ. Et in argumento in quartum librum Irenei ait. Maximā priscis ijsdemq; sanctissimis fuisse reuerentiam loquēdi de rebus diuinis, priusq̄ ecclesia super huiusmodi mysterijs pronunciaret explanatius. Quos etiam eam ob causam opinatur de multis partius ac tectius fuisse loquutos, ne si sanctum proiecissent canibus, ethnicis et Iudæis

Iudicium Erasmi de scriptis Oecolampadij.

Autoritas ecclesiæ.

Reuerentia loquendi de diuinis.

et Iudæis præberent ansam blasphemiæ. Proinde & Petrus apostolus ad Iudæos post acceptum spiritum sanctum verba faciens, Iesum virum exhibitum à deo appellat. Sed de iudicio & autoritate ecclesiæ, latius in oratione de corruptissimis moribus disseruimus.

Actuum ij.

Isti negantes transsubstantionem, aiunt. Sicut cum in Ezechiele de vrbe Ierusalem in latere descripta dicitur: ista est Ierusalem, non necesse fuit vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Ierusalem. Ita cum de pane dicitur, hoc est corpus meum, non est necesse vt substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi, sed ad veritatē sacramenti sufficit quod corpus Christi verè sit cum pane præsens. Cæterum hoc exemplum ad id probandum, vt docti tradunt alienum est. Cum enim dicitur: hæc est Ierusalem, non substantia lateris, aut aliquid aliud ostendebatur, sed figura in eo descripta. Vnde nulla opus erat ibi conuersione: deinde esse illud, non reale aliquod significat, sed figuratiuum tantum, quod vera fides in hoc sacramento non admittit. Quamuis autem contrarij dogmatis professores magis contētionis studio quàm veritatis hanc responsionem non probent, tamen in hoc similitudinem ostendere non possunt quam in exemplis inprimis requiri, omnes norunt. Sed esto talia inueniantur exempla, hic tamen illa non valere testis est catholica ecclesia, quæ iuxta præceptum Christi audienda est.

Solutio obiectiōis ex Ezechiele.

Ezechiel: v.

Iam quod Gelasium producunt aduersus Eutychen et Nestorium disputantem, et hæc dicentem inter cætera de sacramento corporis domini: esse non desinit substantia vel natura panis et vini. Hęc inquam verba referenda sunt ad formam panis & vini quæ manet post consecrationem. nam ibidem Gelasius dicit, panem & vinum in diuinam naturam transire spiritu sancto perficiente. ita GELasius, qui etiam licet illius partis esset, ecclesiæ tamen catholicæ iudicio standum est.

Solut: obiect: ex Gelasio.

RATIONES DE VERITATE CORPORIS IN SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.



QVOD SI IN SACRAMENto verum CHRISti corpus non esset, Christus qui veritas est, et fallere non potest, cur dixisset: Panis quem ego dabo caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita. Alioqui nisi vera sit caro, quomodo miraculum erit hoc quod Christus dixit: Panis quem ego dabo caro mea est. Præterea, quanam ratione caro Christi in hominibus viuifica esset, & vitam æternam præberet, & per hanc Christus in fidelibus suis maneret, & ipsi in eo. Hæc autem omnia Christus cum maxima asseueratione fieri dixit. Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, et biberitis eius san-

Ioan: vi.

Ioan: vi.

eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, ita & ego viuo propter patrem, ita & qui ederit me & ipse viuet propter me. Hæc Christus. Quę frusto panis, vt isti putant, non posse conuenire, nemo sanæ mentis negabit, præsertim si eorum verborum, Christi expositionem ante à nobis ex grauissimis & doctissimis maximeq; pijs viris productam expenderit. Ad hæc neutiq; Christus dixisset. Caro mea verè est cibus sanguis meus verè est potus. Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Nam si figuratiuè tātum esset cibus, nequaq; verè esset, neq; ipse Christus manducaretur, quod tamen ipse apertissimè in verbis prædictis fatetur. Qui etiam non futurum aliquid prædicens, non absens denuncians, sed hoc quod præsentialiter dabat discipulis, corpus suū fassus est. Hoc est, inquit, corpus meum. Non dixit hic panis. Neq; panis materialis pro nobis traditus, qui si illic demonstraretur per pronomen τοῦτο, id est hoc, non exprimeretur, cum ἄρτος, id est, panis apud Græcos sit masculini generis. Et certè Christus, si aliter esset, quàm verba sonant, non tacuisset rem tanti momenti, neq; apostoli. Vnde Augustinus (vt refert Algerus, lib: i. cap: 12. de sacramento eucharistię, & Martinus Peresius de traditionibus) loquens de sacramēto corporis & sangui-

NOTA verba Augustini

et sanguinis Christi, hæc ait. Ne ergo, vt isti discipuli putabant, per frusta discerptus & crudus vel coctus manducari crederetur, ipse summus sacerdos seipsum pro nobis patri offerens, sacramentum quò verè & salubriter manducari posset, ac bibi, confecit, tradensq; discipulis, ne in mysterio mysticè, & non propriè, vel verè loqui videretur, ait. Non futurum prædico, non absens aliquid denuncio, sed hoc quod præsentialiter do, est corpus meum, non figuratum sed verum, ipsum quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis idem ipse, qui pro vobis effundetur, addens etiam propriè proprium suę carnis & sanguinis effectum, scilicet in remissionem peccatorum. Et paulo post. Cum igitur certissimo sui sanguinis priuilegio veritatem carnis et sanguinis sui astruxerit in mysterio, ille cuius obedientia nobis iniuncta est patris edicto, restat tantum, vt scandalizatorum stultitiam vitantes, ipsum vt pater de coelo iussit audiamus, & quia veritas et vita est, veracem esse, sicut verè est credamus. Ita Augustinus.

Iam vero si in sacramento eucharistiæ esset solum signum & non verum Christi corpus essentialiter cōtineretur, id certè captum mentis humanæ non excederet, atq; hac ratione hic fides non requireretur, quæ in his quæ intellectus humanus peruestigare non potest, est necessaria, ob id enim à Paulo appellatur argumentum rerum non apparentium. Heb: xi. Porro fidem in hoc sacramento exigi, ipse Christus apud Ioannem testatur de manducatione corporis sui disserens. Sunt, Ioan: vi.

inquit, quidam ex vobis qui non credunt.

Qui igitur in verbis Christi hoc est corpus meum tropum nunc in verbo est, nunc in nomine corpus, nunc nescio in quo alio fingunt, martyres & orthodoxos, & sanctos patres, immo totam ecclesiam damnant, truncos & stipites faciunt quod hæc, vt isti putant, non intellexerunt. Quin & ipsum Paulum in quo (vt ipse fatetur) loquebatur Christus, is enim de sacramento hoc sic ait. Probet autem seipsum homo (hoc est, conscientiam suam examinet, nec sinistrè de hoc mysterio sentiat, vt ex Theodorito Græco ante retulimus, cui cæteri catholici consentiunt.) & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini, hoc est, expositore Photio Græco authore vetustissimo, non dijudicans corpus domini sed tanq; promiscuo, & indifferẽte cibo vtens, atq; ita ad ipsum accedens. Et alibi. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Et certè sicut idem apostolus, licet dixerit. Petra autem erat Chrũs: credidit tamen illic præsentem Christum fuisse, quo ad diuinitatem, id quod verba eius indicãt. Bibebant, inquit, de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Non enim, ait Chrysostomus, petræ natura aqua scaturiebat, siquidem ante scaturijsset, sed alia quædam spiritualis petra omnia operata est, hoc est,

i Cor:xi.

i Cor: x.

Locus Pauli.

hoc est, CHRistus, qui præsens omnia miracula fecit, ideo dixit: consequẽte eos petra, non autem petra corporea eos sequebat. Ita quamuis Paulus Christi corpus nominat panem, & sanguinem calicem, nihilominus sub speciebus panis & vini, verum corpus Christi et sanguinem esse credidit, vt verba ipsius ostendunt. Vnde Chrysostomus in hæc verba. Maximè his sibi verbis & fidem facit, & horrorem. Eorum autem huiusmodi est sententia. Quod est in calice id est quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis appellauit, quoniam cum præ manibus eum habemus cum admiratione & horrore quodam inenarrabilis doni laudamus benedicentes, quod sanguinem effudit, neq; tantum effudit, sed nos participes eius effecit. hæc ille. Sed quid Paulum hic nomino, cum sacramentarij et ipsi dogmati Christi (de quo ante dictum) aduersentur, ipsumq; mendacem faciunt, soli potius mendaces. Est enim deus verax, Omnis autem homo mendax. scriptura testante.

Chrysostomus

Psal: cxv.

Sed inquiunt isti, sacramentum hoc in literis sacris vocari panem. Quid tum? nonne & Christus seipsum appellat panem, qui de cœlo descendit. Et scriptura vocat hominem, cinerem & terram, idq; per metonymiam qua plerunq; materia pro materiato ponitur. Vetus ista fuit figura, ait Tertullianus, corporis Christi dicentis per Ieremiam. Aduersum me cogitauerũt dicentes. Venite conijciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius. Itaq; illuminator antiquitatum

Solutio obiectiõis quod eucharistia uocetur panis.

IOan. vi.

Eccle: x.

Tertul: aduersus Martion: lib: iiij.

Iere: xi:

tiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Hæc ille.

libr: iiij cap: xviij. diuina institut.

Lactantius Firmianus corpus Christi ideo scribit panem à Ieremia appellatum, quia ipse est, inquit, cibus, & vita hominum qui credunt in carnem quam portauit.

Damas: li: iiij. ca: xiiij.

Damascenus lib: 4. orthodoxæ fidei ait. Etsi quidam, exemplaria corporis et sanguinis domini panem et vinum vocauerunt, vt deifer vocauit Basilius, non tamen post sanctificationem dixit, sed priusq; sanctificaretur oblatio ita vocabant. Hæc Damascenus. Et

Algerus lib: i, cap: vi.

Algerus. Notandum est cum diuina pagina corpus domini vocat panem, non substantialiter, sed mysticè et figuratè dici, vel quia ex eo conficitur, eiusq; nonnullas retinet qualitates, vel quoniam animam pascit, eiq; vitæ æternę ministrat substantiam, vel quoniam panis est angelorum.

cõtra eos qui in uerbis Christi exponunt est per significat.

Quamuis autem tales locos scripturę inueniri non negandum est. Vbi est exponitur, pro significat, neq; tamẽ necesse est verba Christi, hoc est corpus meum, ita intelligi, id quod & catholica credit ecclesia, vt ante ostensum est. Veluti & ille locus apud Ioannem. Et verbum erat apud deum, non indicat verbum fuisse quandam figuram dei. Quin & verba Christi apud Ioannem cap: 6. cæteriq; sacrę scripturę loci, manifestè prædictę expositioni istorum repugnant.

De expositiõe uerborũ Christi.

At isti nolentes ab arrepta semel opinione pudoris gratia abripi, instant asserentes CHRIStum apud

Ioannem

Ioannem cap: 6. loqui de spirituali tantum manducatione, de qua paulo ante dixi, inde adeò quòd CHristus ibidem dixisset. Caro non prodest quicq;, spiritus est qui viuificat, verba quæ ego loquor, spiritus et vita sunt. Cæterum verba hęc intelligenda sunt, non de carne Christi propria, sed ijs qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur. Carnaliter autem intelligere, est simpliciter, vt res dicuntur, neq; aliud quicq; intelligere, cum tamen mysteria omnia interioribus oculis consyderanda sunt, hoc est spiritualiter. Ita Chrysostomus in Ioannem. Cui subscribit Cyprianus, Ambrosius, & cæteri orthodoxi. Nam quomodo caro nihil prodest sine qua nemo potest viuere, sicut ibidẽ Christus docet. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergo hæc particula contextus: caro non prodest quicq;, non de ipsa carne, sed carnali auditione intelligenda est, qualis erat Capernaitarum, qui dicente Christo de manducatione corporis sui disceptabant inter se dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? durus hic est sermo, quis potest eum audire? Existimabant, vt ait Cyprianus, hoc eo modo dici, vt carnem Christi, vel elixam, vel assam, sectamq; membratim edere docerentur, tum illius personæ caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi possit sufficere, qua semel consumpta, videretur interijsse, cui nequaq; vlterius victima superesset: sed ĩ cogitatiõibus huiusmôi

Chrysostomus hom: xxvi.

Cyprianus de cœna domini.

Capernaitæ

Cyprianus de cœna domini.

caro &

caro & sanguis non prodest quicq̃, quia sicut ipse magister exposuit, verba hæc spiritus & vitæ sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Ita Cyprianus, cum quo Augustinus & cæteri orthodoxi sentiunt.

Cyrilli expositio.

Verba Cyrilli non prætermittenda duxi. Cum igitur quidam (inquit Cyrillus) audientes Christum de carne sua differentem, putarent se à Christo ad immanes ferarum mores vocari incitariq̃, vt vellẽt crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ vel auditu horrenda sunt. Adhæc cogitarent quomodo caro huius hominis æternam vitam nobis largiretur? aut quomodo mortalis ad immortalitatẽ adducere poterit? Christus cuius oculis omnia nuda sunt et aperta, alia re mirabili ad fidem eos impulit. Hoc, inquit, vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. Quasi dicat. Si propter verba mea quę captum vestrum superant, cõturbamini, nunquid eis credetis, quando ipsi oculis vestris cernetis ascendentem filium hominis in cœlum? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste faciet, is & viuificum effecit, quamuis natura sui corruptibile fuerit. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicq̃. Non prodest, inquam, si per se sine spiritu intelligatur. Verba quę ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Totum corpus suum (ait Cyrillus) viuifica spiritus virtute plenum esse ostẽdit. Spiritum enim hic ipsam carnem suam nuncupauit. Non quia carnis naturam amiserit,

amiserit, et in spiritum mutata sit, sed quia summè cum eo coniuncta, totam viuificandi vim hausit. Nec indecenter hoc dictum quisq̃ existimet. Nam qui domino conglutinatur, vnus spiritus cum eo est. Quomodo igitur caro sua vna cum eo non appellabitur? huiusmodi ergo est, quod dicitur. Putatis me dixisse viuificum natura sui esse terrestre & mortale hoc corpus, ego vero de spiritu & vita loquutus sum. Non enim natura carnis secundum se viuificare potest, sed virtus ipsius spiritus, viuificantem carnem reddidit. Verba ego quæ locutus sum, id est, ea de quibus locutus sum vobis, sunt spiritus & vita, qua ipsa etiam caro mea viuit, et viuifica est. Hæc Cyrillus ante mille annos lib: 4. in euãgelium Ioannis scribens, quibus confunditur os loquentium iniqua.

CONTRA EOS QVI NEGANT CHRISTI CORPVS ESSE VERACITER IN SACRAMENTO, QVOD SEDEAT AD DEXTERAM PATRIS.



ISTI QVI NEGANT CORPVS CHRIsti veraciter in sacramento esse per philosophiam, & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominũ, iuxta elementa mundi (quod tamen apostolus

Coloſ. ij. apoſtolus fieri prohibet) decepti ſunt. Cum enim ſcriptura diuina teſtetur Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, et ſediſſe ad dexteram patris: ſcirent autem naturę ordine corpus vnum & idem, ſimul eſſe non poſſe in diuerſis locis: ea re igitur negāt veritatem corporis domini in ſacramento. Quaſi vero religio Chriſtiana in ratiocinationibus humanæ mentis conſiſtat, & non in fide potius, id quod prima vox ſymboli apoſtolici indicat. Credo in deum patrem. Credere autem, eſt firmiſsime aſſentiri his quæ diuinitus reuelata ſunt, etiamſi ſenſibus humanis & rationi inconuenientia videantur.

Religionis chriſtianæ fundamentum.

Quod ſi quis cauſam exigat eorum quæ creduntur, dictio ſequens oſtendit, omnipotentem. Non enim eſt impoſsibile apud deum omne verbum, qui omnia quæcunq; voluit fecit vt ſcriptura diuina docet. Proinde diuus Paulus fidem dicit eſſe ſubſtantiam, id eſt, fundamentum rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Nam niſi primum crediderimus, labuntur nobis omnia. In diuinis enim plurima talia ſunt, quæ nullus creatus intellectus peruestigare valet, quæ nullis argumentis aſtrui poſſunt, immo, ſi humanam ratiōem ſpectes, ſunt ſcandalo. Ob idq; idem Paulus fidem, argumentum non apparentium nominat, quòd ſcilicet ipſa in rebus diuinis nobis vicem argumentorum, hoc eſt rationum dubiæ rei fidem facientium, obeat.

Lucæ i.
Pſal: cxi.ij
Heb: xi.

Clamat apoſtolus vas electionis, cui tertij cœli myſteria videre contigerat, iudicia dei eſſe incomprehenſibilia, & vias eius inperueſtigabiles.

Rom: xi.

ueſtigabiles. Ipſe item deus apud Eſaiam, ſicut cœlum exaltatur à terra, ita cogitationes ſuas à cogitationibus hominū. Nos vero puluis et cinis quaſi digito opera diuina metiri volumus. At ita non diceremur fideles, neq; fides inprimis in nobis requireretur, ſine qua diuus PAVlus impoſsibile eſſe dicit placere deo. Qui igitur in religione non fidei, ſed ratiocinationibus mentis planè nititur, is in eis euaneſcet, & offendet in petram ſcandali Chriſtus, qui quaſi pręmonens ne id fiat, prædicat illum beatum qui in eo non fuerit ſcandalizatus, exemplo Capernaitarum, Chriſto de carne ſua diſſerenti ſcandalizatorum. Ad cuius myſterium non ratiocinationes humanæ, ſed fides inprimis requiritur, quod & Chriſtus in prædicto loco apud Ioannem indicat, cum diceret. Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. At qui ſi corpus Chriſti in ſacramento ſignificatiuè tantum & non verè eſſet, nihil eſſet miraculi, nihil præter naturæ ordinem, vbi fides neceſſaria eſt, vt ante diximus.

Iſa: LV.
Heb: xi.
Rom: ix.
Mat: xi.
Ioan: vi.
Ioan: vi.

Si philoſophiæ & rationi humanæ innixus putas corpus Chriſti verum non eſſe in ſacramento, quòd ſedeat ad dexteram patris, vnum autem corpus non poteſt conſiſtere in multis locis: certè eadem ratione dictante, Chriſtus ex ſepulchro ſaxo incumbente monumento, immoto non exijt, neq; ad diſcipulos ingreſſus ianuis clauſis. Duo enim corpora iuxta naturæ ordinem non poſſunt eſſe in vno loco proprio, neq; vnum per aliud integrum transmeare. Sed illa feciſſe

Solutio p inſtantiam.

Christum credidit vetus ecclesia, de qua re IVstinus martyr in quæstionibus ad orthodoxos scribit, et scriptura diuina testatur. Itaq;, inquit Iustinus, territis eius ingressu discipulis, permisit palpare passos locos sui corporis, quoniam non mutatione corporis in spiritum ingressus erat ad eos, sed cum crasso corpore, diuina sua potestate effectrice rerum, quæ sint supra naturam.

Iustin: quæst: cxvij.

Vide testimonia orthodoxorum collecta apud Hofmeisterū cap: xxij, locorum communium.

Quod si hæc exempla alicui rationes poscenti non satisfaciunt, etsi facere debuissent. Nam quæ sunt earundem virium, habent eandem fidem, siue credantur siue tollantur, vt ait Iustinus, ponens exemplum de Christo ambulante super mare corpore non mutato, et intrante ad apostolos corpore non mutato ianuis clausis: adijciam exemplum de corpore Christi, quod præsenti negotio conuenit. Imposibile videbatur, si rationi niti velis, vt Christus seipsum integrum daret discipulis comedendum, quem ipsi coram cernebant, erat tamen verum, vt ante ostensum est: pari ratione, etsi in cœlis est, nihilominus & in sacramento verè esse credendus est. Intelligendūq; est fieri non posse, vt quæ supra naturam in natura fiunt diuina potestate, ea ratiõe naturæ exhibeant, vt inquit Iustinus martyr.

EXEMPLū

Credit ecclesia catholica anteaq; credidit iuxta scripturas, Christum ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram patris, nihilominus & in sacramento verè esse, idq; modo ineffabili, de qua re Augustinus. Donec seculum finiatur, sursum est dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit in vno loco esse oportet, veritas eius vbiq; diffusa est. Et in epistola ad Dardanum. Noli itaq; dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoriterq; recole, & fideliter tene confessionem Christianam, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos mortuosq; iudicandos. Et sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atq; substãtia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hãc formam non est putandus vbiq; diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Et in psal: 75. Si filium cogites secundum formam diuinitatis, & ipse cum patre vbiq; est. Si autem filium sic intelligis, secundum quod assumpsit carnem, & visus est inter homines, & crucifixus, & resurrexit. Nouimus quia ascendit in cœlum, hæc ille. Similia scribunt Damascenus, Basilius, Chrysostomus, & cæteri, quorum testimonia citauimus ante.

Fides ecclesiæ de Chri: sedēte ad dexterā patris.

Aug: tracta: xxx sup Ioannem.

Grat: dist: ij. de consecrat.

Vbi animaduertendū Christi præsentiam in sacramento dupliciter intelligi posse. Primo de vera aut reali præsentia corporali extensiua, & visibili, vt ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris. Secundum quam negandum est, vt Augustinus negat, & cæteri Christum in alio loco quàm in cœlo esse. Et ea ratiõe alibi

pͥsentia Christi in sacramento quomõ

Aug: in Ioānem tract: L.

Mat:xxvi.

alibi ait verum esse illud CHRIsti dictum. Pauperes semper habebitis, me autem non semper habebitis. Secundo de vera & reali præsentia modo spirituali, quo quidem modo corpus CHRisti est verè in sacramento, idem substantia quod pependit in cruce, sed non idem qualitate, nimirum iam glorificatum & spirituale, vt ex verbis CHRISti catholici & orthodoxi sentiunt.

APOLOgia confessionis ducis Virtembergensis, dicit Christi corpus in eucharistia contineri, non solum verè, realiter, substantialiter, sed etiam corporaliter: non quidem corporali, & visibili modo, sed sicuti PAVlus vtitur vocabulo σωματικῶς, vt opponitur adumbrationi.

Gerson: tract: ix, sup Magnificat.

lib: iiij, sentēt: distincti: x.

Aug: ad Dardan. &c:

Multa hac de re à theologis dicuntur, qui concedunt Christum hominem esse vbiq; personaliter, quia videlicet vna persona Christi, deus & homo est vbiq; per id quod deus. Non concedunt tamen Christum esse vbiq; corporaliter dimensiuè, sed tantum in coelo, & in templo sacramentaliter. Porro sacramentaliter esse in loco dicitur illud quando sub signo sensibili, ex Christi institutione ipsum repræsentante est præsens in aliquo loco per realem existentiam, ea tamen ratione, vt posſit esse simul in altero loco, vt corpus Christi in altari. Christi autem corpus in sacramento esse aiunt per modum substantiæ & quantitatis, licet non habeat modum quantitatiuum. Non enim intelligendum est quasi totum corpus sit extensum & extensiuè

Martinus Peresius de traditionibus.

Gerson tract: ix, sup Mag.

extensiuè sub dimensionibus seu accidentibus hostiæ, ita vt quantitas hostię sit ratio sibi essendi in loco. Nō enim corpus Christi in sacramēto est localiter seu circumscriptiuè, ita scilicet sicut aliquod corpus circumscribitur àere, vel aqua &c. Neq; accidentia panis & vini remanentia corpori Christi inhærent, sed per se stant, ab omni corpore separatæ, post quorum accidentium desitionem, desinit esse corpus Christi, et sanguis, non per annihilationem, vel aliam in se mutationem. Redit autem materia, vel eadem numero, quæ prius fuit, quod vtiq; fieri potest per creationem, vt redeat idem numero: aut materia fit noua, qualis est carnis, vel vermis, vel alterius rei, quę per accidentium actionem succrescit. Vel vt alij dicunt, quòd sicut accidentia habent modum substantiæ per se subsistendo, sic locum tenent materiæ & formæ panis in agendo & patiendo, non nouo sed antiquo miraculo. hæc ille & alia. Sed vt vt hoc fiat, etiamsi sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit, qua firmissimè credendum, vt ex verbis Christi orthodoxi credunt, immo tota catholica ecclesia, verum Christi corpus & sanguinem credit esse in sacramento eucharistiæ, idq; modo quodam spirituali ineffabili.

Accidētia panis in sacram.

Fides ī sacramēto euchari stiæ inprimis requiritur.

Libuit hoc loco adscribere verba Erasmi Roterodami viri doctisſimi ad id pertinentia. Vtinam (inquit ille in epistola dedicatoria Algeri) qui Berengarium sequuti sunt errantem, sequantur & pœnitentē, atq; horum etiam error ecclesię cedat feliciter. Existūt circa hoc

Erasmi Roterodami uerba de sacramēto eucharistiæ.

circa hoc ſacramentum innumeræ quæſtiones, quomodo fiat tranſſubſtantiatio, quomodo ſubſiſtunt accidentia abſq; ſubiecto, quomodo colorem, odorem, ſaporem, & vim etiam ſaturandi, inebriandi, nutriendi retineant, quam habebat nondum conſecratus panis ac vinum, quo momento incipiat eſſe corpus domini & ſanguis, quando deſinat eſſe ſubſtantia corporis & ſanguinis, & an corruptis ſpeciebus ſuccedat & alia ſubſtantia, quomodo idem corpus locis innumeris, quomodo iuſtum hominis corpus ſit ſub tantillo fragmento panis, aliæq; permultæ, quas inter eos ſobrie tractari conuenit, qui habent ſenſus exercitatos,

Heb.v. vt Paulus ait, vulgo ſatis eſt credere poſt conſecrationem, illic eſſe verum corpus & ſanguinem domini, quod nec diuidi poteſt, nec lædi, nec vlli patet contumeliæ quicquid acceſſerit ſpeciebus. hæc ille, & plura quæ alibi retulimus, admonens etiam vt aduerſus omnes humanæ cognitionis ſcrupulos, occurrat nobis primum immenſa dei potentia, cui nihil impoſsibile, cui nihil non facile, deinde quàm inæſtimabiles ſint dotes corporis glorificati, præcipuè domini Ieſu. Re-

Hiero: i xliiij cap: Ezechiel. ctè ille. Nemo enim (vt diuus Hieronymus ait) paſſionis domini corporisq; eius & ſanguinis pro maie-

Rom: xi. ſtate rei ſacramentum cognoſcere poteſt. Quis enim, vt apoſtolus ait, cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit?

anxia quæſtio quid affert. Neq; id anxiè quærere, fidei confert, quando enim ſubit quæſtio quomodo aliquid fiat, ait Chryſoſtomus, ſimul ſu-

ſimul ſubit & incredulitas, veluti Capernaitis accidit *Chryſo: homi- xlv in Ioan.* dicentibus. Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandum? Ita facit animus arrogans & *animus arrogãs quid agat* malignus (ait Cyrillus epiſcopus Alexandrinus) quęcunq; captum eius ſuperant, tanquam friuola aut falſa mox reijcit. Aliorum igitur culpa perdocti, monet idem, non quæramus quomodo, ſed operis ſui viam & ſcientiam illi ſoli concedamus. Nam quemadmodum *NOTA.* quamuis nullus nouit quidnam ſecũdum naturam ſit deus, iuſtificatur tamen per fidem cum credit præmia illum redditurum quærentibus eum: ſic etſi operum eius rationem ignoret, ſi certa tamen fide omnia illum poſſe non dubitet, non contemnenda probitatis huius præmia conſequetur. hæc ille & plura ea de re lib: 4. capi: 13. Proinde non ineptè quidam in hoc ſa- *Gerſon ſupra Magn.* cramẽto fidem inprimis requiri ait, rationis quicquid inductum fuerit, plus offenſurum & obruturũ quàm ædificaturum vel profuturum affirmat, exemplum etiam ea de re ſtudioſi cuiuſdam Pariſienſis proferens, *Exemplũ de ueritate corporis Domini in euchar: dubitantis.* qui cum ſcrupuli quidam quæſtionum de euchariſtia animo ſuo iniecti fuiſſent, illeq; à doctiſsimis quibuſq; ſolutionem & conſilium expeteret, morbus vero remedijs creſceret, vnus deinde illi id conſilij dedit, vt orationi inſtaret, ſacramentumq; euchariſtię ſuſciperet, hæc, aut ſimilia verba dicens: credo ſicut eccleſia credit, quo facto, ancipitibus cogitationibus leuatus eſt.

Rectè igitur, vt pleraq; omnia Auguſt: ad catechu- *ſermone xlvi. de uerbis domini in Ioannem.* menos quærentes quomodo corpus CHriſti manducaretur.

caretur. Accede, inquit, ad professionem, & soluisti quæstionem. Professio vero Christianorum quæ sit indicat prima vox symboli, credo. Huic professioni inhęrens Petrus cum alijs apostolis, etsi tanti mysterij cognitionem ratione non assequuti fuissent. Christum tamen de manducatione sui corporis loquentem non deseruerunt, veluti quidam rationi plane innixi fide neglecta scãdalizati sunt. De quo Augustinus. Intelligite obsecramus vos, & parui discite pietatem. Nunquid iam Petrus intelligebat secretum illius sermonis domini? nondum intelligebat, sed bona esse verba quæ non intelligebat, piè credebat. Ergo si durus est sermo, & nõdum intellectus est. Durus sit impio, tibi autem pietate molliatur, quia quandoq; soluetur, & fiet tibi oleum, & vsq; ad ossa penetrabit. Ita Augustinus.

Aug: in psal. Liiij.

Stultè igitur aduersarij in re præter naturæ ordinem fide apprehendenda philosophantur, addentes etiam pro sua ineptia indignum esse Christum ore hominum sumi, & in corpore hominum condi, & alia quædam etiam turpia dictu, cum tamen ille in virginis matrice sita inter rectum intestinum, per quod excrementa transeunt, & vesicam, in qua lotium colligitur, mensibus aliquot fuerit, natusq; multa perpessus sit, ad extremum cruci affixus.

Solutio obiectiõis cuiusdã

Cogitare autem corpori Christi Iesu in corpore humano perinde euenire atq; cibis cæteris, impium est, sicut sensere suo cognomine digni Stercoranistæ. De qua

Stercoranistarũ opinio refellitur.

De qua re CHRYsostomus homilia de eucharistia in encenijs. Num vides panem? num vinum? num sicut aliqui cibi in secessum vadunt? absit. Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Ita Chrysostomus. De hoc & Algerus, cum, inquit, de cæteris sacramentalibus speciebus, columba scilicet & igne, in quibus sanctus spiritus apparuit, Augustinus contra Maximinũ dicat, quia corporales illæ species peracto significationis officio transierunt, & esse vlterius destiterunt, nihil indignius de his corporalibus speciebus, quę Christi contegũt corpus, est sciendum. Officium enim huius visibilis sacramenti corporali comestione & potu ostendere, quòd Christus ecclesię incorporetur, quid deinceps de ipso fiat si rationes non vidẽtur sufficere, deo, cuius est, fideliter et honestè committatur. Melius est enim deo humiliter cõmittere quod scire non possumus, quàm peruersè contra eum fingere & sentire, quod tamen nescimus. Hæc Algerus libr: 2. capite primo. Et certè illud hic potius in animo habendũ, quod scriptura dicit. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.

Algerus.

Eccle. iij.

Vnde Photius Græcus, postq; multa de prædestinatione philosophatus esset, tandem concludit: vides, inquit, quomodo dubietatis huius solutio, alterius est

Photius.

occasio dubij. Idcirco præstat huiusmodi causas non inquirere, aut si inquiris, maiorum dubiorum causas pro solutione afferre. Est enim ingenui ac non ingrati serui, ab ipso opifice & domino rerum causas nõ exigere, sed de omnibus quæ agit gratias illi reddere. hæc ille. Et Iustinus martyr in expositione fidei. Maxime miratus, inquit, Christiana mysteria, cogor exclamare, nostras res esse sublimiores, quàm vt vlla mente, vlla ratiõe, vlla creata natura percipi queant. Quoties autem te quoq; similia scrutãtem subibit dubitatio, oppone quæstionibus paratam solutionem, fidem videlicet, cogitans quòd præsente fauenteq; deo, etiamsi ignoretur aliquid eorum quæ dicta sunt, vel propter excellentiam naturæ, vel propter dispensationis modum, nullum inde damnum accidet ignorantibus. An non pudet audaciæ, dum in res diuinas inquiritis, nisi non audistis oraculum, quod vestri similium conatus cohibens, luti et figuli proponit similitudinem, docens, nos abstinere à curiositate & à scrutãdis arcanis diuinis, cedendum potius voluntati dei, sicut lutum obsequitur suo figulo. Subeat igitur vos vel tandẽ religio & æquo animo cogitationes vestras supprimite, nec aliud quàm sola fides, nostras hesitationes dissoluat. Ita ille. Proinde credamus (vt Chrysostomus inquit) vbiq; deo, nec repugnemus ei etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: Superet & sensum & rationem nostram quæso, ipsius quod in oĩbus & precipuè in mysterijs faciamus,

Iustinus martyr.

Roma: ix.

NOTA uerba.

Chrysosto: homi: lxxxiij. in xxvi c: Mat.

faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoq; eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus, sed sensus noster deceptu facilimus est, illa falsa esse non possunt, hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Ita vetustissimi & orthodoxi de sacramento eucharistiæ. In quo si tantum signum esset corporis Christi, & non re vera ipsum Christi corpus, obsecro cur ea dixissent?

Cum igitur (vt Erasmi Roterodami viri doctissimi verbis concludam) tam euidens habeamus à Christo & Paulo testimonium, quum per hos viros euidẽtissimè declaratum sit, priscos quibus non sine causa tantum authoritatis tribuit ecclesia, concorditer sensisse in eucharistia esse veram substantiam corporis & sanguinis dominici. Quum his omnibus accesserint synodorum constans authoritas, tantusq; populi Christiani consensus: simus & nos concordes in tam cœlesti mysterio, & hic sub ænigmate edamus de pane et calice domini, donec aliter edamus & bibamus in regno dei.

Parænesis Erasmi Rotero.

DE ADORATIONE CORPORIS DOMINI IN SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

CORPVS CHRISTI in sacramento eucharistiæ

riſtiæ vetuſtiſsimos catholicos adoraſſe, ſcripta autorum grauiſsimorum teſtantur. Diuus Auguſtinus in pſal: 98. De carne, inquit, Mariæ carnem accepit, et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit. Et paulo poſt. Non ſolum non peccemus illam adorando, ſed peccemus non adorando. Idem. Ego dominicam carnem, immo perfectam in Chriſto humanitatē propterea adoro, quòd à diuinitate ſuſcepta, atq; deitati vnita eſt, vt non alium atq; alium, ſed vnū eundemq; deum, & hominem dei filium confitear. Deniq; ſi hominem ſeparaueris à deo, vt Photius, vel PAulus Samoſatenus, illi ego nunq̄ credo neq; ſeruio. Hæc Auguſtinus ſermone 58. de verbis domini.

Solutio obiectionis.

Quidam aduerſę partis aiunt Auguſtinum in prædictum pſalmum loqui non de euchariſtia cœnæ dominicæ, ſed de ipſo Chriſto qui eſt adorandus ſemper et vbiq;. Verum verba Auguſtini huic euaſioni eorū manifeſtè repugnant, vt videre eſt. Neq; Chriſtiani adorant ſpeciem panis, ſed Chriſtum verum deum & hominem illic exiſtentem ſub ſpecie panis &c̄.

Diuus Ambroſius cap: 12. lib: 3. de ſpiritu ſancto. Carnem CHriſti hodie quoq; in myſterijs adoramus, et quam apoſtoli in domino IESV adorauerunt. De hoc MAtthæus loquens de apoſtolis & Chriſto poſt eius reſurrectionem: cum vidiſſent illum, adorauerūt. Et LVcas. Adorato IEſu regreſſi ſunt Ieroſolymam.

Matt: vltimo. *Lucæ vltimo.*

Neq; em̄

Neq; enim (ait AMbroſius) diuiſus CHRIſtus, ſed vnus. Quodſi apoſtoli non viſa diuinitate, propter eam tamen, humanitatem Chriſti adorauerant, cur etiam, licet Chriſtus in ſacramento euchariſtiæ non videat̄, non eſt adorandus? Præſertim cum & apoſtoli hoc fecerint, nouo præcepto ea de re non habito, verum illo erant contenti. Dominum deum tuum adorabis, et illi ſoli ſeruies. Et alibi. Omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Qui non honorat filium non honorat patrem. Alioqui nec ſpiritus ſanctus ſecundum iſtos eſſet adorandus, quòd non extet apertè nouum ea de re præceptum, quod tamen fidei catholicæ maximè cōtrarium eſt. Arca veteris teſtamenti cum in locum quendam deduceretur, DAuid rex, & vniuerſus Iſraël (vt ſcriptura refert) ludebat coram deo omni poteſtate in canticis, & cytharis, & pſalterijs, & tympanis, & tubis, poſt ſingulos ſex paſſus, boue & ariete immolato. Re ipſa Dauid id præſtitit, quod aliquando de arca dei, ex qua oracula diuinitus dabant̄, ſpiritu ſancto præceperat. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Dauidem SOlomon imitatus qui noluit, vt vxor eius habitaret in domo, quæ ſanctificata erat ingreſſu arcę domini. Hanc autem arcæ reuerentiā dominum aſſeruiſſe ſcriptura narrat. OZa enim cum temerè manum arcæ nutanti admouiſſet, mortuus eſt, à domino percuſſus. MIchol Dauidem Ephod lineo indutum & ante arcam ſaltātem, quòd in corde ſuo contempſiſſet, & coarguiſſet, non

Matt: iiij. *Ioan: v.* *i Para: xiij.* *Pſal: xcviij.* *ij Para: viij.* *ij Regum vi.*

eſt natus

est natus illi filius, vsque in diem mortis eius. Neque CHRISTVS cum asino insidens Ierosolymam ingrederetur, vituperauit Iudæos, propter honorem sibi exhibitum, immo quosdam qui monebant, vt pueri clamantes & dicentes: Hosanna filio Dauid, à Christo compescerētur, grauissimè coarguit dicens: Dico vobis, si tacebunt hi, lapides clamabunt. Quodsi tantus honor arcæ domini olim exhibitus est, cur nunc Christo in sacramento verè existenti non exhibendus erit? præsertim cum ea adoratio, in scriptura diuina non est prohibita. Immo (vt proximè ostensum est) eius in literis sacris rationes & exempla extent. Christus non vituperauit eos qui summo honore, illum hic in carne existentē prosequuti sunt, isti verò eos qui illi in sacramento existenti id faciunt, qua fronte damnare audebunt? Quomodo non metuent ne pœnas contemptus & irreuerentiæ luant? quas si Oza, si Michol dedit, quanam ratione isti impunè ferent?

Matt: xxi.

Siuerat CHristus se à Iudæis blasphemari, flagellari, conspui, crucifigi, pollicentibus etiam se in eum credituros, si de cruce descendisset. Non mirum igitur est, si & nunc sacramentum eucharistiæ contemnentes, blasphemantes, in ignem etiam projcientes, non mox puniat, benignitate enim sua illos ad pœnitentiam inuitat. Certè Christiani antiquissimi etiam vulgarem panem, & vulgare poculum reuerenter tractabant, tanquam diuinitus data, de qua re Tertullianus sic inquit: calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram

Rom: ij.

Mos christianorum olim.

Tertullian: de coro̅a militis.

terram anxiè patimur. Isti verò sacramento eucharistiæ quid se facturos dicunt, quoniam turpe dictu est, dicere nolo. Lutherus ad Valdeñ scriptum reliquit, quòd sicuti magi in terra adorabant CHristum, sic in eucharistia posse fieri.

Proferunt aduersarij CHrysostomum homilia 60, ad Antiochenum populum. Discamus, inquit, philosophari & Christum prout ipse vult honorari. honorato namque iucundissimus honor quem ipse vult, non quem nos putamus. ita Chrysostomus. Addunt isti, non autem vult vt honoremus ipsum adorando pane, vetuit enim creaturas adorare. hæc illi. Cæterum CHRYsostomus illic non damnat adorationem Christi in eucharistia, verum hęc dicit notans eos qui, vt ibidem ait, satis sibi esse putant ad salutem, si viduis et pupillis expilatis, aureū calicem & gemmatum mēsæ offerant. Vnde ait: si vis honorare sacrificium, offer animam propter quam & immolatus est, hanc fac auream. Si vero plumbo maneat & testa deterior, vas autem aureum, quid vtilitatis? Itaque nec hoc consyderemus vt aurea vasa duntaxat offeramus, sed etiam vt ex iustis laboribus. Hæc & plura ille ea de re.

Solutio obiectionu.

NOTA.

DE CONSECRATIONE CORPORIS DOMINI.

CORPus & sanguinem CHRISTI à sacerdote consecrari

Augu: sermone lxxxi, de tempore.
Amb: lib. iiij. de sacramēto.

consecrari (sic enim loquitur diuus AMBROSius & AVGustinus) verbo Christi. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus &c. idq; potētia diuina, vetus ecclesia credidit, ex cuius traditione sola, nos idipsum habemus, & credimus. Siquidem nusq; id in canonica scriptura est planè expressum. De qua re Cyprianus martyr de cœna domini. Ex quo à domino, inquit, dictum est: hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, hic est sanguis meus. Quotiescunq; his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit. Et Ambrosius cap: 5. lib: 4. de sacramentis inter cætera cum recessisset verba Christi. Accipite, comedite, hoc est corpus meum, accipite & bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, hæc tandem infert. Anteq; consecretur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est CHRisti, addens etiam paulo post. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Et cap: 4. eiusdem libri. Vbi, inquit, venitur, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonib9 sacerdos vtitur, sed sermonibus Christi: Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum. Ita Ambrosius. Et Chrysostomus homilia 84. in Matthæum loquens de corpore Christi. Ministrorum nos ordinē tenemus, qui vero hęc sanctificat & trasmutat ipse est, Christus scilicet. Idem homilia 60. ad populum Antiochenum. Et tu laice cum sacerdotem videris offerentem, ne vt sacerdotem

Cyprianus.
AMBrosius.
Chrysostomus

sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam &c. Hieronymus item ad Euagrium loquens de presbyteris inquit: Ad quorū preces Christi corpus sanguisq; conficitur. Et passim omnes theologi fatentur sacramenti eucharistiæ formam esse verba CHRISTi, quibus hoc sacramentum conficitur.

de cōs: dist. ij.

Vsu autem corpus & sanguinem CHRisti credere consecrari, veluti recentiores quidam stultè & impiè tradunt, & non verbis Christi, idq; potentia diuina, quid aliud est, nisi ea opera tribuere humanæ potentię, quę dei sunt: hoc vero crimē blasphemię est. Non enim humanæ virtutis sunt hæc opera, quæ tunc in illa cœna fecit Christus, quæ etiam ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit, ministrorum vero ordinem sacerdotes tenent, vt catholici tradunt. Neq; minus est, veluti diuus Ambrosius ait, nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Sed quis huiusmodi est qui ex nihilo aliquid efficiat? Adhæc si vsu hoc sacramentum consecraretur, quorsum ad eam rem ab istis etiam necessarij existimantur sacerdotes? Nam iuxta istos vsu accipientis iam consecraretur corpus et sanguis Christi.

Cōtra eos qui usu dicūt corpus Christi cōsecrari.
Cyprianus de cœna domini.
Chrysosto: homil: lxxxiiij in Matt.
Amb: cap: ix de myst: initi.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ EXTRA VSVM.

IN EVCHARISTIA etiam extra vsum, verum

Ec Christi

CHRIsti corpus contineri vetus credidit ecclesia, id quod vetustissimorum orthodoxorum virorum scripta indicant.

De consecr: distinct: ij.

Clemens discipulus & successor diui Petri apostoli (referente Gratiano, & Burchardo episcopo Vormaciensi, qui ante Gratianum ingens volumen decretorum congessit) tribus, inquit, gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum sacramentorum, presbyteris, diacono, & ministro, qui cum timore & tremore reliquias corporis domini debēt custodire fragmētorum, ne qua putredo in sacramento inueniatur. Et paulo post. Qui autem quæ residua corporis domini quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos conueniant, ne putent sanctę portioni cōmiscere cibum, qui per aqualiculos digestus, in secessum funditur. &c. Hæc quorsum præciperet CLemens, (cuius testimonio aliquando vsus Iustinus martyr, vt ante dixi) si non sensisset ibi adesse sacramentaliter CHristi præsentiam.

Cyrillus.

Sanctus Cyrillus ante mille annos ad Calosyrium episcopum scribens. Audio, inquit, quod dicunt illi mysticam benedictiōem, si ex ea remanserint in sequētem diem reliquiæ, inutilem esse. Sed insaniunt hæc dicentes, non enim aliud fit CHRIStus, neq; sanctum eius corpus mutabitur, sed benedictionis virtus & viuifica gratia manent in illo.

NOTA.

Amb: cap: vij lib: de excessu fratris.

Scribit D. Ambrosius, Satyrum fratrem suum priusq; perfectioribꝰ esset initiatus mysterijs, ī naufragio constitutum,

constitutum, sacramentum eucharistię à fidelibus, qui in naui aderant postulasse, & inuolutum orario, collo alligasse, eiusq; præsidio in naufragio seruatum.

Cyprianus.

Cyprianus martyr 5. sermo: de lapsis, narrat quandam mulierem cum arcam suam, in qua sacramentum eucharistiæ fuit, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere. Hæc et alia non dissimilia doctissimi summaq; pietate insignes viri scripserunt, non dubitantes etiam, extra vsum in sacramento eucharistiæ Christi corpus esse. Idipsum crediderunt qui in synodis leges tulerunt de conseruanda eucharistia propter ægrotos.

Canones de cōseruanda eucharistia.

Beatus Renanus in argu: de corona militis. Christ: Tertulliani.

Extant canones apud Burchardum Borbetomagēsem episcopum (vt refert Beatus RENanus) concilij Turonensis, vt omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto sacramento dignum, vbi corpus domini cū diligentia recondatur ad viaticum recedentibus à seculo. Idem canon docet, euchar: obseratam esse debere sub altari propter mures, & nefarios homines, et vt die septimo in septimū diem mutetur, id est, à presbyteris illa sumatur, & alia quæ eodem die consecrata est in locum eius subrogetur, ne fortè diutius obseruata muscida, quod absit, fiat. Refert simile Gratianus de consecratione. Et concilium generale Lateranum, de quo ante dictum est, eum modum diuinæ eucharistiæ seruandæ renouauit, in quo præceptum, vt sub fideli custodia, clauibus adhibitis eucharistia seruetur, tum pro consolatione fidelium, tum propter

Canon concilij Laterani.

 infirmorum

infirmorum necesſitates quæ occurrere posſunt.

lib. vi, ecclesiasti. historiæ cap: xxxiij.

Huius rei pulchrum exemplum Eusebius ante mille ducentos annos scriptũ reliquit. Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam, vnum ex ijs qui lapsi erant, eundemq́; sæpe deprecatum, vt susciperetur, nec tamen impetrasse. Oppressum deinde hunc esse ægritudine, ita vt triduo iam sine voce prorsus iaceret, paululum vero quarta die respirantem vocasse ad se filiam suam & dixisse. Quousq; me detinetis? Quęso vos, cito aliquis presbyterum roget, vt posſim aliquando dimitti. Et cum hæc dixisset, rursum sine voce permansit. Abijt cursu puer ad presbyterum noctis tempore, infirmabatur presbyter, venire non potuit, tamen quia pręceptum fuerat à me, vt lapsis in exitu, nemo reconciliationis solatia denegaret, & maximè his quos prius rogasse constaret, parum eucharistiæ puero qui ad se venerat, dedit, quod infusũ iusſit seni præberi. Regrediente adhuc puero anteq́; regrederetur domum, rursum Serapion respiciens. Redisti inquit, fili? Et licet presbyter venire non potuit, tu tamen imple, quod tibi præceptũ est, vt posſim discedere. cumq́; esset completa solennitas, velut catenis quibusdã, vinculisq; diruptis, lætiorem iam spiritum reddidit.

Ecclesia Armenorum & Græcorum.

Eum eucharistiæ seruandę in sacrarijs morem, non solum Latina, sed & Græca & Armenorum, quod ipse vidi, seruat ecclesia. Sed & tempore Niceni concilij apparet eucharistiam seruari solitam. Sic enim 14 canone scriptum habetur. Et illud innotuit quòd quidam

quidam diaconi etiam ante episcopos sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur & accipiant secundum ordinem post presbyteros ab episcopo vel à presbytero sacram communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel episcopus vel presbyter, tunc ipsi proferant & edant.

Solutio obiectionis.

At inquiet quispiam Clementem, cuius testimoniũ ante protuli, vetuisse sacramenti in sacrarijs conseruationem, cum monuisset, vt tanta holocausta in altari offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quodsi remanserint, in crastinum ne seruentur, sed cum timore clericorum consumantur. Origenem item proferet qui in Leuiticum homil: 5. cap: 7. hæc ait. Dominus panem quem discipulis dabat, & dicebat eis: accipite, manducate, non distulit, nec seruare iusſit. Non nego id quidem eos dixisse: non concedo tamen illos, quòd in relicta eucharistia CHristi corpus non esset, credidisse. Argumẽto sunt, verba Clementis ante prolata. Obsecro an non summa dementia est, et impietas, propter alicuius infidelitatem, & non sumptionem, corpus Christi in sacramento non esse? quod quid aliud est, nisi illa quæ potentia diuina viuifico verbo dei confecta sunt, in momento nutu suo, & voluntate humana mutare, hominumq́; voluntatem diuinæ potentiæ anteferre, & vsu voluntateq; humana sacramẽtum conficere, quod erroneum esse ante ostendi.

NOTA

Verbo domini cœli confirmati, & omnis virtus eorum, vt scriptura docet, hucusq; consistunt, neq;

propter infidelitatem illorum, qui istud non credunt, corruerunt: & sacramentum eucharistiæ eodem verbo confectum, propter alicuius infidelitatem, & non sumptionem mutabitur? aut illud sacerdos non conficiet? Sed hac ratione & tu ipse secundum sententiam tuam propter incredulitatem infidelium, sacramentũ corporis & sanguinis Christi non acciperes. Credendum igitur in consecrata hostia corpus Christi etiam sine vsu communionis esse, id quod credit ecclesia catholica, cuius authoritas, & in conseruatione eucharistiæ in templis, sequenda, nec sine ea hic vel in alijs nouatio quærenda, quæ dissidij mater esse solet, præsertim cum id agat in eum finem, quem Christus instituit, manducationem commemorationemq; sui.

NOVatio.

diluitur calũnia.

At indignum, aiunt isti, sacramentum corporis domini sacrarijs includi, & instar facinorosorum hominum quasi in carcere obserari. Qui etiam ad probandum non esse illic corpus Christi, si diuis placet, verba Christi producunt. Si dixerint vobis: Ecce in penetralibus Christus, nolite credere. &c. Verum cum ecclesia id alio animo faciat, inepte isti hoc inferunt. Quod si indignum ducunt corpus Christi sic asseruari, magis indignum fuisset, iuxta eorum sententiam, deum in vtero virginis matris inter rectum intestinum, per quod excrementa exeunt, & vesicam, vbi locium colligitur, aliquot mensibus iacuisse. Quod tamen omnes CHRIstiani firmiter credunt secundum scripturæ diuinæ traditionem. Sane quemadmodum deus iuxta

Mat: xxiiij.

Solutio obiectionis.

deus iuxta naturam non minus est in cloacis, quàm in cœlis, nec lædi potest. Ait enim apud Ieremiam de seipso. Cœlum & terram ego impleo. Et apud Esaiam: cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Et psalmographus, psal: 134. Si ascendero in cœlum tu illic es, & si descendero ad infernum, ades. In actis item ea de re est luculenta Pauli apostoli concio, in qua ait tam prope adesse deum singulis, quasi manu palpari possit. Et addit de efficacia eius. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Non dissimilia ethnici sensere. Vnde illud ab Arato sumptum. Iouis omnia plena. Et Menandri Græce quidem, sed in eam sententiam. Est enim vbiq; & omnia conspicit deus. Et ille versiculus. Enter præsenter, deus est vbiq; potenter. De hac materia in scopo biblico nostro latius. Sicut igitur deus etsi vbiq; sit, quod nos ratione assequi non possumus, sed fide, nec tamen læditur: ita nec corpus domini glorificatum. Quod si aliqua re sordidaretur aut læderetur, atq; propterea ob id esse non dignaretur: certe nulla re magis, quàm cum ab homine inquinato criminibus sumitur, attamen illic fit docente apostolo. Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat. &c. Sic et de hoc quod isti aiunt corpus scilicet Christi comburi, aut alia quapiam ratione offendi, sentiendum est, nec de ea re anxie inquirendum in qua sensus humanus deficit. Sicut enim in quolibet corpore sine detrimento substantię albedo nigredine, vel quęlibet qualitas superueniẽte contraria qualitate dispellitur,

Iere: xxiij.

Isaiæ vltimo.

Actorũ xvij.

i Cor: xi.

Contra eos q̃ dicunt corpus Christi comburi aut à muribus erodi.

dispellitur, sic in sacramento Christi, quicquid mutationis specietenus vel formæ, vel cæterarum qualitatum seu soricum corrosione, seu vetustatis mucore, vel quibuscunq; modis fieri videtur, ad sacramenti substãtiam, ad Christum scilicet non attinet, quem certissimè scimus incorruptum permanere in cœlis, quicqd in eius sacramento contingere videatur in terris. Sicut enim in proprio corpore modo hortulanus, modo peregrinus, prout fides erat intuentium apparuit.

NOTA Extrinsecus autem alapas, sputa, flagella sustinuit: sic etiam ad probationem fidelium, & scandalum infidelium, vsq; in finem seculi talia fieri permittet in suo sacramento, vnde electi exerceantur, reprobi indurent. De qua re plura disserit Algerus capite primo libri secundi de sacramento eucharistię.

Solutio. Quod autem ex euangelio ad probandam sententiam suam adducunt, illud de regno Christi vel aduentu intelligendum est, non de corpore.

Nunc ad alia pergamus.

De Liturgia

DE LITVRGIA SEV MISSA, ET PRIMO DE OBLATIONE CORPORIS DOMINI IN ILLÆ.



GRAVISSIMI, ET PIETATE insignes, atq; orthodoxi viri, ijdemq; vetustissimi, immo tota ecclesia catholica diuinitus edocta, sciuerat, & nunc scit vnicum tãtum esse sacrificium propiciatorium, seu satisfactorium pro peccatis, nimirum Christum dominum, qui, vt literæ sacrę testantur, est propiciatio, pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed & pro totius mundi. *i Ioan: ij.* De quo quidem sacrificio, nimirum quo seipsum in manifestatione corporis sui Christus semel tantum deo patri obtulit, tota fermè epistola ad Hebræos concionatur, dicens inter cætera de CHristo. *Scopus epistolæ PAuli ad Hebræos.* Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. *Hebræ: ix.* Et paulo post. Neq; vt sæpe offerat semetipsum, quẽadmodum intrat in sancta, per singulos annos in sanguine alieno. (alioqui oportebat illum frequenter pati ab origine mundi) Nunc autem semel in consumationem seculorum, ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit. Item. Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Et cap: 10. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis

IESu CHristi semel. Hic vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera dei. Vna em̄ oblatione consumauit, in sempiternum sanctificatos. Qua sententia toties repetita, non aliud vult apostolus, quàm vt suis Hebræis, legalibus ceremonijs assuetis, ac deditis, discrimen sacrificiorū veteris legis, & sacrificij Christi ostendat, vtq; illos doceat, illa omnia vmbras, ac signa quædā promissionis de Chr̄o, in hoc verè vnico ꝓpitiatorio sacrificio cōpleta, & ꝓinde signati præsentia, penitus sublata esse. hic est enim scopus illius epistolæ, quam legerunt viri doctissimi, sanctitateq; insignes, neq; tamen oblationem corporis in missæ sacrificio damnarunt, immo approbarunt, quorum testimonia hic proferam.

CHrysostomi expositio. Diuus CHRysostomus homil: 17. in eandem epistolam. In Christo, inquit, semel oblata est hostia, ad salutem potens. Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, & vna hæc est hostia, non multæ. Quomodo vna est & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus. Et statim subijcit ostendens veritatem corporis domini, in eucharistia. Nec nunc quidē alium agnum, crastina die alium, sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium, hac ratiōe. Alioqui quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbiq; est CHRistus, & hic plenus

existens, & illic plenus vnum corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur, vnum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & vnum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundātem nos obtulit, ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest, hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum est, hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed idipsum semper facimus, magis autem sacrificij recordationem operamur. Hæc Chrysostomus. Cui similia etiam ad verbum loquitur diuus AMBRosius in xi. caput epistolæ ad Hebræos. *Ambrosius.* Audis igitur & vides, ab exponētibus epistolam Pauli, ex qua quidam oblationē corporis domini in missa tollere nituntur, illam approbari, et sacrificium nominari, esseq; vnum & idem, quo ad rem oblatam, cum sacrificio in cruce oblato, licet non eodem modo offerendi. Hic enim ex mandato CHristi, mortis eius, quam in cruce oppetijt, recordatio fit, idq; modo impassibili, incruento. Christus enim, dicente apostolo, *Roma: vi.* resurgens ex mortuis, iam non moritur. Proinde, aiūt prædicti magis sacerdotes, sacrificij recordationē operari. Sed nunc ad aliorum testimonia pergamus.

Ireneus. Ireneus ante annos, paulominus mille quadringentos Lugdunensis archiepiscopus, Christi martyr, qui iuuenis senem Polycarpum, discipulum Ioannis euangelistæ viderat. Is inquam, cap: 34. lib: 4. hæc inquit. Quomodo autem eis constabit, eum panem in quo

gratiæ actæ sunt, corpus esse domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium esse dicant, id est verbum eius? &c̄. Et quomodo rursus dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine domini alitur? ergo aut sententiam mutent, aut abstineant ab offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistię, & eucharistia rursus cōfirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quæ sunt eius, congruenter communicationem, & vnitatē prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodū enim, qui est à terra panis, percipiens vocationem dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia sed spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, et sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim deus non indiget eorum, quæ à nobis sunt, sic nos indigemus, offerre aliquid deo &c. His verbis

Expositio uerborum Irenei

Ireneus ex consona fide catholicæ ecclesiæ, de veritate corporis & sanguinis domini in eucharistia. Item ex eo, quòd eandem offerimus deo, tanquam sibi gratissimum, & placens sacrificium, conuincit Valentini & suorum impietatem, quæ pendebat ex hoc principio, quòd carnem ex genere malorum esse censebant creatam à malo principio, cui & creationem mundi tribuebant. Vnde in CHRISto negabant veritatem carnis, aut natu-

aut naturæ corporeæ, nec credebant verè mortuum, resurrexisse à mortuis, nec carnem nostram resurrecturam ex mortuis. Infert igitur Ireneus, vt aut mutent sententiam, aut abstineant ab offerenda eucharistia, si caro et sanguis Christi ex genere malorum sunt, qualia deo bono non possunt esse gratum sacrificium. Vnde constat, non solum Christianis, sed etiam hæreticis oblationem decantatissimam fuisse, ex qua ceu notiore, & ab omnibus concessa, conuincit hæreticos sibi non constātes. Ignota enim per notiora probant. Eius oblatiōis apud Ireneū in locis aliquot est mētio.

Tertullianus.

TErtullianus vicinus temporibus apostolorum, in libro exhortatorio ad castitatem, docens quædam quę sacerdotibus licent, laicis non licere. Differentiā, inquit, inter ordinem & plebem constituit ecclesiæ autoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus à deo, vbi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offert, & tingit sacerdos, qui est ibi solus. Sed & vbi tres, ecclesia est, licet laici. In his verbis non potest intelligi oblatio spiritualis, quæ communis est omnibus hominibus. Nam apertè huic antecedentia & sequentia verba apud TERtullianum repugnant, quibus oblationem, de qua loquitur Tertullianus, non tribuit laico, immo nec digammo sacerdoti. De hac oblatione idem loquitur, in libro de cultu mulierum, vbi exponēs præcipuas causas Christianis mulieribus in publicum prodeundi. Aut, inquit, imbecillis aliquis visitādus, aut sacrificium offertur, aut dei verbum administratur.

Epiphanius. Epiphanius Græcus lib: 3. to:ij. cōtra Collyridianos hæreticos, apud quos mulieres currum quendam, siue sellam quadratam ornantes, expanso super ipsum linteo, in die quadam illustri anni per aliquot dies, panē proponebant, & offerebant in nomen Mariæ. Contra hanc igitur hæresim Epiphanius scribens, et docēs mulieres non debere fungi ministerijs in ecclesia publicis, inter cætera loquitur. Fuerunt, inquit, quatuor filiæ Philippo euangelistę prophetātes, non tamen sacrificantes. Erat Anna prophetissa filia Phanuelis, sed non sacrificium concreditum habuit. Et ministerium quidem diaconissarum appellatarū ordo est in ecclesia, sed non ad sacrificandum. Ita ille. Quæ verba ad sacrificia quæ omnibus communia sunt referri non possunt. Iam si dicas, hoc intelligi debere, de publicis ministerijs, vt est prædicatio verbi dei, & administratio sacramentorum, præsertim quod ibidem de apostolis dicit Epiphanius: sacrificantes per terram euangelium. Sed, vt opinor, interpres non propriè transtulit ex Græco dictionem sacrificantes. Deniq; oblatio eucharistiæ, est etiam publicum ministerium. Ad hæc Epiphanius paulo ante dicit, deo ab æterno, nullaretenus mulierē sacrificasse. Cuius rei ex veteri lege, profert plurima exempla, Abelis, Noë, Abraham, Melchisedech, Iacob, et cæterorum, oblationes eorum commemorans.

GREGorius Theologus. Diuus Gregorius Græcus cognomēto Theologus Nazianzi episcopus. Basilij Magni necessarius, eo natu iunior, in apologetico hæc inter cætera scribit. Cum hæc ego scirem, & quod nemo amplissimo tam sacerdotio, quàm deo dignus sit, qui non prius semetipsum deo sacrificium viuum, & sanctum obtulit, nec rationalem cultum exhibuit, nec deo sacrificium laudis & spiritum contritum immolauit, quod sacrificij genus tantum id à nobis requirit, qui omnia largiretur: quo modo ausus fuissem externum illi sacrificium offerre, quod magnorum mysteriorum est exemplar? Vides hic apertè distingui sacrificiū corporis dñi, ab alijs sacrificijs. Vnde in carmine ad episcopos idē ait. O sacrificia mittētes incruēta sacerdotes. O animarū custodes gloriosi. O magni figmentū dei, manibus in vr̄is ferentes.

Chrysostomus. A Gregorio Theologo, nō diuersum sentit Chrysostomus, vt præter cætera eius scripta colligere licet, ex lib: 3. de sacerdotio, vbi inter cætera hæc dicit. Dū conspicis dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces desuper fundentem &c. Et lib: 6. de sacerdotio. Per id tempus & angeli sacerdoti assidēt, et cœlestiū potestatū vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorē, qui immolatur, angelorū choris plenus est, id quod credere abūdè licet vel ex tāto illo sacrificio, quod peragitur. Ita Chrysostomus, cuius etiā euidentissimū ea de re testimoniū ante retulimus, in epl̄am ad Hebr: homil. 17. Et in epistolam secundam ad Timotheum homilia 2.

Augustinus. Diuus AVGVSTINVs sermone xlix. de verbis domini in euangelium IOANNIS, vbi refert verba quo-

verba quorundam sacerdotum dicentium ad laicos. Dictum est vobis, vt quæ dicimus faciatis, quæ autem nos facimus, vos non faciatis. Nos enim offerimus sacrificium, vobis non licet. Ita sacerdotes. Quos Augustinus coarguens inter cætera ait. Quid ergo fratres? si de sacrificio diceret offerendo, diceret: dicunt & nō faciunt. Faciunt enim sacrificium deo, offerunt quidē quod dicunt, & non faciunt. Vides aperte Augustinum loqui de sacrificio, quod solis sacerdotibus est concessum, id autem est corporis domini oblatio. De qua idem etsi alibi, tamen lib: 22. de ciuitate dei cap: 8. apertissime loquitur. Narrat enim, cum in possessione sua quidam Hesperius vir tribunitius vim noxiam spirituū seruos suos perpeti comperisset, absente Augustino rogauit presbyteros, vt aliquis eorum illō pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit, inquit, vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, deoq; protinus miserante cessauit. Et cap: 20. lib: x. de ciuitate dei loquens de mediatore Christo. Per hoc, inquit, & sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Et sermone 4. de sanctis innocentibus. Recte sub altario iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus domini offertur, nec immerito illic iusti vindictam sanguinis postulāt, vbi etiam pro peccatoribus sanguis Christi effundit. Diuus Am-

Quomō interpretatur hūc locum recentiores, uide īferius.

Diuus Ambrosius cap: 48. lib: i. officiorum. Ante agnus offerebatur, inquit, offerebatur et vitulus. Nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Et in cap: 1. Lucæ. Non dubites assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. hæc ille. A' quo ea in re cæteri orthodoxi non dissentiunt.

D. Ambrosius.

Quin et concilia generalia vetustissima istucipsum approbant: vt concilium illud generale Nicenum, in quo Arius damnatus est. vbi hæc canone xiiij scripta habentur. Peruenit ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam, & ciuitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant, hoc neq; regula neq; consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi, porrigant. Citant aduersarij aliter hunc canonem ex lib. x. cap: 6. ecclesi: historiæ authore Rufino: sed tamen inde nihil certi colligi potest, ad tollendā prorsus oblatiōem corporis Christi. Quę etiamsi illic non esset posita, tamen ex alijs probari potest.

Nicenum concilium de oblatione corporis domini.

Et Ephesinum conciliū, aduersus Nestorium Constantinopolitanum episcopum congregatum, qui purum hominem ex sancta virgine Maria asseruit natū, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis. Necessario, inquiūt, hoc adijcimus. Annunciantes enī secundum carnem mortem vnigeniti filij dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cœlum ascen-

EPHEsinum concilium.

sionem, pariter confitentes, incruentam celebramus in ecclesiis sacrificij veritatem, sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & preciosi sanguinis CHristi, omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, et verbo coniuncti, secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed vt vere viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Hæc concilium in epistola ad Nestorium, qui non dubitabat quidem panem & vinū in sacramentis altaris conuerti in CHRisti corpus, & sanguinem, sed asserebat Christum natum esse purum hominem, vt vnumquēlibet ex nobis, quem postea inhabitasset dei verbum. Aduersus cuius blasphemiam, sanctum concilium vtitur hoc argumento, ꝙ CHristus affirmat carnem suā manducatam à nobis viuificatricem esse, & immortalitatis in nobis effectricem, quod non habet cōmunis hominis caro, sed solū dei verbi, qui est vita per naturam & essentiam.

Nestorius.

Pascasius qui aliquot non paucis retro seculis floruit, quem quidam nostra ætate sacramentarijs opponunt, hic inquam, in sanctorum patrum cœnæ dominicæ expositiōe sic loquitur capi: 1. Ipsa veritas ad discipulos hæc inquit, caro mea est, pro mundi vita. Et vt mirabilius loquar, non alia planè quàm quæ nata est de Maria, et passa est in cruce, resurrexit à mortuis. Hæc, inquam, ipsa est, & ideo Christi caro est, quę pro mundi vi-

PASCasius.

NOTA.

mundi vita quotidie offertur, & cum dignè percipitur, vita vtiq; æterna in nobis reparatur. &c.

Ad id quoq; confirmandum, existimo facere laicā communionem cuius aliquoties est apud veteres mētio. Quamuis aliqui intelligunt eam, qua altera tantū species sacramenti percipitur: sed eorum authorum tempore, qui laicę communionis mentionem faciunt, laici vtraq; specie vtebātur, vt ostendimus, vbi de speciebus communionis egimus. Hęc & alia plurima eius rei apud vetustissimos & orthodoxos inueniuntur testimonia, qui quidem, docente Paulo, à deo in ecclesia dantur, in qua, vt idem ait, non omnes doctores sunt. Neq; tantum ea credenda, quæ canonicis scripturis prodita sunt, vt inferius docemus de traditionibus.

Laica cōmunio.

i cor: xij.

Cum igitur oblationē corporis & sanguinis Christi ecclesia catholica tradiderit, certè sicut ex eius traditione scriptura sacra accepta habetur, ita & oblatio, etiamsi nihil apertè de illa præcepisset canonica scriptura, approbāda est. Alioqui et eadem abijcienda esset, quòd non extet dei præceptum scriptum, quinam et quot libri sint sacræ scripturæ, vt ante ostendimus. Quoniam autem non desunt qui aliter sentiant testimonia scripturę ea de re sibi proferri cupientes, hic aliqua eius rei ex scriptura sacra testimonia producam.

collectio ex præcedentibus.

TESTIMONIA SACRAE SCRIPTURÆ PRO OBLATIONE CORPORIS DOMINI ASTRUENDA IN MISSA.



Matt: v.

CHRISTUS IPSE APERTE fatetur, se venisse legem implere non soluere, asseuerans etiam iota aut apicē, non præteriturū ex lege, donec omnia facta fuerint. Scriptura autem indicat typicum illum agnum immolari solitum ab vniuersa multitudine filiorum Israël, deinde manducari. Ita enim in Exodo de eo legitur. Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israël, ad vesperam &c. & edent carnes nocte illa assas igne &c̄. Porro CHristum per agnum figuratum fuisse, Paulus testis est locuples. Pascha, inquit, nostrū immolatus est Christus, quod pascha, ipsum etiam agnum aliquando significat, vt liquet ex Matthæo euangelista. Vbi vis (aiunt discipuli ad Iesum) paremus tibi, vt manduces pascha. Christus itaq; vt legē, iuxta promissum, impleret, prius seipsum, sub specie panis et vini deo patri obtulit, post discipulis comedendum dedit, præcipiens etiam cernentibus coram quę faceret, vt ipsi facerent in sui commemorationem. Hoc facite, inquit, in mei commemoratiōem. Quæ quidem verba CHristus protulit post multas actiones suas in cœna. præmittitur enim, ꝙ Iesus, accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit. Accipite,

Exo: xij.

i Cor. v.

Mat: xxvi.

comedite,

comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: vel secundum LVCam datur. statimq; subiunxit, hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaq; hoc, cum non arctetur ad demonstrandum aliquod præmissorum, & ad aliquod præmissorum non demonstrandum, consequens est, vt demonstret vniuersitatem præmissorum vt raciocinatur Caietanus. Lucæ xxij.

Iam si dicas temerè, verbo facite, à Christo præcipi solum sumptionem corporis & sanguinis sui, propterea quòd ibidem dixisset: comedite, bibite. Oblationis autem nulla mētio expressè habeatur descripta. Verum hac tua nescio quali argutatione, & sumptio ista tollenda esset. Nam cum sacramentum eucharistiæ, sine consecratione esse non potest, vt ante ostensum est, hic autem illa non est expressa, neq; modus eius: sanè non video, quomodo iuxta argumentationem tuam manducationi & bibitioni eucharistiæ erit locus. Si igitur velis nolis, consecratiōem & modum eius admittis, licet hic apertè præcepta non sit, cur oblationem etiam negas? eaq; in re ecclesiæ catholicæ, à qua etiam scripturam diuinam accepisti, contrauenis? quæ quidem ecclesia id ab apostolis accepit, per quos, quoniam Christus dispositurus erat ecclesias, nō omnia præcepit, sed aliquibus etiam constitutionibus eorum in hoc sacramento reliquit locum, vt Augustinus docet. Et certè cum olim mysteria non scripto, sed viua voce potius tradebantur, nam id propriè significat κατηχεῖν vnde catechumeni dicti, qui instituebantur

Solutio obiectionis.

Augu: epist: cxviij.

in fide

in fide: probabile est ipsos apostolos, quædam de hoc sacramento ecclesiæ viua voce tradidisse. Vnde illud Pauli ad Corinthios de eucharistia loquentis. Cætera cum venero disponam.

1 Cor: xi.

Solutio obiectionis.

Neq; est cur quispiam affirmet, Christum, sacrificium, quod ad agnum apte quadret, in cruce peregisse. Etenim agnus ille Iudaicus in memoriam immolabatur olim liberationis, tum ab angeli exterminantis cæde, tum seruitute Aegyptiaca. At crucis hostia non ob nostræ immolata est redemptiõis memoriam, sed fuit nostra ipsa redemptio. Isthæc vero sub panis & vini specie oblatio, monimẽtum seu memoriale quoddam est, vtpote quæ in nostræ ex peccatis ereptionis memoriam sacrificatur, & recte ad pascha Iudaicum quadrat. Cœna siquidem agni paschalis instituta, in memoriam eductiõis ex Aegypto, in facto cõsistebat immolatiõis: ita quod ipsa cœna erat immolatio paschalis agni. Similiter namq; dominus Iesus completo sacrificio agni paschalis, instituit nouum nostrum pascha seipsum vt immolatur: dicendo, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei memoriam. Ac si verbo dixisset, quod surrogationis facto dicebat. Quemadmodum hactenus in memoriam exitus de Aegypto fecistis pascha, ita deinceps hoc facite in meæ immolationis memoriam. Vt ipsa surrogatione noui paschatis, pro veteri, loqueretur, ac diceret. Pascha illud, fecistis immolando communi cœna, et hoc facite immolãdo communi mensa in mei commemorationem

Rupertus Tuitiensis de diuinis officijs, lib: ij, capi: x. &c.

Caietanus.

memorationem. Ita quod ex ipsa surrogatione noui paschatis veteri, significatur q dicendo: hoc facite in mei memoriam, intelligitur de facere immolaticio modo: nam & immolaticio modo fecerunt vetus pascha. Hunc autem germanum sensum mandati istius, testatur etiam facta recitata a Paulo 1 ad Corinth: x. Fugite, inquit, ab idolorum cultu, vt prudentibus loquor: iudicate vos quod dico: poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, nam omnes ex eodem pane participam9. Videte Israëlem secundum carnem, nonne qui edunt victimas, participes sunt altaris? Quid ergo dico quod simulachrum aliquid sit, aut quod simulacris immolatum aliquid sit? sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant & non deo. Nolo autem vos socios esse dæmoniorum. Non potestis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. hæc ille. Ex quibus manifeste patet, apostolum inter victimas Israëlis, & immolata dæmonijs, recensere panem quem frangimus, & poculum benedictionis. Et inter altare Israëlis, et mensam demoniorum, mensam domini. Et inter edentes victimas altaris Israël, et edẽtes immolata dæmonijs, edentes de mensa domini & bibentes de illius poculo. Et ex huiusmodi ratione arguere, quod non possunt immolatorum deo, & dæmonibus,

monibus, participes esse. Nisi enim immolata essent deo panis & calix Christi: vniuersa Pauli fabrica, ex immolatis tam deo vero ab Israële, quàm immolatis *Caietanus de Missa.* dæmonibus à gentibus surgens rueret, vt Caietanus disserit.

Solutio obiectionis. Vrgent isti verbis PAuli dicentis. Quotiescunque *i Cor: xi* manducabitis panem hunc, & bibetis calicem, mortem domini annunciabitis donec veniat. Vbi, vt dicũt isti, non est adiectum obtuleritis. Sed Paulus non propterea negat offerri, nam & catholici fatentur, nõ esse peragendum hoc mysterium, nec offerendum sacrificium, nisi vt sumatur. Sed quia sumitur aliquando sine oblatione vt ab infirmis, & alijs post celebrationem accedentibus, etiam tunc dicit Paulus mortem Christi annunciari, quia in memoriam mortis eius sumitur. Neque inferendum est inde oblationem non debere esse propterea quòd non est apertè expressa, vt proximè dictum est. De alijs obiectionibus ex Paulo ad Hebræos inferius dicetur. Nunc autorum catholicorum, eorumque vetustissimorum, testimonia hac de re audiamus.

Ireneus. Beatus Ireneus episcopus Lugdunensis autor vetustissimus, vt ante ostensum est, lib: iiij. cap: 32. aduersum hæreses, de Christo, & apostolis verba faciens hæc ait: Suis discipulis dans consilium, primitias deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens, Hoc est corpus

meum. Et

meum. Et calicem similiter qui ex ea creatura, quę est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti, nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert deo, *NOTA.* ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic presignificauit. Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab *Malachiæ i.* ortu solis, vsque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens. Audis oblationem corporis et sanguinis à Christo institutam, & ab apostolis traditam, vaticinioque Malach: confirmatã, quod de solis spiritualibus sacrificijs accipi non potest, quæ communia omnibus temporibus, & hominibus extiterunt, & cum sacrificijs eorum durauerunt. Hac ipsa verborum serie satis conuincitur, prophetam loqui de sacrificio, quod sublatis veteribus sacrificijs, in locum eorum successurum erat. Vnde hæc verba rectè de sacratissimo CHRisti sacrificio accipiuntur, modo illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit. Illud enĩ nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudæa consumatum est, sed quod ex gentibus congregata ecclesia, per totum terrarum orbem offert, ad recordationem domini. Quin & Rabini quidam Iudæorum,

Hh isthuc

Emserus ī assertiōe Missæ. *Vicelius.* *Galatinus li: x, ca: iiij, et v.*

isthuc ipsum affirmant, vt Rabbi Slomo, in libro ad Rabbi Isaac, magistrum synagogę Arabicæ cap: 20. de reprobatione sacrificij Iudæorum, & electione sacramenti Christianorum. Idem Rabbi Ioha, & Pinhas docuerunt.

Heb: v.

Cum autem sese mutuo consequantur sacerdotium et sacrificium, iuxta illud PAuli. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Translato autem sacerdotio, ait Paulus, necesse est, vt & legis translatio fiat. *Heb: vij.* Quare opus est, vt sicut vetus sacerdotium translatum est in nouum euangelicum augustius & perfectius: ita & veteres illas hostias & sacrificia quę illius sacerdotij erāt, esse translata in perfectius aliquod sacrificium, quod nostro sacerdotio respondeat, quod, vt dictum est, per MAlachiam deus prædixerat.

Cyprianus.

Diuus Cyprianus martyr epistola 3. lib: ij. vbi docet sacramentum calicis dominici, per multas patrum veteris testamenti similitudines, & prophetarum testimonia, ante fuisse significatum, nec calicē cum aqua sine vino rectè offerri, &c hæc int' cætera ait. Qui ordo vtiq; hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos summi dei fecit, qui panem et vinum obtulit, Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos summi dei, quàm dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium deo obtulit, & obtulit hoc idē quod Melchisedech obtulerat, id est,

panem &

130

panem & vinum, suum scz corpus & sanguinem. Et paulo post. Vt ergo in Genesi per MELchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, pręcedit ante imago sacrificij in pane et vino scilicet constituta. Quam rem perficiens, & adimplens dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratę imaginis adimpleuit. Et item. Nam si Christus Iesus dominus, & deus noster, ipse est summus sacerdos dei patris, & sacrificium deo patri, ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtiq; ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur. Item Cyprianus. *Solutio obiectionis.* Et quamuis Melchisedech, vt aduersarij aiunt, non obtulisset deo panem et vinū, sed Abrahamo, & eius comitibus ex prælio redeuntibus, vt reficerentur fessi: nihil tamen id refert ad hoc refellendum. Nam cum fuisset sacerdos dei altissimi, vt scriptura docet, panemq; & vinum obtulisset prædictis, figurare CHristum ea in re minimè negandus esset, cum hoc scriptura apertè fatetur.

Ioannes Damascenus.

Ioannes DAmascenus Græcus lib: iiij. orthodoxæ fidei cap: 14. CHristus suscepturus voluntariam pro nobis mortem in nocte in qua seipsum obtulit, testamentum nouum disposuit sanctis discipulis et apostolis, & per ipsos omnibus alijs in seipsum credentibus. Ita ille, qui etiam ibidem dicit. Hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam ab ortu ad occasum ipse offerri per prophetam dn̄s loquitur, corpus scz, & sanguis Christi.

Chrysostomus

Chrysostomus in cap: x epistolæ 1. ad Corinthios, homilia 24. Hic multo admirabilius et magnificentius sacrificium preparauit, et cum sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet.

Theophilact.

Theophilactus in cap:28. Matthei. Manifestum est q tunc immolauerit seipsum, ex quo tradidit discipulis corpus suum.

Cyrillus Hierosolymitãus. *Ioan: xvij.*

Cyrillus Hierosolymitanus scriptor vetustissimus, cuius scripta in Bulgaricam linguã translata vidi, verba illa Christi apud Ioannem. Ego pro eis sanctifico meipsum, refert ad oblationem Christi, sub specie panis & vini, in cœna peractam, vt mihi narrarunt qui Bulgaricum nouerunt.

Oecumenius.

Oecumenius Græcus qui vixit ante annos noningentos super illud Pauli. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Significat, inquit, sermo, quòd licet Christus non obtulerit sanguine carentem hostiam, siquidem suum ipsius corpus obtulit: attamen qui ab ipso fungentur sacerdotio, quorũ deus pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerent: nam hoc significat in æternum. Neq; enim de ea quę semel à deo facta est oblatio, & hostia, dixisset in æternum, sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat et sacrificatur. Qui etiam in mystica cœna modum illis tradidit huiusmõi sacrificij.

Diuus Hiero.

Diuus Hieronymus in 26 caput Matthæi. Postq typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum apostolis

apostolis comederat: assumit panem, qui cõfortat cor hominis, & ad verum paschę transgreditur sacramentum, vt quomodo in pręfiguratiõe eius Melchisedech summi dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem corporis representaret.

D. Ambrosi.

Idem sensit diuus AMBrosius in epistolam ad Hebræos. Et Chrysostomus, vt ante ostensum est. Quin et Photius Græcus, & cæteri orthodoxi. Sed & Ioannes HVS in libello quem Constantię de sacramento eucharistiæ ædidit, quo suam explicabat fidem, de eadem idipsum affirmat. Cum (inquit Hus, referente Alberto Pighio) Iesus in cœna dixit: hoc facite in meam commemorationem, insinuat, quare sacramentum institutum, maximè propterea quòd est commemoratio. Debet enim sacerdos, hoc venerabile sacramentum offerre; & laicis deuotè dare, ac sumere in commemorationem domini nostri Iesu CHristi.

Ioannes Hus. *Alber: Pigh. vij cõtrouers.*

Ad oblationem corporis domini, quæ in missa fit astruendam, locum in actibus apostolorum capite 13 docti facere aiunt, vbi de prophetis et doctoribus, qui erant Antiochiæ, inter quos & diuus PAulus fuerat, scriptum habetur: λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ. id est, sacrificantibus illis domino. Erasmus vertit. Cum autẽ illi sacrificarent domino. verbum λειτουργῶ significat externum & publicum ministerium obeo. Vnde descendit λειτουργία, qua dictione apud Græcos authores significatur venerandæ missæ actio, quod vocabulum est in libellis de missa æditis à Basilio Magno, &

Liturgia.

 Chryso-

Chrysostomo. Locus autẽ prædictus cum videtur nõ posse, vt aiunt, intelligi de sacrificio laudis in oratiõe, quia ibidem speciatim fit eius mentio, neq; de sacrificio, quo se vt hostias sanctas deo offerebant. quia hoc nunquam non fiebat ab apostolis & CHristi discipulis: rectè ad sacrificium corporis domini refertur.

Solutio obiectionis. Non desunt qui Græcam vocem λειτουργούντων quæ significat publicum munus obire, referunt ad euangelij annunciationem. Sed non aptè, nam sequitur ibidem κυρίῳ, id est, domino. Verum non concionamur domino sed plebi. Rectè igitur locus is de oblatione corporis domini intelligitur, præsertim cum in canonibus apostolorũ (quos Clemens Petri successor tradidit, & eorum 85 concilium generale Constantinopolitanum approbauit) oblationis eius est mentio à Christo (vt illic traditũ est) ordinatæ, vt canone. 3. 9.

Canones apostolici.

Andreas apostolus. Et beatissimum ANdream apostolum Egeæ proconsuli, dijs sacrificare ipsum inuitanti respondisse, ex literis sacerdotũ Achaiæ (qui gloriosi martyri eius spectatores & testes fuere) Philatetus author est, vt Pighius narrat. Ego, inquit, omnipotenti deo, qui vnus et verus est, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec hircorum, aut taurorum sanguinem, sed immaculatũ agnum quotidie in altari sacrifico, cuius carnes postq̃ omnis populus credentium manducauerit, et eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, nihilominus integer perseuerat, & viuus. Et canone 32 sexti concilij generalis Constantinopolitani, in quo agitur de miscen-

Controuer: v.

de miscenda aqua vino in sacrificio, scribitur, IACObum CHRisti Iesu secundum carnem fratrem, & Basilium, mysticum in scripto tradidisse sacrificium, corporis scilicet domini.

SOLVTIONES OBIECTIONVM SEV EXPOSITIONVM QVARVNDAM DE OBLATIONE CORPORIS DOMINI.



QVODSI QVISPIAM (QVOD sæpius audiui) dicat per oblationem et sacrificium corporis domini, apud scriptores ecclesiasticos debere intelligi mãducationem corporis Christi: nescio an aliquis nomine oblationis & sacrificij in ea significatione vsus sit. Præterea hac ratione laici & mulieres, qui manducant corpus Christi, offerre illud possent, quod tamen illis non esse concessum præcedentia declarant. Sin vero per oblationem & sacrificium intelligant consecrationem: neq; id veritati consentaneum est. Non enim consecrare, est offerre, sicut nec manducare, quamuis vtrunq; consecratio corporis CHristi præcedat. Est namq; offerre hoc loco, vt ex antedictis patet, ex pane & vino, corpus & sanguinem domini, verbo dei consecratum, per sacerdotem cum precibus deo sistere in memoriam passionis &c. & mortis eius quam in cruce oppetijt, seipsum pro salute generis humani, deo

Solutio obiectionis.

Offerre.

mani, deo patri offerens. Huius oblationis ante prolata sunt, & post proferentur testimonia. Sacrificium autem intelligunt catholici, id quod offertur deo, seu honoris debiti deferendi gratia, seu demerendæ eius gratiæ ac misericordiæ, impetrandæ veniæ, auertendæ iræ, vltionis ac vindictæ, seu pro acceptis beneficijs gratiæ agendæ causa. Iam quod aliqui oblationem corporis exponunt exhibitionem corporis domini plebi per sacerdotem. Vnde illud Augustini superius citatum: Obtulit ibi sacrificium corporis domini: exponunt, communicauit familiam corpore & sanguine domini, negantes scz oblationem & sacrificium corporis Christi fieri deo. At hoc apud Augustinum, et cæteros orthodoxos apertisime expressum inuenitur, vt inferius paucis interiectis docemus, & ex antedictis liquet.

Sacrificium.

Solutio obiectionu.

lib: xxij, cap: viij, de ciuit: dei.

Non desunt, qui, cum vrgentur euidentissimis testimonijs, oblationis corporis Christi, ex autoribus grauissimis, id ad preces solum debere referri dicunt, non ad corpus CHristi. Sed cur esset euidentissima mentio oblationis, & sacrificij corporis Christi, vt ante ostendimus? Iam si ad preces solum referenda esset oblatio, non etiam ad corpus Christi, hac ratione vnusquisq; offerre posset, quod tamen prædictis testimonijs repugnat.

Solutio obiectionis.

Georgius Maior de missa.

Adhæc producunt isti verba Augustini in psal: 75. Nonne quotidie nobis, inquit, Christus immolatur? vbi aiunt Augustinum dicere immolari CHRIstum nobis, non

Confeßio ducis Virtebergensis.

nobis non deo. Verum Augustinus, non tollit eo oblationem, qualis in missa fit deo. Nam lib: xxij. cap: 10. de ciuitate dei ait. Deo quippe sacrificat sacerdos non sanctis &c. Similia scribit contra Faustum, quæ verba adscripta habes, vbi de sanctorum inuocatione tractamus. Dicitur autem Christus nobis immolari, sicut & nobis natus esse, vt est apud Isaiam, hoc est ad nostram vtilitatem. Et diuus GRegorius Nazianzi episcopus loquens de oblatiõe corporis CHristi. Quomodo, inquit, ausus fuissem externum illi, deo scilicet, sacrificium offerre quod magnorum mysteriorum est exemplar. Verba eius non truncatim superius citauimus. Sed & optima legis interpres consuetudo vniuersarum ecclesiarum, non solum Latinarum & Græcarum, verum Armenarum & Persicarũ & reliquarum per orbem diffusarum, huius doctrinæ quam tradidimus, est testis locuples. Vnde Irene: de oblatiõe euchar: loquens ait: Oblationem ecclesia accipiens ab apostolis in vniuerso mundo offert deo.

Quomõ dicitur Christus nobis ĩmolari. Esaiæ ix.

Missa ĩ ecclesia catholica.

Iren: lib: iiij. cap: xxxij.

DE DVPLICI SACRIFICIO CHRISTI.



NON TEMERE' IGITVR Ecclesia catholica, duo sacrificia CHristi agnoscit, eadem secundum substãtiam, sed secundum rationem & ritum offerendi multum diuersa. Vnum in cruce cruentum, propiciatorium, quo CHristus totius mundi

SACRificia duo Ecclesia agnoscit.

mundi reconciliationem, & propiciationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetrauit, de quo Paulus. Sanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſe metipſum obtulit immaculatum deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis. *Heb: ix.* Alterum verò ſacrificium, ad recordationem cruenti ſacrificij inſtitutum, & eccleſiæ commendatum eſt, quo Chriſtum impaſsibili et incruento modo ſiſtimus patri, nō vt remiſsionem peccatorum, aut redemptionem denuo mereamur, ſed in cruce meritam fide & deuotione nobis applicemus, Chriſti iuſsionem ſequentes (vt ante oſtenſum eſt) qui iuſsit vt hoc in memoriam ſui faciamus, id eſt, per memoriam & meritum paſsionis ſuæ, patrem, pro reconciliatione noſtra, & peccatorū remiſsione, & animarum noſtrarum ſalute, proq; corporum ac rerum noſtrarum incolumitate patrem deprecaremur, de eo lucidius poſt. *Ratio ſacrificij altaris.* Quotidie, inquit Auguſtinus, referente Gratiano, peccamus peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt, & ideo quia quotidie labimur, Chriſtus quotidie myſticè pro nobis immolatur &c. *Gratianus de conſi: diſtin: ij Lib: iiij, ſentē: diſtincti: xij.* Non diſsimilia habet Ambroſius cap: 6. lib: iiij de ſacramentis. *D. Ambroſi.* Ergo quotieſcunq; accipis, quid tibi dicit apoſtolus? quotieſcunq; accipimus, mortem domini annunciamus: Si mortem annunciamus, annunciamus remiſsionem peccatorum. Si quotieſcunq; effunditur ſanguis, in remiſsionem peccatorum funditur: debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata remittātur, qui ſemper pecco, ſemper de-

ſemper debeo habere medicinam. hæc ille.

In victimis veteris legis figuratio fuit carnis, loquitur Auguſtinus, quam pro peccatis noſtris, ipſe ſine peccato fuerit oblaturus, & ſanguis quem erat effuſurus, in remiſsionem peccatorum noſtrorum. *ad Petrum diaconū ca: xix* In iſto autem ſacrificio gratiarum actio, atq; commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem deus effudit. Et paulo poſt. Illis ſacrificijs quid nobis eſſet donandum, figuratiuè ſignificabatur, in hoc autem ſacrificio quid nobis iam donatum ſit, euidenter oſtenditur. In illis ſacrificijs prænunciabatur filius dei, pro impijs occidēdus, in hoc autem pro impijs annunciatur occiſus. Idē contra Fauſtum Manicheum cap: 18. lib: xx. Hebræi in victimis pecudum quas offerebant deo, multis & varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futurę victimę quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiusdem ſacrificij memoriā celebrant ſacroſancta oblatione, et participatione corporis & ſanguinis Chriſti. *NOTA dictum Augu.* Idem epiſtola 23. Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in ſacramento, non ſolum per omnes paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur. Nec vtiq; mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari. Si enim ſacramenta quandā ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent, omnino ſacramēta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine, plerumq; etiam ipſarum rerum nomina accipiūt. Ita Auguſtinus,

Eusebius Emisenus.

quæ verba ante explicata sunt, vbi de veritate corporis Christi in sacramẽto egimus. Item Eusebius Emisenus, quomodo citat Algerus lib: i. cap: 16. Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat vt nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis consecraret, et coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebat in precium, vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute, redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens in gratia.

Eucharistia, duplicem ratiõe habet.

Sciendum autem hoc loco eucharistiam duplicem rationem habere, nempe & cibi spiritualis panis viui ac viuificantis nos, & velut medicamẽti cuiusdam immortalitatis ad sanandas infirmitates nostras. Insuper et rationem holocausti ac sacrificij placentis deo, quod ad purgandas iniquitates nostras efficax est. Id autem etsi ex præcedentibus manifestum sit, tamen aliqua ei9 rei testimonia ex grauissimis autoribus & scriptura proferam.

Cyprianus.

CYPRianus martyr in sermone de cœna domini. Postquam, inquit, à domino dictum est, hoc facite, in meam commemorationem, hæc est caro mea, hic est sanguis meus, quotiescunq; his verbis, & hac fide actũ est, panis iste supersubstantialis, & calix iste benedictione solenni consecratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit: medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. hæc ille.

Dam: lib: iiij. cap: xiij orthodoxæ fidei.

Damascenus, Fit ijs, ait, qui fide ac dignè ipsum assumunt, in remissionem peccatorum, & vitam æternam, & custodiam animæ & corporis: ijs autem qui in infidelitate indignè participant, in punitionem & supplicium. Quemadmodum Christi mors credentibus facta est vita, & incorruptibilitas, in fruitionem beatitudinis sempiternæ, infidelibus autem in supplicium, & pœnam æternam. Idem eucharistiam diuinum carbonem appellat, quòd inprimis comburat, aut consumat peccata ipsum dignè sumentium. Deinde illuminet corda eorundem, & participatione diuini ignis accendat. Eam esse puram illam hostiam & incruentam, quam ab ortu Solis vsq; ad occasum sibi offerri per prophetam dominus loquitur, in stabilimentum animæ nostræ, & corporis, in omnis sordis expurgationem, omnis nocumenti auersionem, per ipsam purgatos nos, vniri Christi corpori. Hæc Damascenus.

Euchar: carbo diuinus.

Cyrillus.

Ioan: vi.

Beatus ille & doctissimus CYrillus Alexandrinus episcopus in euangelium IOannis tractans illa verba Christi. Ego sum panis vitæ &c hanc nos benedictionem communicatione corporis & sanguinis Christi assequi affirmat, vt ad incorruptionem integrè reducamur. Viuificat enim, inquit, corpus CHristi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non em̃ alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa & viuunt & sunt &c. & propterea par-

ticipantes viuificat ista caro. Quod vt Christus declararet, eam aliquando adhibuit in excitandis mortuis, et ægrotis, vt archisynagogi filiolam apprehensa manu erigendo, adolescentis mortui corpus tangendo. Non ergo solo verbo, verumetiam tactu, ait, excitauit mortuos, vt ostenderet corpus suum quoq; viuificare posse. Quodsi solo tactu suo, corrupta redintegrãtur, quomodo, dicit, non viuemus, qui carnem illam et gustamus, & manducamus? quod ibidem duabus similitudinibus declarat Cyrillus, quas antea vbi de veritate corporis Christi egimus, retulimus. Tandem ad frequentem communionem Christi fideles excitans, ait. *EVcharistiæ vis.* Eucharistia mihi crede, non mortem solum, verumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis sumus consyderat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui pro nobis animam suam posuit, ab omni nos casu erigit. Ita Cyrillus & cæteri orthodoxi, immo tota ecclesia catholica, de veritate & efficacia corporis Christi credit, euangelio consentiens, in quo *Ioan. vi.* inter cætera Christus loquitur. Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum, panis enim verus est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.

EVcharistia rationem hostiæ & cibi habet. Porrò vt vetus pascha, hoc est, agnus ille typicus, et hostiæ, & cibi rationem habebat, quemadmodum

ante ex-

ante ex scripturis ostensum est: ita quoq; & in noua lege, verus ille agnus, sacrificari, offerriq; ante debet, et deinde comedi. Idipsum intelligit catholica ecclesia Christi, quæ post prolata mystica illa consecrationis verba (hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, hæc quotiescunq; facietis, in mei memoriam facietis) ita subiungit. Vnde & memores nos domine *Verba Canonis.* serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem CHristi filij tui, tam beatæ passionis &c̃ offerimus præclaræ maiestati tuę de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, & immaculatam. Hoc pacto apostolos, orthodoxosq; omnes maximo consensu et intellexisse, et docuisse ante abundè ostendimus, vbi probauimus oblationem corporis Christi in missa. Cæterum illud *EVcharistia ex opere operato ualet.* (quod ex antedictis etiam patet) hic non prætermittendum, eucharistiam ratione cibi spiritualis & sacrificij valere ex opere operato, tametsi & fides veluti dispositio quædam materiæ & subiecti requiratur, quò virtutis illius efficiamur participes.

Opus operatũ quid. Intelligitur autem opus operatum ipsum opus, aut res ipsa in se. Et valere aliquid ex opere operato, cuius ex re ipsa, ex ipso opere est aliqua vtilitas, & non solum ex operante, aut propter sanctitatem, deuotionem, fidem eius qui ipsum facit, aut qui eo vtitur, quod opus operantis appellant. Quemadmodum panis ex se, et in se habet nutriendi corporis efficaciam, reubarbarum vim detrahendi choleram ex ipso opere operato, & non tantum ex imaginatione & affectu, & fi-

ducia ea-

ducia eadem sumentium. Quamuis et illa vel adiuuet, vel impediat ipsius rei energiam, & operandi efficaciam: ita panis ille viuus, & viuificus ex sua ipsius natura, & essentia, ad nos viuificandos valet, non solum vt causa eius meritoria, sed etiam vt effectiua, vt ea in re maior intelligatur eius ad vitam animæ, quàm panis corporalis ad vitam corporis efficacia. Valere autem aliquid ex opere operato cum dicitur à catholicis, intelligendum est hoc dici, quod & valet, & proficit ex ipsa aut operis aut rei in se virtute et efficacia, quam nonnunquam habet, ex sua ipsius natura & essentia. Nonnunquam ex bene placito alicuius, à quo velut efficax signum ad hoc ipsum institutum est. Primi exemplum est, in pane & vino, quæ natura sua habent vim nutriendi corporis, medicamenta quoque efficiendi, quod sui operis est. Secundi sicubi more solenni vsitatū est, annulo aut purpura missa à principe, magistratu aliquo, & autoritate inaugurandi aliquē, eadem ipsa symbola ad hoc missa aut data alicui à principe, illi ipsi magistratum & autoritatem eiusmodi conferunt, idque non ex aliqua vi symbolorum, vel merito, neque quòd suscipientis consensus vel voluntas mereatur idipsum, sed ex voluntate principis, qui ea ad hoc instituit, & suam eisdem voluntatem iungit, et declarat efficaciter, idipsum pēdet vniuersum.

Valere ex opere operato.

Obiectio-

OBIECTIONES ADVERSARIORVM EX EPISTOLA AD HEBRÆOS CONTRA MISSÆ SACRIFICIVM, QVEMADMODVM EAS COLLEGIT ET REFVTAVIT CAIETANVS VIR DOCTISSIMVS.



EX EPISTOLA PAVLI AD Hebræos cap: septimo, octauo, nono, decimo, contra quotidianam oblationem tripliciter argumentantur. Primo ex multitudine sacerdotum. Nam ibidem ponitur differentia inter Christum sacerdotem noui testamenti, et sacerdotem veteris testamēti, quòd ille est vnicus æternus, iste temporalis, quem & multiplicare oportet. Inconueniens ergo est in nouo testamento affirmare talem hostiam, cui non sat est vnicus sacerdos Christus, sed oportet successiuè secūdum temporum successus, sacerdotem sacerdoti succedere: vt videmus in missæ sacrificio. Secundo ex repetitione oblationis. Nam in epistola ad Hebræos, differentia describitur, inter sacrificium veteris testamenti, & sacrificium noui testamenti, quòd illud repetebatur tum singulis diebus à sacerdotibus simplicibus, tum singulis annis à summo sacerdote, hoc autem nec quotidie, nec quotannis repetitur, sed semel oblatum est. Inconueniens ergo est in nouo testamento sacrificium affirmare, quod oportet sæpe repetere. Tertio ex parte rei

Caietanus de sacrificio missæ aduersus Luteranos.

te rei oblatæ. Nam ibidem differẽtia inter sacrificium veteris & noui testamenti ponitur, quòd tunc hircorum sanguine vtebatur sacerdos, nunc autem per proprium sanguinem, semetipsum semel obtulit. Inconueniens ergo est, per nos offerri, sub specie panis & vini, qui semel sufficientissimè oblatus est Christus à seipso. Contra hoc vero (vczt quòd eucharistia sit hostia pro peccatis) pari ratione tripliciter raciocinantur. Primo ex repetitione, quia ibidem hostiarum veteris testamenti infirmitati, ad delenda peccata, ascribitur repetitio hostię. Si enim peccata purgassent, desiissent offerri. Et ideo noui testamenti hostia tollens peccata, non repetitur. Non conuenit igitur, in nouo testamento, hostiam affirmare, hostiam pro peccatis, quam repetere oportet, qualis est missa. Secundo ex sufficientia sacrificij Christi, quia vnica oblatione semetipsum offerens in cruce, consummauit omnes accedentes ad eum. &c. Iniuria ergo fit sufficientissimę Christi hostiæ, pro peccatis totius mundi, addendo hostiam aliam in nouo testamento pro peccatis. Tertio ex parte abolitorum peccatorum, quia & ibi dicitur, vbi non restant peccata expianda, non est opus hostia pro peccatis, sed omnia peccata, sunt abolita, per gratiam noui testamenti, quod Christi morte firmatum est. Non est ergo locus alteri hostiæ pro peccatis in nouo testamento.

Has obiectiones facile diluet, qui illa quę ante à nobis prolata sunt, animaduerterit, & quę postea à nobis dicuntur.

Solutiones p̃dictorum argumentorum

Nam quod primum attinet, vnitatem scilicet sacerdotis, dicitur ꝙ in nouo testamento vnicus est sacerdos Christus, & ipsemet sacerdos in nostro altari. Ministri enim non in personis proprijs, sed in persona Christi consecrant corpus & sanguinem CHristi, vt testantur verba consecrationis: ac per hoc vices Christi ageñ offerunt, de qua re inferius referuntur verba doctorum. Et quũ infertur, inconueniens esse affirmare, hostiam in nouo testamento, cui non sat est Christus, sed oportet succedere ministros. Respondetur quod aliud est affirmare disparatam hostiam, reseruãtem successionem sacerdotum, & aliud est affirmare perseuerantiam hostiæ in cruce oblatæ, requirentem successionem ministrorum. Primum enim dedeceret, noui testamenti statum: secundum autem consentaneum est nouo testamento, vt iugis vigeat victima illa vnica semel oblata. Ad secundum ex parte repetitionis dicitur, quòd in nouo testamento, non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseuerat immolatitio modo vnicum sacrificium semel oblatum: & in modo perseuerandi interuenit repetitio, non in ipsa re oblata. Nec etiam ipse qui repetitur modus concurrit ad sacrificium propter se, sed propter oblationem in cruce commemorandam incruentè, huius autem modi repetitionem, non esse contra doctrinã epistolæ ad Hebræos, testantur verba illius inferentia, ꝙ si repeteretur noui testamenti sacrificium, oportuisset Christum sæpe pati. De repetitione igitur sacrificij manifestat

se loqui, non de repetitione istius modi, à domino Iesu Christo instituti. Ad tertium ex parte rei oblatæ, dicitur ꝙ cum hoc quod CHRIstus semel proprium sanguinem sufficientissimè, & abundantissimè fuderit in cruce, quadrat, vt perseueret immolatitio modo in eucharistia, illa vnica ac sufficientissima sanguinis in cruce effusio.

Ad primum autem contra eucharistiam, quatenus affirmatur hostia, pro peccatis dicitur concedendo: ꝙ ex hostiæ impotentia ad delenda peccata, decreta est in lege veteri repetitio eiusdem hostię: Et cum infertur inconueniens esse in nouo testamento affirmare hostiam pro peccatis, quam oportet repetere, conceditur totum propriè loquendo, quia non repetitur in missa hostia, sed illamet hostia in cruce oblata, perseuerans immolatitio modo recolitur in qualibet missa. Ad secundum autem dicitur, ꝙ absit à fidelium mentibus cogitare, ꝙ ad supplendam efficaciam hostiæ in cruce celebretur missa. Celebratur enim tanquam vehiculum remissionis peccatorum, per Christum in cruce factæ, ita quòd quemadmodum non est alia hostia, ita non aliam affert remissionem peccatorum. Nam quemadmodum Christus per proprium sanguinem penetrauit coelos, perseuerans sacerdos in æternum, ad interpellandum pro nobis, (vt in eadem epistola scribitur) ita perseuerat nobiscum per eucharistiam immolatitio modo, intercedendo pro nobis. Sicut enim sufficientia, et efficacia summa sacrificij, in ara

crucis, non excludit perseuerantiam Christi in coelis, in officio interpellãdi pro nobis, ita non excludit perseuerantiam eiusdem nobiscum, immolatitio modo, ad intercedendum pro nobis. Nam quemadmodum continua intercessio CHristi pro nobis in coelo, non derogat vnicæ intercessioni mortis Christi, ita non, immo multo minus, eidẽ derogat perseuerantia Christi, immolatitio modo, ad intercedendum pro nobis, vt participes simus remissionis peccatorum, in ara crucis factę: quanto ista intercessio fit per mysterium sub specie panis & vini: illa autẽ in coelo fit per Christum in propria specie, in qua crucifixus est. Si enim derogationi locus esset, magis derogaret vnicæ mortis Christi intercessioni, vt post mortis intercessiõem intercedat Christus, sub specie propria, quàm sub specie aliena. Illud namq; intercedere pręsefert quasi supplementum intercedendi: hoc autem præsefert cæremonialem intercedendi modum, nobis valde consonum. Ad tertium dicitur ꝙ cum grano salis intelligẽdum est, peccata esse nobis remissa, per Christi mortem: videlicet per Christi mortem nobis applicatam, per instituta à Christo sacramenta. In hoc enim Christiani omnes conuenimus. Inter sacramenta autem à Christo instituta, supputatur & est sacramentum eucharistię institutum ab ipso Christo immolatitio modo, vt ante ostẽsum est ex verbis Christi, & Pauli &c. Et ideò si qui inter Christianos sunt egentes post baptisma remissiõe peccatorum, eucharistiæ hostia pro-

NOTA.

desse potest illis, ad remissionem peccatorum, applicando efficaciam mortis Christi ad illos. Non egentibus autem remissione peccatorum, prodest ad vegetationem animæ, quemadmodum cibus & potus corporeus vegetat corpus. Sacramentum enim eucharistię quamuis immolatitio modo institutum sit pro expiatione peccatorum facta per crucem Christi applicanda colentibus, non tamen est institutum, propter hoc duntaxat solum, sed pro alijs animæ bonis. Hæc Caietanus.

de hoc paulo superius.

Solutio obiectionis.

Instant præterea aduersarij, missam non esse sacrificium, sed testamentum ꝙ apud LVcam dominus dicat: hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine. Sed quæ est hæc impudentia, tot sanctissimis catholicæ ecclesiæ præsidibus, tot doctissimis patribus, orbis Christiani luminibus, toti deniq; ecclesiæ contrauenire, & suam stultitiam opponere? quasi hæc & similia illi non animaduertissent. Testamentum enim in sacris literis pro lege accipi solet. Testamentum enim est lex testatoris, vnde prior, vetus testamentum dictum est, & lex noua testamentum nouum. Quoniam autem, neć primum quidem testamentum, sine sanguine dedicatum est, lecto enim, inquit apostolus, omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, ipsum quoq; librum, & omnem populum conspersit, dicens. Hic est sanguis testamẽti, quod mandauit ad vos dominus. Ad eundem modum, vt figuræ sua

figurę sua responderet veritas, nouum enim testamentum, nouamq; legem suam Christus dedicaturus, in sanguine vini calicem conuertit in suum ipsius sanguinem quo non aspersit sed potauit apostolos, vt euangelistę docent. Sensus itaq; pręcedentium verborum est, hic calix, aut hoc poculum, confirmat nouum testamentum in meo sanguine, aut secundum illos, hic est sanguis meus noui testamenti confirmatiuus. Sicut igitur in lege veteri, quæ testamentum vocatur, sacrificia erant, ita & in noua.

Quemadmodum autem prędictis, aut dissimulatis, aut non intellectis ineptiunt, ita in eo quo affirmant efficaciam sacrificij nostri, alteri non prodesse instar baptismi, & reliquorum sacramentorum, nisi vni illi à quo sumitur. At de ratione sacrificij est vt offerri possit pro alio, vt liquet ex Paulo. Omnis pontifex, inquit, ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, &c. de hoc inferius. Item cum negant eucharistiam, in missa sacrificij rationem habere, & debere insumi à sacerdote. Cum tñ sacrę literæ tradunt, agnum figurantem Christum, immolari & manducari solitum. Præterea carnes victimarum hostiarum, à sacerdote & offerentibus comedi solitas.

Notatur error quorundã

Heb: v.

Exo: xij.

De vocabu

DE VOCABVLIS SACRIFICII MISSÆ.



HIC CVLTVS REPRESENTAtiuus oblationis Christi Iesu ab orthodoxis nonnunquam appellatur sacrificium incruentum, vt à CYRillo & à GRegorio Nazianzeno in carmine ad episcopos. Qui etiam, vt ante ostensum est, nominat sacrificium, quod est magnorum mysteriorum exemplar, Græce est ἀντίτυπον. Sacrificium item tremendum, vt Chrysostomus homi: 69. ad Antiochen. Idē homilia 3. in epistolam ad Ephesios quotidianam oblationem vocat. Augustinus vero sacrosanctam oblationem: sacrificium corporis Christi, vt proximè ostensum est.

Missæ uocabulum. Quibusdam vero nominatur missa, quo verbo & Augustinus vtitur sermone 91. de tempore. In lectione, inquit, quæ nobis ad missas legenda est. &c. Sermone item ducentesimo quinquagesimo primo. Nullus se à sacrarum missarum celebratione separet. Et Ambrosius lib: v. epistolarum, epistola 33. ad Marcellinam sororem scribens, inter cętera ait. Ego mansi in munere, missam facere cæpi, vbi mox oblationis mentionem facit. Dum offerro, inquit. Et mox. Amarisime flere & orare in ipsa oblatione deum cæpi, vt subueniret.

Missæ etymō. Vocabulum missæ deducunt quidam, ab Hebraica dictione,

dictione missath, quæ oblationem, seu munus spontè oblatum significat, vt Deut: 16. Vbi Moyses in festum pentecostes, voluntarias fieri oblationes iubens, ait, missath nidbath, id est oblationem spontaneam. *Beatus Renanus in Tertul:*

Quidam latinum vocabulum esse aiunt, idemq; significare quod misionem. Nam remissa pro remisione apud scriptores repetitur. Id autem vocabulum sacrificio accommodatum est, ex hac occasione, quòd catechumeni pœnitentes, post psalmos decantatos, sacræq; scripturæ lectionem, & enarrationem, priusq; mysterium consecrationis & oblationis sacerdos ordiretur, foras mittebantur, alta voce diaconi missam esse dicentis, hodie in fine sacri pronunciatur. Ite missa est, id est, misio est. Quod olim in initio, antequam inciperentur ipsa mysteria. Tunc igitur tempore sacrificij propriè missa erat, quando catechumeni foras mittebantur, nunc à parte est totum nominatum. *DIOnysius de eccle: hierar. Chrysost: hom. xxiiij i Mat.*

Alij verò alias rationes eius nominis proferunt. *iiij senten: distin: xxiiij.*

QVALE SACRIFICIVM MISSA, TVM SOLVTIONES QVARVNDAM CALVMNIARVM.



ET QVONIAM SACRIFICIum duplex est. Vnum quod Græcis ἱλαστικόν, Latinè propiciatorium dicitur, quod est precium satisfactorium pro peccatis, dei iram placans, eiq; nos reconcilians. *SAcrificium duplex.*

reconcilians. Tale est Christus Iesus, vt ante ostensum est. Alia sacrificia sunt eucharistica, hoc est, laudes, gratiarum actionis, & obedientiæ, quam deo veluti honorem, et seruitutem ei propriè debitam reddimus. Missa cum in ea res oblata sit duplex, corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum, quod est ecclesia. Ratione corporis Christi, sacrificium est verè repræsentatiuum, eius quod in cruce semel est peractum, cuius respectu, missa propiciatorium sacrificium dici potest, ratione oblationis eius, quæ semel præterijt, facta in cruce, cuius virtus perpetuo durat, quod paulo post melius patebit. Quatenus vero seipsam ecclesia, per Christum offert, seq; ac sua deo dedicat, est sacrificium eucharisticum, laudis, gratiarum actionis, & deo propriæ debitæ obedientiæ. In quem sensum (vt ante retuli) dixit AVGVstinus. Ecclesia, cum ipsius capitis, Christi sc꞉t corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre.

Missa quale sacri:, & q. in ea res oblata duplex.

Cum vero in sacrificio sit non solum res oblata, sed etiam oblatio, hæc in missa est opus sacrificantium, in quo duo spectanda, nempe cæremonia exterior, quæ sacramentalis oblatio dicitur: et quod intus agitur per fidem. Sacramentalis oblatio sine spirituali, hoc est, sine fide, & bono motu cordis, ex solo opere operato, non est vtilis, vt orthodoxi docent. Et sacerdos in missa inter cætera hoc significat, cum dicit: Omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, qui & ipsi offerunt tibi sacrificium laudis, pro redemptione animarum suarum, hoc est, qui per fidem re-

In Sacrificio duo.

In oblatione duo spectāda.

fidem recolunt se per Christi passionem, quæ hic repræsentatur, redemptos esse, debitas pro tanto beneficio gratias, et laudes agentes. Offerre enim sacrificium laudis, est laudem dicere, gratias agere.

Neq; hæc oblatio applicatur, vt opus meritorium, remissionis culpæ & pœnæ, veluti verba indicant sacerdotis: sed offertur oblatio hæc, in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis domini Iesu CHristi. Non suam igitur oblationem applicat ecclesia, sed fructum oblationis Christi, quem rocolendo rememorat per fidem sibi applicari petens. Deniq; quatenus ecclesia seipsam deo consecrat, & per Christum hostiam laudis, gratiarum actionis, in summa fidei, spei, & charitatis offert, reddit vota sua ęterno deo viuo et vero, vt est in canone, quo tota actio, et oratio ex fide ex charitate proficiscens, soli misericordiæ dei innititur, & per Christum dominum, omnia quę petuntur concedi precatur, meriti humani pręsumptionem excludēs, quod ibidem euidentissimè cognoscere licet. Vbi eñ mentio sanctorum est, sic dicitur. Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed venię largitor, admitte per CHRistum dominum nostrum. Falsò igitur id criminis in nos confertur, q̃ sacrificio missæ, crucis victimę, & meritis Christi tenebras offundere, et derogare velimus, cum tamen hoc non alio instituto fit, quàm vt Christi merita ad nos adiungantur, id quod exemplo expressiore ostenditur. Ipsum sacrum baptisma, non eo animo abluēdis infantibus adhibet, vt nouam

Oblatio quomodo applicetur.

Verba canonis

Scopus canonis.

Calumnia diluitur.

Exemplum.

vt nouam eis redemptionem efficiat, ſed ita potius ſacrum præhenditur baptiſma, & quidem iuſſu dei, ceu vas quoddam, & canalis, qui veluti ad ipſum Chriſti latus dirigitur & admouetur, vt per eum in infantes Chriſti Ieſu promanans ſanguis, ſua virtute eos ab originis culpa emundet, & expiet.

Calumnia diluitur.

Neq; ſacerdos (vt iſti calumniantur) miſſę ſacrum peragens, mediatorem ſeſe ſtatuit inter deum, hominemq;, excluſo atq; eiecto Chriſto ex honoris ſui gradu. Nam propiciationem, qua Chriſtus eſt mediator dei & hominum, Chriſto ipſi relinquit, quem verum atq; vnicum redemptorem exhibet atq; offert deo patri, nomine eccleſiæ orans, atq; admonens omnipotentem deum, & per hunc mediatorem noſtrum, eiuſq; merita ab eccleſia ſua, mala omnia auertat, & neceſſaria tum ad temporariam, tum æternam ſalutem, propitius ſuppeditare velit. Talem autem modum ſcriptura nõ prohibet, immo fieri iubet. Orate pro vobis inuicem, vt ſaluemini, ait Iacobus apoſtolus. Et Paulus Timotheo ſcribens. Obſecro primum omnium, inquit, fieri obſecrationes, orationes, poſtulatiões, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Sic et in veteri lege Paulus ad Hebræos docet, munus ſacerdotis & pontificis fuiſſe orare, ꝓ ſuis ac populi delictis ſacrificia offerre. Eo modo Leuit: 9. Aaron ſacerdos & pontifex pro ſuo peccato vitulum ma-

Iacobi v.

i Tim: ij.

Hebr: v.

tulum mactat, hircum pro peccato populi. Et Chriſtus ipſe peccata omnium noſtrum ſolus perferens in corpore ſuo ſuper lignum, vt Petrus apoſtolus ait, totius eccleſiæ cauſam egit, eandem in ſeipſo deo patri offerens. Hæc igitur præcepta & exempla eccleſia ſequens in miſſa per ſacerdotem, legatione pro Chriſto fungentem, munuſq; publicum obeuntem, preces & ſacrificium deo offert, non ſeſe diuidens. Inde ſunt illa verba ſacerdotis. Oremus, gratias agamus &c̃. Item, Orate pro me fratres, ac ſorores, vt meum ac veſtrum ſacrificium ſit accceptabile in conſpectu domini. Et collectæ, id eſt, orationes in vnum redactæ, atq; congeſtæ, quæ ab vniuerſo, & pro vniuerſo fidelium cœtu funduntur, & ſuper collectum populum dicuntur. Proinde tametſi vnus tantum verba pronunciet, cæteri tamen corde & ſpiritu cum illo precari debent. Hinc illa exhortatio. Surſum corda, ſcẑt leuate. Et reſponſio. Habemus ad dominũ, corda ſcẑt erecta. Vnde Chryſoſtomus, prædicta verba recitans, ait. Non ne reuereris & erubeſcis? & illa ipſa hora mendax inueniris? papè menſa myſterijs inſtructa eſt, & agnus pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur &c̃. Et libro vi. de ſacerdotio hæc loquitur. Eum qui pro tota ciuitate: Quid dico ciuitate? immo verò pro vniuerſo terrarum orbe legatus intercedit deprecatorq; eſt apud deum, vt hominum omnium, non viuentium modo ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat. Quaſi mundus ſacerdoti vniuerſus concreditus, atq;

i Pet: ij.

ij Cor v.

Collecta.

Chryſoſto: homil: de eucharistia in encenijs.

NOTA orationem pro mortuis.

adeò omnium sit pater, sic ad deum ipse accedit deprecans, quicquid vbiq; bellorum est extingui, turbas solui, atq; in horum locum, pacem ac felicem rerum statũ succedere, deniq; celerem malorum vnicuiq; imminẽtium, quà priuatim quà publicè defunctionem postulans. Hæc Chrysostomus, mox ibidem faciens mentionem sacrificij horrore ac reuerẽtia plenissimi à sacerdote perfecti.

Cyprianus Et diuus CYPrianus de cœna domini. Hierarcha pius, inquit, quem spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum crucis, mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua ac populi ignorantia, recolens pudibundi, & contriti animi confessione, quòd aliquando præualente aduersum se peccato fuerat derelictus, iuxta illud quod Dauid plorans ait: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Hæc Cyprianus martyr. Non dissimilia loquitur diuus Ambrosius in oratione priore præparatoria ad missam. Quoniam, inquit, me peccatorem inter te, et eundem populum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses. Vnde & diuus GRegorius Nazianzenus epistola 28. ad Simpliciam hereticam appellat Basilium Magnum mediatorem inter deum & hominem. Hieronymus item sup verba illa apud Malach: de sacerdote. Quia angelus domini exercituum est: dei, inquit, & hominum sequester est, sacerdos scilicet.

Eleuatio manuũ in missa.

Ambrosius.

Neq; mi-

Neq; mirabitur quispiam Christi corpus in recordationem mortis eius, ecclesiam dei audere offerre, si certum habebit, Christum humano generi, ea de causa datum, vt sit propitiator per fidem, in sanguine suo. hac item ratione natum datumq; nobis, vt cum vires nostras longe sentiamus imbecilliores, quàm vt per nos deum nobis reconciliare idonei simus, cum constituamus ante deum, qui dominus, seruator, salutare, mediator noster, atq; etiam illud vnicum maximeq; efficax sacrificium est, quo expiari nostra scelera, prorsusq; dilui possunt. Totum, ait quidam, quod dare possum, miserum corpus istud est, id si minus est, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo est, et meum est. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, ait Esaias. De te domine suppleo, quod minus habeo in me. O' dulcissima reconciliatio, ò satisfactio suauissima, cum defecerit (inquit idem) virtus mea (multæ enim sunt tentationes, & casus tristes vitæ huius) non conturbor, non diffido, scio quid faciam, calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo.

ECCLESIÆ Dei cur audeat Christi corpus offerre. Roman: iij.

Bernardus ser: i, de epiphan:

Esaiæ ix.

Et diuus CYPrianus martyr. In huius veracissimi et sanctissimi corporis præsentia, non superuacuè mẽdicant lachrymę veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. De his lachrymis in oblatione ante retulimus, diui Ambrosij exemplum. Non dissimilia prædictis Augustinus cap: 14. lib: iiij. de trinitate. Quid tam gratè, inquit, offerri ac suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum

sacerdotis

sacerdotis nostri, vt quoniam quatuor consyderantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offerat̃, idem ipse vnus, verusq; mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos deo, vnum cum illo maneret cui offerebat, vnum in se faceret, pro quibus offerebat, vnus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat, hæc Augustinus quę ad missæ sacrificium (cuius apud Augustinum est crebra mentio, vt ostendimus) referri possunt. De quo Leo, cui, vt ante diximus, ter sancto ab vniuersa Chalcedonensi synodo sexcentorum triginta ex toto orbe episcoporum acclamatum est. Is, inquam, in epistola ad Anatolium hæc scribit. Aliter in ecclesia dei, quod corpus est Christi, non rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ, verus nos pontifex reconciliet, qui licet sit in patris dextra constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex virgine sacramentum propitiationis exequitur. Ita Leo, cuius verba ante similitudine illustrauimus.

LEO.

NOTA.

Calumniæ dilutio.

Illud autem in quo maximè hoc officium diuinum, ab aduersarijs inuadi solet, q sacerdos consecrato corpore & sanguine Christi, rogat vt deus propitio, et sereno vultu respicere dignetur, & accepta habere illa etc̃ & perferri iubeat, per manus sancti angeli sui in sublime altare &c̃ rectè intelligendum est. Non enim id fit, quasi ecclesia roget pro filio patrem, vel quòd satagat Christum acceptũ reddere patri, hoc enim blasphemum esset, cum semper deo patri filius placuit, vt qui maxi-

qui maximè: sed referendum est ad cultum nostrum, ne indignè celebremus, attrectemus, & manducemus, quod & Basilius indicat, apud quem similis oratio extat. Respice, inquit, super nos deus, & super hanc nostram latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodũ accepta habuisti munera Abel &c̃. Diuus Ambrosius lib:4. cap:6. de sacramentis, hanc orationem suis tẽporibus in missa dici solitam testatur. Quod verò postulatur, vt hæc perferãtur in sublime altare, cuius idem diuus Ambrosius meminit: ad illud Tobiæ respicere videt̃. Quando orabas (inquit Raphael angelus) cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationẽ tuam domino. Ad quod pertinet & illud Apocal: 8. vbi commemoratur angelus stetisse, & data illi esse incensa multa (quæ sunt orationes sanctorum) vt daret ea super altare aureum, quod est ante thronum dei. Hæc autem, vt Augustinus docet, dicuntur, non quia deum doceant, nam anteq̃ fiant, scit, & postea quæ facta sunt, nouit, sed quod eius voluntatem super ijs consulunt, & quòd deo iubente completum esse cognouerunt, hæc nobis vel euidenter vel latenter reportẽt. In hanc sententiam dixit Origenes homil: 9. in Leuiticum. In hoc officium angelos ascendere et descendere ad filium hominis, & intueri, si quis ex his quę dicuntur in ecclesia compungitur, aut tale quid habeat, quod deo mereatur offerre. Algerus quem recognouit Erasmus Roterodamus, eiusq; lectionem sibi profuisse, vt ante dictum est, testatur, verba hęc. Iube perferri per

Expositio illius. Iube hæc perferri. &c.

cap:xvij, li:i.

ferri per manus sancti angeli tui etc intelligit de Christo, qui est magni consilij angelus, vel, vt Cyprianus martyr aduersus Iudæos citat, magni consilij nuncius, quod idem est, ostendens ipsum filium iussione patris in cœlis esse offerentem & hostiam, & id super quod offertur, quia omnino fidei & gratiæ eius innitimur, proinde sacerdos CHRIsti corpus in altari offerens, nec tantum quid suis meritis, sed totum diuinæ potentię & gratię attribuens hæc dicit.

Similiter exponit Gersonus super Magnificat.

DE CEREMONIIS QVIBUSDAM MISSÆ.



IN CELEBRATIONE SACRIficij altaris (vt de cæremonijs missæ aliqua nō sine certa ratione dicam9) quod oblationem externam attinet, nunc laudes dei, nunc fideles populi preces, nunc gratiarum actiones, nunc scripturarum lectiones admiscentur. Vnde & laudis, & gratiarum actionis, & precum sacrificium dicitur. In quo ritu catholica ecclesia Christi exemplum refert, qui in cœnę sacrificio, pro incolumitate ecclesiæ, quam in terris relicturus erat, multas preces ad deum patrem fudit, & tandem hymnis, & gratiarum actione, cœnam mysticam consummauit, vt euangelistę docēt. Et Paulus loquens de oblatione in cruce facta sic ait: Christus in diebus carnis suę preces supplicationesq́ꝫ ad deum, qui posit illū saluum fa-

saluum facere à morte, cum clamore valido, et lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Exequitur præterea Pauli præceptum, quod proximè retulimus. In his autem cæremonijs, si quid variarunt, aut variant ecclesiæ diuersæ, in vnitate catholica perseuerantes, id certè parum admodum est, quo res ipsa non variatur, veluti & euangelistæ historiam CHristi scribentes, etsi in minimis variare videntur, dum alius quędam prętermittit, alius supplet, alius item fusius tractat, in præcipuis tamen non dissonant.

Variatio ceremoniarū miss.

De apparatu sacerdotis sacra peragentis, in presentiarum nihil dicam, illud solum addam, qui hunc sannis, & risu sardonico excipit, videat ne Iudeis Christū irridentibus, & miris indignisq́ꝫ modis tractantibus similem se præstet. Nam vt etiam externis signis, passionis Christi Iesu, memoria in pectoribus hominum excitetur, & renouetur, minister sacra facturus, progreditur indutus eo ornatu, cuius apud euangelistas in enarratione passionis dominicę est mentio. Prætera meminerit in veteri lege apparatus sacerdotis splēdidissimi, & exquisitissimi iussu dei parati.

A P Paratus sacerdotis.

In confessione item publica, quam sacerdos exemplo veteris legis ante altare facit, sua, cæterorumq́ꝫ Christi fidelium peccata confitens, quod dicit, se etiam confiteri sanctis: id intelligat non ea ratione fieri, quò peteret ab illis sibi dimitti peccata. Nam vt in euangelio rectè dictum est: Neminem posse dimittere peccata, nisi solum deum, qui de seipso apud prophetam

Leuit: xv.

Confeßio sacerdotis.

Lucæ v.

 loquitur:

Esaiæ. xliij

loquitur: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. verum humilitatis gratia, quæ verè pœnitentibus maximè peculiaris est. In quam sententiam est illud Iob. Si erubui in conspectu domini, cōfiteri peccata mea, vt antea ex Augustino retulimus. Nam in exemplaribus vulgaribus paulo aliter habetur, idem tamen sensus est. Ad id confirmandum facit confessio & pœnitentia publica, de qua ante diximus. Iam si quis dicat confessionem fieri sanctis ad eum modum quo scriptura præcipit confessionem fraternam. Mathæi 5. Si offers munus tuum ad aram &c̄. Et Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra: cum hoc ego non contendam.

Iob xxxi.

Partes actus sacrificij.

Actus sacrificij missę duę partes sunt præcipuę. Vna vbi omnipotentis verbi Christi virtute, panis atque vinum in verum corpus eius transeunt, vt dictum est. Quod quidem corpus & sanguinem sacerdos eleuat, hominibusque inspiciendum præbet, Christum exaltatum in cruce in memoriam reuocans. Huius eleuationis & monstrationis eucharistiæ est mentio apud Basilium Magnum cap: 27. libro de spiritu sancto. Inuocationis, inquit, verba, dum ostenditur panis eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Morem leuandæ hostiæ fuisse & in veteri lege, sacra Biblia testantur. Exodi xxix. Leuitici viij. In reliqua parte, ante & post consecrationem, illa quæ superius commemorauimus peraguntur, quæ seorsim singula expediemus, idque paucis.

Eleuatio eucharistiæ.

Orditur

Missæ initiū.

Orditur ecclesia missam plerumque à versibus ex psalmis Dauidicis desumptis, tempori congruentibus, introitum vocant, quòd fideles in templum, audituri sacra tum introirent. Olim missę officium inchoabatur à psalmis non sine thurificatione, vt ex Dionysio cognosci potest, & ex Chrysostomo. Aliqui aiunt fuisse quando lectiones prætermitterentur veluti adhuc fit in sabbato paschæ & pentecostes. Supplicat deinde deo gloriosa celebratione sanctissimę trinitatis in cantico Kyrie eleyson, & Gloria in excelsis deo. Primum Græcum est tantundem significans domine miserere, Christe miserere. Græcos olim aiunt sua sacra ab eo cantico auspicari solitos, qui mos adhuc obseruatur in ferijs paschalibus. Repetitur autem ter, ad denotandū mysterium trinitatis. Secundi cantici initiū est apud Lucam angelorum canentium, reliquum adiectum fuerunt, à beato Hilario episcopo.

Dionysius ca: iij, eccle: hier.

Chryso: homi: xi, in Matth.

Beatus Renanus in Tertul.

Lucæ ij.

Posthęc sacerdos versa facie ad populum vtitur genere salutationis erga ipsum, quod olim apud priscos patres in scripturis sacris legitur vsitatum, vt Iudicum 6. Rut 2. Secundi paralipomenon 15. Dominus vobiscum, cui respondetur. Et cum spiritu tuo. Additque sacerdos. Oremus, incitans populum ad orationes communes, quas collectas dicunt, de quibus ante dictum est, vbi & ratio eius nominis est descripta. Et quia cōuenimus ad participandum corpus domini, si non semper sacramentaliter exteriori participatione, saltem spiritualiter per fidē, de qua re antea scripsimus:

 idcirco

idcirco ecclesia præparat animos nostros viuo verbo dei, quod partim ex prophetica seu apostolica, partim ex euangelica lectione desumit, quibus interserit cantica quędam laudis, vulgo graduale dicitur, quod tum minister in locum æditiorem ad pronunciandum euangelium ascendebat, succinebatur, quamuis alij aliter sentiant. Halleluia, certo tempore nobis cantare solenniter moris est, ait Augustinus, secundum ecclesiæ antiquam traditionem. Neq; enim & hoc, inquit idem, sine sacramento certis diebus cantamus halleluia, sed omni die cogitamus. Sic enim hoc verbo significatur laus dei, etsi non ore carnis, certè in ore cordis, Semper laus eius in ore meo. Qui alibi reddit rationem eius cantici certo tempore intermitti soliti. Siquidem ante pascha, quo celebramus tempus huius vitæ, quam agimus in tribulationibus, tentationibus, propterea, ait, illud tempus in ieiunijs & orationibus exercemus, atq; ob id halleluia non canitur: post pascha verò significamus tempus quod erit in securitate et exultatione perpetua. Propterea illud tempus relaxatis ieiunijs in laudibus agimus. hoc est enim halleluia quod cantamus, quod Latinè interpretatur vt nostis, laudate dominum. Hæc Augustinus.

Graduale. *Halleluia.* *Aug: in psal: cvi.* *Aug: in psal: cxlviij.*

Orationum & verbi diuini lectionis Tertullianus in apologetico aduersus gentes meminit. Corpus sumus (inquit ille de Christianis) de conscientia religionis & disciplinæ veritate, & spei fœdere. Coimus in cætum & congregationem, vt ad deum quasi manu

in cœtu orationes & cætera.

facta precationibus ambiamus orantes. hæc vis deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad diuinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas, aut prędmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spe erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de dei conspectu, summumq; iudicij futuri præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus & omnis sancti commercij relegetur. Hæc Tertullianus. Et IVstinus martyr apologia i. pro Christianis. Die solis vrbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, vbi apostolorum prophetarumq; literæ quoad fieri potest, prælegunturr, deinde cessante lectore, præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem honestarum rerum inuitans, posthæc consurgimus omnes, & preces offerrimus. &c.

EXCommunicatio. *Iustinus.*

Euangelicę lectioni annectit ecclesia catholica fidei Christianæ confessionem, canens symbolum Constātinopolitani concilij in quo Macedonius condemnatus, qui negabat spiritum sanctum esse deum. Optimo autem ordine euangelio symbolum subiungitur, cum fides euangelij fructus sit, fides autem ex auditu, vt PAulus ait.

Symbolum in Missa. *Rom: x.*

Præparatio. Post hæc sequitur præparatio ad præcelsum & admirabile consecrationis & oblationis corporis Christi & sanguinis opus, vbi præmittitur canticum quod *Offertorium.* offertorium vocant, & gratiarum actio, quam præfationem dicimus, simul & hymnus angelicus ex Esaia cap: 6. & Matth: 21. Interim tamen dum canitur offertorium sacerdos accipit panẽ azymum & vinum a *Oblatio panis et uini.* qua dilutum, & laudem dei celebrat, rogans vt oblatione sancta trinitas benignè acceptare digneť. Quod quidam intelligunt non de pane & vino in altari, sed de nostra dulia & liturgia. Quod si de pane & vino in corpus Christi & sanguinem conuertendo intelligatur, iuxta quorundam sententiam, veluti & illa in *Verba canonis* canone maiore, vt vocant: vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: hoc ea ratione fieri censendum est, vt illa quę sunt in corpus CHristi conuertenda deus omnipotens benedicat & aptet, vt idonea sint tam tremendo mysterio, vt hæc non dissimilia sint illis quæ ibidem sequũtur. Quam oblationem tu deus in omnibus quæsumus benedictam, asscriptam, ratam, rationabilemq́; facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat vnigeniti filij tui domini nostri Iesu Christi. Quæ ferè sunt *Oratio Basilij* similia verbis Basilij magni. Rogamus, inquit, te domine vt veniat spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc ꝓposita munera, & benedicat ea sanctificetq́;, et faciat hunc eundem panem pretiosum corpus, & vinũ, pretiosum sanguinem domini saluatoris nostri Iesu Chri

Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita: Orationi item sancti IAcobi primi Ierosolymitani episcopi, *Oratio Iacobi Clemens. Bessario.* & sancti Clementis successoris beati PETri, vt docet Bessario cardinalis Nicenus Græcus vir doctus in libro de sacramento altaris, veluti refert Gerardus Lorichius Hadamarius lib: ij. de missa.

Eiusmodi orationis mentionem facit diuus Chrysostomus lib: vi. de sacerdotio, de sacerdotis dignitate *Chrysostomus* disserens. Quum, inquit, ille et spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq́; illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit. Et in missa eiusdem Chrysostomi hæc oratio est. Domine deus noster qui obtulisti teipsum agnum irreprehensibilem pro mundi vita, respice ad nos, & ad panem hunc, & ad poculum hoc, et fac illum immaculatum et pretiosum tuum sanguinem. Et paulo post ibidem est hæc oratio ad oblationem (vt ipse Chrysostomus loquitur) cum ponuntur sacra, priusq́; inferantur ad altare. *Oratio Chrysostomi.* Deus deus noster qui cœlestem panem alimoniam totius mũdi dominum nostrum Iesum CHristum & misisti seruatorem & redemptorem, & beneficum, benedicentem ac sanctificantem nos, ipse benedic oblationem hanc, & accipe eam in supercœleste tuum sacrarium. &c. Diuus Ambrosius cap: 5. lib: iiij. de sacramentis ver- *Ambrosius.* borum illorum: oblationem acceptam ratam rationabilemq́; & acceptabilem &c̃ meminit. Et diuus Augustinus, vt scribitur de consecratione distinct: 2. vbi *Expositio quorundam uerborũ canonis.* etiam hæc verba exponit, benedictam vocari dicens,

 quod per

quòd per eam benedicimur: asscriptam, quòd per eam in cœlo asscribamur, ratam, quòd per eam in visceribus Christi, hoc est, in corpore Christi, quod est ecclesia censemur. Rationabilem, quòd per eam à bestiali sensu exuimur. Acceptabilem, vt qui nobis ipsis displicemus, per hanc eius vnigenito acceptabiles simus. Ita Augustinus. Prædicta autem verba sicuti & illa. Hęc sancta sacrificia illibata, hæc, inquam, verba, relata ad panem & vinum, in corpus Christi conuertenda, dicũtur per anticipationẽ, seu vt Græci dicunt πϱολήψιν. partim propter corpus & sanguinem Christi, in quæ conuertenda sunt, partim propter vota fidelium, quę in sacramento venerabili deo commendantur, iuxta hoc CHristi. Hæc quotiescunq; feceritis, in mei commemorationem facietis.

Roman: xv.

Paulus rogauit olim Romanos, vt adiuuarent eum in oratiõibus, quò obsequij illius oblatio accepta esset in Ierusalem sanctis. Et ad Philippenses faciens mentionem liberalitatis eorum in se hęc ait: Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem deo. Proinde, vt mea fert opinio, non mirum debet esse cuipiã, quòd sacerdos proferens panem & vinum, quæ in corpus et sanguinem CHristi sunt conuertenda, precatur vt ministerium & cultus acceptus esset deo, vtq; (veluti est apud Chrysostomum) ad panem & vinum respiceret, illaq; tremendo mysterio aptaret.

Philip: iiij.

Solutio obiectionis.

Quodsi dicat quispiam pusilla hæc esse, quę deo offerantur.

150

ferantur. Sed quid deo offerri possit tantum quo ille dignior non sit? neq; tam æstimator est donorũ quàm animi, qui nisi fuerit purus, ardens in deum, dona etiã ingentia exosa habebit, tantum abest vt illa acceptet. De qua re apud Esaiam loquitur ipse. Quo mihi multitud nem victimarum vestrarum, plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium: & sanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui. Et psal: 49. Meæ sunt omnes ferę syluarum, iumenta in montibus et boues, cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid mãducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me in die tribulatiõis, eruam te, & honorificabis me. Quum igitur & hæc animo pio in gloriam dei fiant, quis illa vituperatione digna ducet? Non indiguit deus olim holocaustis, quæ tota cremabantur, vnde & nomen sortita sunt: voluit tamen illa propter certam rationem offerri. Sic & ea cum non sine ratione fiant, quis vituperabit? Est autem ratio hæc, quam diximus, vt scilicet sit præparatio ad consecrationem, & oblatiõem, & sumptionem veri corporis & sanguinis Christi. Tremendum em̃ hoc mysterium et sacrificium est, proinde mundo corde celebrandum, iuxta illud Esaiæ. Mundamini qui fertis vasa domini. Huc pertinet in veteri lege consecratio manuum, sanctificatioq; sacerdotum, et vestium

Esa: i.

Rationes offerendi panis et uini.

Esaiæ Lij.

Esaiæ xxviij.

 illorum.

Exodi xix. xxx. illorum, vniuersæq; suppellectilis, quæ ad cultum diuinum pertinebant, tum præceptum de non offerenda viciosa hostia. Vnde Paulus. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Deinde vt designetur animus propensus & voluntas CHristi qua sese ad illud accõmodauit opus, quod ab cœlesti patre illi impositum erat, vt pro hominum salute, ad crucem mortemq; sese offerret, quam promptitudinẽ illis verbis designauit apud Lucam. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor donec perficiatur. Et illis: desyderio desyderaui hoc pascha manducare vobiscum antecq; patiar. Vnde eadem ipsa cœna, crucis illud suum, acerrimo cum cruciatu, immolandum sacrificium, alia quadam pretiosi corporis & sanguinis sui hostia præuenit & anticipauit, corpus suum et sanguinem, sub specie panis & vini, incruenta ratione in mysterio offerendo, vt ante dictum est. Postremo vt accepto pane gratias agens &c. imitetur etiam dominum suum, nam ipse (referente euangelista) accepto pane gratias agens benedixit. Et si quę sunt aliæ rationes.

Deuter: xvij. i Cor: xi, Lucæ xij. Lucæ xxij.

Mistio aquæ cum uino. &c Precationum, gratiarum actionis, & mistionis aquæ vino, IVSTInus philosophus martyr, vir apostolicus, ante annos mille quadringentos, apologia i. pro Christianis meminit. Affertur, inquit, præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus, hoc est, (vt ipse ibidem paulo post loquitur) vinum aquatum, quibus acceptis laudem ac gratiarum actionem patri omnium offert, per

offert, per nomen filij sanctiq; spiritus, atq; ita eucharistiam aliquandiu celebrat. De commistione aquæ et vini in oblatione altaris, scribit Cyprianus martyr epistola 3. lib: ij. vbi hanc traditionem dominicam et apostolicam esse docet. Et Ambrosius cap: 1. lib: v. de sacramentis. Admiscetur autem aqua in sacrificio, vt aquam quæ de Christi latere fluxit, representet, & populum ecclesiasticũ, capiti suo CHristo vniri significet, per aquam aũt populum significari scriptura docet apocali: 17. Aquæ, quas vidisti, populi sunt multi. *Cur aqua admiscetur uino in oblatione.*

Fertur in primitiua ecclesia fuisse consuetudinem offerendarum rerum in communem pauperum refocillationem, de qua IVstinus martyr. Ditiores, inquit, si libeat, pro sua quisq; voluntate conferunt, collecta deponuntur apud præpositum, is subuenit pupillis, viduis, & propter morbum aliamue necessitatem egentibus, vinctis quoq;, ac peregrinis, & in summa curator fit omnium inopum. Eius collationis meminit PAulus ad Romanos 15. & ij Corinth: 9. Fabianus martyr pontifex Romanus ante tredecies centenos annos præcepit: vt diebus dominicis ab omnibus viris & mulieribus oblatio tam panis quam vini fiat. Apud Gratianum de consecr: distinct: 2. scribitur. Christianum ad missarum solennia aliquid offerre debere. Is mos adhuc obseruatur à Christianis, prę̃sertim in festis solennioribus, vt & offertorium ab offerentium ritu Rabanus dicit esse appellatum. Neq; Christus oblationes has fidelium improbauit, immo *Oblatio in usum pauperũ.* *Offertorium unde dictum.*

 etiam

Oblationes à Christo approbatæ. etiam modum ostendit, quò gratiores deo fierent. Si offers, inquit, munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, *Matt: v.* relinque illic munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum, quod quidem munus, & ipse Christus pro se offerri voluit, *Lucæ ij.* vt docet euangelista Lucas. Diuus Augustinus cap: 27. libr: viij. de ciuitate dei, olim eam consuetudinem fuisse narrat, præsertim in Aphrica, vt à quibusdam Christianis epulę in templum portarētur, quas cū apposuissent, orabant & auferebant, vt vescerentur vel etiam indigentibus largirentur. Et libr: vi. confessionum refert matrem suam ad memoriam sanctorum attulisse Mediolani pultes et panē et merum, dedisseq; ostiario. Sed hæc Ambrosius fieri vetuit, ne vlla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentium esset similima. Est canon apostolorum quid offerendum sit in sacrificio altaris. Si quis episcopus aut presbyter præter ordinationem domini, alia quędam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, et confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra consuetudinem domini faciens, congruo tempore deponatur. Vnde liquet aliam esse rationem panis & vini offerendi in altaris sacrificio, quam cæterarum rerum, quæ etsi non offerantur à Christi fidelibus, tamen offertorium rectè dicitur & canitur cum oblatio panis & vini fit ob prædictas rationes, tum

tiones, tum vt Christiani admoneantur communionis rerum, & confiteantur corporalia & temporalia bona ex diuina benedictionis per Christum Iesum dominum nostrum se adeptos esse.

DE CANONE MISSAE.



POST PRAEFATIONEM ET hymnum angelicum vczt dum prędictus hymnus à choro psallētium canitur, sacerdos canonem recitat & peragit, cuius præcipua pars est, in qua corpus & sanguis domini consecratur. Canon Græcis significat regulam, vnde pars missæ eo nomine dicitur, quòd sacramentum venerabile, regula & norma quadam decēti exequi peragiq; decet. Appellatur etiam actio propter sacrosanctæ hostiæ consecrationem & sumptionem, et propter vota fidelium, & gratiarum actionem. Hunc canonem quidam recentiorum miris modis proscindunt, ad ferulam etiam reuocandum censent. Si ob id quod picturatæ eloquentiæ flosculis non lasciuiat: hac ratione Pauli apostoli scripta vituperanda erunt qui seipsum imperitum sermone fatetur, quod quidem manifestant tot anantapodota, tot hyperbata, & solæcismi Græci. Vetus hic mos hereticorum, vt docet beatus Ireneus vir apostolicus. Hæretici, inquit, relinquūt præconium ecclesię, imperitiam

CANON. *Actio.* *Vituperatores Canonis.* *ij Cor: xi.* *Ireneus lib: v. aduersus hæreticos.*

imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplãtes, quanto pluris sit idiota religiosus à blasphemo, et impudente sophista. Neq; in sermone regnum dei esse, sed in virtute docet apostolus, qui etiam nihil se scire inter Græcos affirmauit, nisi Iesum Christum crucifixum, præter quem nihil aliud scientes, quidam simplices leguntur philosophos & subtiles disputatores euicisse, & ad fidem Christianam perduxisse, alijs item per miraculum silentium per nomen IESV CHristi imposuisse, vt ne verbum quidem proloqui potuissent. Sin autem ob impietatem, vt ipsi impudenter fatentur, id erroneum & impium esse liquet ex his, quæ de sacrificio missæ scripsimus, tum ex scriptis eruditorum virorum, quorum alij pro canone aduersarijs responderunt, alij vero canonem exposuerunt, cuius quidem canonis partes quędam & expositio earum apud diuum Ambrosium, Augustinum inueniuntur. Quin & apud Basilium Magnum, Chrysostomum multa similia ijs quæ sunt in canone reperiuntur, vt proximè ostendimus. Vnde falsitatis facilè coarguuntur quidam, qui canonem diuo Gregorio illis longe posteriori tribuũt, immo etiam in ætatem Gregorio inferiorem reijciunt. Sed & ipse Gregorius in Registro, vbi canonis mentionẽ facit, affirmans Scholasticum quendam non primum ipsius conditorem, sed eum qui autoritate GElasii papæ canonem emendauit, amputato plixitatis fastidio, & immodica martyrũ nomenclatura. Proinde quidam aiunt canonem

1 Cor: iiij.
1 Cor: ij.
Eusebi: lib: x. ca: iij. hist: ec.
Sozomenes li. ij, capit: xxiij historiæ trip:
Autores pro canone.
Calumnia.
Zwinglius.

initio ferè nascentis ecclesiæ æditum, & subinde per sanctos patres esse auctum. Marcion & alij lacerarunt olim testamentum vetus. Ebionitæ solo MATthæi euangelio vsi, cęteris euangelistis contemptis: non mirum igitur videri debet si id canoni ab hæreticis contingat. Quod vero canon tacitè legitur, more ecclesiæ veteris fit, cuius apud Dionysium est mentio. Et apud Chrysostomum in missa. Id temporis (ait Erasmus) nulla vox audiebatur in toto templo, sed populus in terram pronus tacitis affectibus gratias agebat deo patri, quod filium suum in mortem tradiderit pro salute generis humani.

Huc nimirum hortatur sacerdos, quum alloquens populum dicit: Sursum corda. Gratias agamus domino deo nostro, nam ineffabilibus mysterijs nulla res magis conuenit quàm silentium, nec alio modo dignius laudatur stupẽda domini Iesu in nos charitas, quàm illo loquacissimo silentio, dum silente vocum humanarũ strepitu, submisso corpore, mens erecta soli deo loquitur. Ita ille. Qui alibi ait: Non strepitum illum labiorum, sed ardens animi votum, tanquam intentissimam quampiam vocem ferire aures diuinas. Moyses nullam ædebat vocem, et tamen audiebat, quid clamas ad me? Sic et Anna in lib: regum legitur loquuta in corde suo, tantumq; labia eius mouebantur, & vox penitus non exaudiebatur, effuderat enim animã suam in conspectu domini. Eò igitur pertinet hoc silentium, ad quod etiam quadam ratione facere videt

Irene: libr: i. cap: xxvi. cõtra hæreses.
Marcion testamentũ uetus vituperauit.
Canon tacitè lectus.
Erasmus in epistola nũcupatoria Algeri.
in Enchirid: militis christ.
Regum i.

illud velum veteris templi, in cuius adytum soli pontifici secundum legem patuit ingressus, oblationis & precum gratia, cuius oblationis tempore foris populus precari solitus fuerat, vt testatur Lucas euangelista, qui mos adhuc seruatur in Græca ecclesia. Alias silentij eius causas prætermitto apud alios descriptas. In summa dicam quid canon complectatur, ad cuius expositionem ea quæ ante & post attulimus, pertinet.

Lucæ i.

Sūmaria expositio canonis ex enchir: concil: Col.

In canone inprimis sacerdos nomine ecclesiæ obsequium suum acceptum haberi petit, quæ verba ante exposuimus. Dein ordine quo dominum deprecatur generatim pro vnitate sanctæ & catholicæ ecclesiæ, post pro ijs qui sunt in sublimitate constituti, pro quibusdam etiam speciatim, maximè pro ijs qui circūstant, fideq; ac pio affectu sacerdoti in actione cōmunicant. De hac oratione ante diximus, vbi etiam sanctorum mentio fit, de qua inferius. Deinde ad consecrationem corporis & sanguinis domini progressurus, fidem præambula oratione acuit, qua inter alia, oblationem seruitutis suę atq; adeò cunctæ ecclesiæ acceptam habere, vt nobis & corpus & sanguis domini nostri Iesu Christi, virtute diuini sermonis fiat, precatur, de quibus proximè & paulo ante à nobis dictum est. Accepta quidem semper deo patri hostia, quam in altari representamus, quod ad se attinet. Ea enim sola patri complacuit: sed quod ad nos attinet, oblationem seruitutis nostræ acceptam fieri petimus, ne indignè contrectemus, offeramus, ac manducemus, vtq; nobis virtus pas-

virtus pasionis Christi in fide manducantibus applicetur. Sequitur deinde corporis & sanguinis domini consecratio in qua huius sanctissimi sacramenti institutio, & pasionis vis et efficacia commemorantur, ac predicantur, quam comitatur oblatio huius sacrificij representatiua, quod in memoriam CHristi domini dei nostri, & tam beatæ pasionis, nec non ab inferis resurrectionis, & in cœlos gloriosæ ascensionis diuinæ maiestati offerimus de eius donis ac datis. De memoria representatiua ante egimus copiosè. Verba autem, quæ hoc loco in canone habentur, similia sunt verbis Chrysostomi in missa. Annectitur tandē præmissis in canone supplex precatio ad deum, qua petimus, vt participemus corpus & sanguinem domini cum non ad iudiciū, quod ne fiat monet apostolus, sed potius vt tali participatione mediante per CHristum dominum nostrū gratia cœlesti repleamur, hoc Christus fore promisit. Qui manducat me, & ipse viuet propter me, &c̄. Deinde commendantur domino defunctorum animæ, sed eorum tantum qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis, de qua re inferius dicimus. Post orationem pro defunctis, postulatur et pro viuis de multitudine miserationum domini sperantibus, consortium cum sanctis, iam cum Christo regnantibus, idq; per eundem Christum dominum nostrum. Qui statim post, tanquam dei & hominum mediator, prædicatur omnium bonorū autor, & largitor, atq; huius sacrificij institutor,

Ioan: vi.

Oratio ꝓ defunctis.

 confector,

NOTA. confector, & applicator, de quibus ante dictum. In verbis autem quæ hoc loco habentur in canone, per quem hæc omnia domine semper creas &c. Non intelligendum per pronomen hæc demonstrationẽ hic fieri ad CHristi corpus aut sanguinem, sed ad intellectum eorum, scilicet non quę modo sunt, sed quæ paulo ante fuerunt, panis scilicet & vini, quorum substantiam deus creat condendo, sanctificat consecrando, viuificat conuertendo, benedicit gratiam augendo, præstat nobis communicando verum ipsius corpus et sanguinem. Iam sacerdos tandem progredi incipit ad participationem diuinissimi sacramenti, ad quam vt rectè præparemur, hortatur alta voce omnes ad orationem dominicam dicẽdam, in qua inter alia, panem hunc supercœlestem nobis dari petimus, in cuius calce subnectitur oratio, qua vltima dominicæ orationis precatio magis explicatur. De oratione dominica diuus Hieronymus aduersus Pelagianos lib: iij. ita inquit. Christus docuit apostolos suos, vt quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Hæc Hieronymus. Et quia Christus in mensa sua mysterium vnitatis & pacis nobis consecrauit, sequitur pacis domini petitio, quę quidem pax est triplex. Vna cordis tranquillitas, quę recõciliatis per fidem ipsa remissione peccatorum contingit, de qua Paulus. Iustificati ex fide, pacem habeamus erga deum. Altera est hominis erga seipsum, quæ ex priori proficiscitur, & per spiri-

Oratio d̃nica

Petitio pacis quæ trip: est.

Romano: v.

per spiritum sanctum mortificantem subinde concupiscentiam nostram, ne dominetur rursus peccatum in nostro mortali corpore, ingeneratur. Tertia pax est fraterna charitas, qua ex animo remittimus proximo, veramq́; & Christianam concordiam cum eo habere per charitatem studemus. Triplicem ergo hanc domini pacem (extra quam nulla alia vera est, etiamsi hominibus videatur, iuxta illud Esaię, non est pax impijs) sacerdos petit priorem in supplicatione ter repetita, quæ incipit: Agnus dei qui tollis peccata mundi etc. iuxta præconium Ioannis Baptistæ &c. Alteram in ea, quæ incipit: Domine Iesu. Tertiam omnes habere iubet, vt apti sint sacrosanctis mysterijs Christi, iuxta præceptum CHristi. Si offers munus tuum ad aram &c. Ac sic tandem osculum pacis sumit Christianæ charitatis symbolum.

Romano: vi.

Esaiæ xlviij.

Osculum.

Osculum mutuum in signum charitatis CHristianæ, olim apud Christianos in vsu fuisse, liquet ex scripturis diuinis. Salutate vos (inquit Paulus ad Cor:) in osculo sancto. In quem locum Chrysostomus scribens ait: Vestibulum templi & ingresionem osculamur mutuum osculando. Et paulo post: Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus dominicum, propter hoc maximè hic osculamur. Ita Chrysostomus.

ij Cor: vltimo. Chrysosto: homil: xxix.

Frangitur hostia salutaris, idq́; in specie tantum panis fit, vt ante declaratum est, quæ quidem fractio representat CHristi pasionem, quodq́; CHristi corpus pro mul-

FRactio hostiæ.

pro multis datum, & a multis participādum sit, quem-
admodum diuus Paulus ait: Panis quem frangimus, *1 Cor: x.*
nonne communicatio corporis Christi est?

Non desunt qui affirment partem hostiæ, quæ in calicem mittitur, significare corpus Christi quod resurrexit, partem commestam, ambulantem super terram, partem in altari remanentem, corpus iacens in sepulchro. Misionis particulæ hostię in calicem est mentio apud Chrysostomum in missa, cum hisce verbis. Plenitudo spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum amen. Hac autem commistione significari aiunt, quod Christi corpus & anima quæ in ara crucis erant separata, in resurrectione rursus sunt vnita. *lib: ij, senten. distin: ij. de cōse: dist. ij* *Lor: Had. li: ij de missa.*

Post hæc sacerdos se ad communionem parat orationes aliquot ad CHristum fundens ante & post, ab hac communione cantico communionis nomen manfit. Olim tum temporis populus communicabat, quod et hodie aliquando fit. Communionis sacerdotis ipsius est mentio apud Chrysostomum in missa. *Communio.* *Communio sacerdotis.*

Sequuntur precationes siue collectę quarum Chrysostomus in verba illa Matthæi. Et hymno dicto exierunt &c̄ sic meminit: Audiatis quicunq; vltimam mysterij orationem non expectatis, quæ illius symbolum est. Postremo loco sacerdos totum populum, velut in suam tutelam receptum, dei benedictiõe tradit & commendat. Atq; hactenus strictim de ceremonijs missæ dixi. *NOTa uerba Chrysostomi.*

De signo

DE SIGNO CRVCIS.



DE SIGNO CRVCIS QVO IN sacrificio missę vtimur, quoniam multi hoc irrident, adducere quædam libet, vt ostendamus id in veteri ecclesia fuisse. Signo crucis, ait Augustinus, consecratur corpus dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri, & cæteri gradus ecclesiastici, & omnia quæcunq; sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis cum inuocatione CHristi nominis consecrantur. Nam & ipsa crux magnum in se continet mysterium, cuius positio talis est, vt superior pars cœlos petat, inferior terræ inhæreat fixa, infernorum ima contingat, latitudo autem eius partes mundi appetat. Quia & Christus per pasionem crucis angelis profuit in cœlo, quorū numerus, quod per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur, et nobis qui sumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos, sed & ipsis qui in diuersis mūdi partibus habitabant. Iacens vero crux quatuor mūdi partes appetat, orientem videlicet & occidentem, aquilonem & meridiem, quod & Christus per pasionem suam, omnes gentes ad se trahit, & omnia sibi subiugauit, iuxta quod ipse resurgens à mortuis dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Hęc et alia *Augu: sermõe clxxxi. de tẽpore.* *Crucis mysterium.* *Mat: xxviij.*

et alia de mysterio crucis ibi Augustinus. Et sermone 3. de annunciatione dominica. Huius, inquit, crucis mysterio rudes cathechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt, eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur, et vniuersaliter omnia ecclesiastica sacramenta in huius virtute perficiuntur. Ita Augustinus. Et diuus Iustinus martyr Augustino antiquior quæstione 118 ad orthodoxos. Dextera, inquit, manu in nomine Christi consignamus eos qui hoc signo egent, quia honorabilior existimatur quàm sinistra, tametsi situ non natura ab ea differat. Tertullianus Christianis olim morem fuisse lib: 2. ad vxorem innuit, vt se, lectulosq; suos cruce signarent. Et libro de corona militis hæc dicit: Ad omnem progressum, atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra & mensas, ad lumina ad cubicula, & sedilia quæcunq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Non dissimilia Cyprianus lib: ij. aduersus Iudæos ad Quirinum. Diuus Chrysostomus. Neq; sic regia corona ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebāt, eius signum tantopere quærunt: atq; adeò vbiq; ea inuenitur apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apđ liberos; subin-

Dedicatio basilicarū & cōsecratio altarium.

Iustinus martyr.

Tertullianus.

Chrysostomus

subinde omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte em̄ nostra, quasi in columna quotidie figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpus CHristi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbiq; celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs, & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margarithis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dęmonijs obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus. Adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Hæc & alia Chrysostomus tomo 3. in demonstratione aduersus gentiles, ꝙ Christus sit deus. Ita quidem Christiani illi veteres. At plurimos hodie inuenias, quibus id ludibrio est, qui crucis signum perosi, illud ex parietibus pictum eradunt, sculptum confringunt, dissecant, pedibus proterunt, exurunt. Quo facto ethnicorum & Iudæorum mentem referre videntur. Iis enim testante Paulo. Christus crucifixus scandalum, illis stultitia est. Longè aliter Cæsar Theodosius, qui etiam reuerentiæ ergò edicto cauit, ne signum seruatoris lapidibus humi positis insculperetur, ne vczt pedibus hominum tereretur. Aliter & Cæsar Carolus quintus. Is enim GERmanorum aciem, quam postea fuderat subsequens, cum incidisset in statuam Christi ad cru-

Contra osores signi crucis.

i Corin: i.

in codice iuris ciuilis.

Polydorus de inuentorib. rerū ca: vi, li: v.

Lodouicus ab Auila lib: ij, belli Germa-

 cem affi-

cem affixi, cuius pectus bombardico glãde traiectum fuerat: horrendum viſu ſpectaculum execratus ferre non potuit, quin publicè quoq; tam nefarium ſcelus deteſtaretur, et cœlum ſuſpiciẽs in hanc vocem erumperet: Domine ſi velis facilè poteris hanc iniuriam vlciſci. Clamarent omnes indigniſsimè factũ, ſi quiſpiam regiam imaginem, aut literas, per contemptum tam indignè tractaret. Id vero indigniſsimè fieri non exiſtimabitur, ſigno regis ſeculorum et domini dominantium? in quo nos gloriari oportet, docente Paulo. Quod etiam, dicente Chriſto, cum dominus ad iudicandum venerit, apparebit.

Galat: vi.
Matt: xxiiij.

Libet hic afferre exemplum ex annalibus Polonorum à Dlugoſio conſcriptis. Refert ille aliquando rumorem Cracouiæ apud Iudæos increbruiſſe, q̃ ſtato die quodam ſignum Meſsiæ ab illis conſpici debuerat. Gratulabundi illi & veſtibus candidis induti, die ad id præfixo in templum confluunt, vtpote cupidiſsimi videndi ſigni Meſsiæ tot ſeculis à ſe expectati. Dum autem ſua ſacra obeunt, ecce in veſtibus eorum imagines crucis apparuère, quibus viſis, alij religionẽ ſuam peroſi, Chriſtianam amplexi ſunt. Alij vero (vt gens hæc eſt obſtinatiſsimo animo) id contempſerũt, veluti olim & Chriſtum ipſum ſtupenda miracula facientem. Non diſsimile ſcribit Ruffinus accidiſſe Iudæis Hieroſolymis, in quorum omnium veſtimentis ſignaculum crucis ita euidẽs apparuit, vt etiam qui delere pro ſui infidelitate voluiſſet, nullo genere valeret abo-

lib: x. ca: xxxix. hiſto: eccl.

leret abolere. Et Sozomenes libr: vi. tripartitæ hiſtoriæ refert: Iuliano apoſtatæ ſacrificante dijs prodigium coronatæ crucis in extis apparuiſſe. Quodſi deus ſignum crucis expreſſum oculis Iudæorum ingerere voluit, vt per hoc admoniti CHriſtum Ieſum agnoſcerent, eiuſq; dogma ſectarentur. Cur Chriſtiani quidam ne aſpectu hoc quidem dignantur? Sed ea de re in oratione noſtra de corruptiſsimis moribus &c. latius.

EPILOGVS prædictorum

Atq; hactenus de miſſa diximus vbi oblationẽ corporis & ſanguinis domini, ex catholicorum, tam Græcorum quàm Latinorum autorum ſentẽtia, tum conciliorum œcumenicorum, & ſacræ ſcripturæ autoritate aſtruximus: Præterea ceremonias quæ in miſſa fiunt ſtrictim attigimus, aduerſarijsq; ſuis locis reſpondimus, qui more Luciperi deo ſe æquaſſe volenti, faſtu tumentes, contra catholicam eccleſiam firmamentum veritatis, vt Paulus loquitur, ſacrificium hoc tremendum contemnunt, vituperant, proſcindunt, adeò vt idololatriam nuncupare minimè vereatur, quo dogmate alij ſeducti, vel potius in furorem acti prædicant, malle ſe ad inferos ire, quàm in templum vbi miſſa peragi ſolet. Alij etiam perinde atq; cacodæmonem fugiendam cenſent, & alia quę animus meminiſſe horret, loquuntur, quibus CHriſtus IEſus mentem meliorem donet.

Contra miſſoliturgos.

Sententia Eraſmi Roter. de Miſſa.

Supereſt igitur (vt hic ſententiam Eraſmi Roterodami viri doctiſsimi de miſſa proferam) vt quod ſuf-

ficiēter perſuaſum eſt, dignè celebremus, & quod credimꝰ, ipſa re nos credere declaremus. Quātam em̄ puritatem, quantam reuerentiam ac timorē requirat, hoc terq́ꝫ quaterq́ꝫ adorandum myſterium, quis dignè aſſequatur? Quis autem credat illos ex animo credere: qui dum hoc peragitur myſteriū, in templo fabulātes obambulant, aut quod alicubi velut ex more fit in foro pro templis foribus ſtant, ocioſis fabulis terentes tempus. Olim ille pœnitentium aut catechumenorum locus erat. Quidam vix oſtenſis myſterijs ſeſe proripiunt in popinam, templumq́ꝫ vacuū relinquunt. Quid hoc moris eſt? Dum agitur ridicula fabula, manes donec audias valete & plaudite, & cœleſtis myſterij finem expectare non potes? Circumſtant menſam illam adorabundi ſpiritus angelici, præſens adeſt, in quem tota cœleſtis militia gaudet proſpicere, & tu perinde quaſi ludicra res agatur aut nauſeas oſcitaſq́ꝫ, aut garris aliquid, aut potas? Hæc Eraſmus.

Augu: uerba.

Cui non diſsimilia ſcripſit diuus AVguſtinus ſermone 251 de tempore. Adhuc quoq́ꝫ, inquit, quod deteſtabilius eſt, ad eccleſiam aliqui venientes non intrant, non inſiſtunt precibus, non expectant cum ſilentio ſanctarum miſſarum celebrationem, ſed quando lectiones diuinæ intus legūtur, tunc ipſi foris aut cauſas dicere, aut diuerſis ſtudent calumnijs impugnare, aut vczt in alea, vel in locis inutilibus inſudare. Aliquoties enim, quod peius eſt, aliqui nimia iracundia ſuccenduntur, & amariſsimè rixantur, ita vt armis ſe

vel fuſtibus alterutrum impetant, & ſæpe homicidium perpetrent: & hoc ab illis maximè fit, qui pleni inuidia, & odio, diabolo ductore in conuentum eccleſiæ pergunt, non vt ſemetipſos adiuuent, ſed vt alios lædant. Tales etiam ſi homicidio ibi pereunt, aut ſubita morte rapiuntur, quò alias niſi cum ipſo, cuius ſecuti ſunt veſtigia vadunt in æterna tormenta? Et paulo poſt. Nunquid talis conuentus cum tali ordine in domo dei debet fieri, aut taliter decet in conſpectu dei et ſanctorum angelorū eius aſsiſtere? Adhuc quoq́ꝫ, quod valde dolendum eſt conqueri vobiſcum volo, quia ſunt aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui cum veniunt ad eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes dei celebrandas, ſed cogunt presbyterum vt abbreuiet miſſam, & ad eorum libitum cantent: nec ei licet morem eccleſiaſticum ſequi propter illorum gulam & auaritiam, quatenus vnus punctus diei ad dei officium, et reliquum diurnum ſpacium cum nocte ſimul ad eorum deputetur voluptates. Hactenus Auguſtinus.

Contra potentes iſtius mūdi.

Quodſi olim in ſynagoga Iudæorum inter multas acies cœleſtium angelorū deus ſe exhibere ſolitus fuerat, de quo pſalmographus. Currus dei decem millibus multiplex, millia lætantium dominus in eis in Syna, in ſancto, cur in eccleſia Chriſtianorum idipſum fieri quis negabit? De quo Chryſoſtomus. Neſcis, inquit, quod cum angelis conſtitiſti? cum illis cantas, cum illis deum laudas, & ſtas ridens? Quod fulmen non torquetur, non tantum in iſtos, verum & in nos

Pſal: lxvij.

Homil: xl, ad populū Antiochen.

nonne mirandum? Sunt enim ista fulmine digna. Et homilia 3. super 7 caput Ephes: Adstat, inquit, mensa regia, adsunt angeli mensæ huius ministri, adest rex ipse, & tu oscitabūdus astas? Sed hæc hactenus, nūc de inuocatione sanctorum dicamus.

DE SANCTORVM INVOCATIONE.



SED ADVERSARIOS MALE habet quo'd sanctorum mentio in missa fiat, & quo'd a' Christianis inuocentur. Quodsi id damnant, damnent & illud Moysis pro populo orantis exodi xxij. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Iacob seruorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli. Et SOlomonis ij paralip: 6. Domine deus meus, ne a uerseris faciem Christi tui, memento misericordiarum Dauid serui tui. Et Danielis 3 trium puerorum. Ne auferas a' nobis misericordiam tuam domine deus noster, propter Abraham dilectum tuum, & Iacob sanctum tuum. In quibus quidem orationibus mentio est sanctorum qui ex hac vita discesserant.

OBIECtionis solutio. Dicunt isti Abraham, Isaac & cæteros hic nominari, non vt deus propter eos quicpiam concedat, sed propter promissionē illis factam. At non in omnibus his preca-

tionibus est mentio promissionis. Sed esto propter promissionem, an illa propter illorum fidem cæterasq; virtutes non facta est? quarumqui dem virtutum ratione, illi deo placuerunt promissionemq; acceperunt. Quia fecisti hanc rem (ait deus ad ABraham) et non pepercisti filio tuo vnigenito benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum. Et ad Isaac. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo' quo'd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias legesq; seruauerit. Et ad Salomonem. Tu quoq; si ambulaueris corā me, sicut ambulauit pater tuus, & feceris iuxta omnia quę præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaq; seruaueris, suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum Dauid patri tuo. Si autem auersi fueritis & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, euellam vos de terra mea, quam dedi vobis, & domum hanc quam ædificabo nomini meo, proijciam a' facie mea. Et iiij Reg: 19. loquitur deus ad Ezechiam per Esaiam prophetam. Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me et propter Dauid seruum meum. Audis hic deum propter pia facta sanctorum multa se promisisse facturum, non tantum propter promissionem suam, veluti aduersarij putant. Si igitur prædicta in biblijs damnari non possunt, cur apud Christianos mentio apostolorum, martyrum, cęterorumq; sanctorum apud deum a' multis vituperatur? quorum etiam nomina quędam ab istis ridentur, vt Lini, Clementis, cæ-

Bonorū o pum remuneratio. *Gene: xxij.* *Gene: xxvi.* *ij Para: vi.* *Conclusio ex pcedentibus.*

mentis, cæterorum'q; quorundam, cum tamen apud apostolum Paulum Lini & Clementis sit mentio, & aliorum, quæ illi pro suo more citius riderent.

ij Timot: iiij.

Apud diuum Chrysostomum in missa hæc oratio est. Precibus domine eius quæ genuit te deiparæ, & semper virginis Mariæ sanctorum omnium, potestatum spiritualium, pretiosi prophetæ præcursoris ac baptistæ Ioannis, sanctorum gloriosorum apostolorum, & sancti Nicolai cuius & memoriam celebramus, miserere & serua. Ita Chrysostomus.

Si propter Abraham, Isaac, Iacob, Dauid iam mortuos multa viuentibus contulit, qui tamen à regno illo cœlesti, ad portas inferi extorres agebant, propter apostolos, martyres suos, qui pro ipso sanguinem suũ profuderunt, aliosq; sibi amicissimos & regnantes secum, nihil faciet? De quo duus Hieronymus contra Vigilantium, qui honore omni sanctos priuabat. Si, inquit, apostoli & martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Vnus homo MOYSes sexcentis millibus armatorum impetrarat à deo veniam. Et Stephanus imitator domini sui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse cęperunt, minus valebũt? Paulus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse cæperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe

Exo: xij.

Actorũ. ij.

Acto: xxvij.

toto orbe ad suum euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorq; erit Vigilantius canis viuus, quàm leo mortuus? Hæc & alia Hieronymus aduersus Vigilantium Gallum, qui docebat, postquam mortui fuerimus nulla sit pro alio exaudiendo oratio. Hieronymo subscribit Chrysostomus. Gratia, inquit, & meritum sanctorum, morte non minuuntur.

Chrysostomus in s̃m: de pentecostes.

Angelum orasse pro Ierusalem & ciuitatibus Iuda, eiq; dominum respondisse verba bona, verba consolationis, scribit Zacharias propheta. Aduersarij, qui CHristum affirmant esse mediatorem etiam secũdum diuinam naturam, hic per angelum intelligunt Christum, at Christus quatenus deus non orat patrem, cũ illi sit æqualis, de qua re inferius, vbi de mediatore Christo scribimus. Et ij Machabeorum vltimo scribitur, prophetam Hieremiam orasse pro popl'o Israël. Si vero quispiam libros Machabeorum non recipiat, quòd apud Hebræos in canone non sint, hac ratione abijciendi erunt omnes libri testamenti noui, quos tamẽ Christianorum ecclesia approbauit, sicut & libros duos Machabeorum. De hoc Augustinus: Machabeorum libros, inquit, non Iudæi, sed ecclesia CHristi pro canonicis habet.

Zacha: i.

Libri Machabeorum.

Aug: li: xviij ca: xxxvi, de ciuitate dei.

Nemo prudens sanctorum opera seu merita talia esse affirmat, qualia in Christo inuenimus, qui semetipsum pro nobis impendens, & sanguinem suum fundens, plenam cum deo reconciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita sua, quibus & ipsi saluati

SAnctorum merita.

sunt, & nobis suffragantur, ex eodem omnis salutis, & totius meriti fonte, Christi vczt passione hauserunt. Non enim si iusticiæ rigorem spectemus cuiusq; sanctorum operationes suæ quantumuis fructuosæ, ad propriam salutem suffecissent, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et illud Chri: Si feceritis omnia, quę præcipio vobis, dicite serui inutiles sumus. Et illud Pauli: Non sunt condignę passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ex dei autem misericordia & liberalitate, & CHristi gratia, non solum ipsis ad salutem sanctorum merita conducunt, sed etiam nobis ad perfectionem, & gratiæ diuinæ impetrationem prosunt, deo in eis misericorditer complente, quod veraciter promisit: Ego sum deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitates filiorum in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia ijs qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Psal: cx lij.
Lucæ xvij.
Roman: viij.
Exodi xx.

Hoc ipse deus innumeris confirmat miraculis, quorum plurima certissimę fidei, & in aliquibus oculatus testis, refert diuus Augustinus cap: 8. lib: xxij. de ciuitate dei, quorum hic aliqua referam. Mediolani spectante diuo Augustino & Ambrosio, & vniuerso populo ad corpora sanctorum Geruasii & Protasii (quę cum penitus nescirentur episcopo Ambrosio reuelata reperta sunt) cæcus, repulsis veteribus tenebris diem vidit. Refert idem Victorianæ quæ (villa erat ab Hippone non procul sita) ad memoriam eorundem martyrum

Miracula ad memorias sanctorum.

martyrum adolescētem quendam liberatum à dæmonio, restituto illi euulso oculo, perfectæq; sanitati reddito. Plurima ibi narrat facta ad memoriam aut reliquias gloriosi prothomartyris Stephani, ad aquas Tibilitanas, cum sacrum pignus deferret episcopus quidam Proiectus nomine, mulieri cœcę visus restitutus, cum oculis flores à sacris reliquijs adhiberet, videntibus multis & stupentibus. Lucyllum etiam episcopū eiusdem piæ sarcinæ gestatione curatum à fistula qua molestissimè laborabat. Martialem quoq; virū quendam primarium cum ęgrotaret ad mortem, & à Christiana religione abhorreret, nec posset aut generi, aut filiæ fidelium precibus, aut persuasione ad fidem induci, eiusdem meritis subito & miraculosè conuersum à genero pro eodem fusa, ad beatissimi martyris memoriam, oratione. Refert præterea quinq; mortuos resuscitatos. Aduri puerum oppressum vehiculo cum ad memoriam eiusdē beatissimi martyris delatus esset à matre. Præter innumera alia scribit de duobus germanis, fratre & sorore matris maledicto, toto corpore & membris omnibus deformissimè tremulis, curatis sub sua & totius populi præsentia, ad memoriam eiusdem gloriosissimi martyris. Hęc ille et alia, dicens multa fieri miracula deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult, vniuersaq; miracula, quæ per martyres in CHristi nomine fiunt, ei fidei testimoniū ferunt, qua in Christum martyres crediderunt. Plura eiusmodi etiam ex Chronicis Hungarorum & aliorum pro

Aug: li: xviij cap: xxxvi. de ciuitate dei.

Chriſoſtomus homil: Lxvi ad populũ ãtiochen.

orum proferre poſſem exempla. Vnde & Chryſoſtomus. Sanctorum oſſa dæmones ſiſtunt, & torquẽt, et vinctos ab illis ſoluunt ſæuiſsimis vinculis.

Solutio obiectionis.

Quodſi quiſpiam impudens aut non credat, aut ea (quod audiui) cacodæmonibus tribuat, quid dicturus eſt, cum in actibus apoſtolorum cap: 5. cernet ægrotos vel ab vmbra Petri apoſtoli prætereuntis obumbratos, ſanitati reſtitutos. Et actuum 19. ad ſemicinctia, à corpore Pauli ad ægrotos delata, receſsiſſe ab eis morbos & ſpiritus malignos. Et iiij regum 13. ad contactum oſsium Eliſæi ſuſcitatũ mortuum. Certè ipſe Chriſtus iſthuc futurum promiſerat. Qui, inquit, credit in me, opera quæ ego facio faciet, & maiora his faciet. Ita Chriſtus nihil metuens iacturam ſuę gloriæ, ſic enim illi viſum eſt communicare ſuam gloriam, quibus dignatus eſt communicare regnum ſuũ, et quorum non dedignatus eſt fieri miniſter. Qui autem hæc tribuit dæmonibus, præter id quòd promiſſioni Chriſti detrahit, ſimilis eſt Iudæis Chriſtum in Beelzebub principe dęmoniorum eijcere dęmonia affirmantibus. Neq; ſimilia dæmones poſſe, teſtes ſunt magi Aegyptiorum, cum cernentes prodigia per Moyſen facta, eaq́; facere nequeuntes dicerent: Digitus dei eſt hic. Teſtes prophetę Baal iij reg: 18. Neq; dæmones illa faciunt quæ in dei gloriam vergant.

Ioan: xiiij.

Mat: ix.

Aug: epiſtola cxxxviij

Vbiq; quidem deus eſt, (ait Auguſtinus) & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, et eum à veris adoratoribus, in ſpũ & veritate oportet adorari,

adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Verumtamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius cõſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiunt. Et paulo poſt. Sicut enim quod apoſtolus dicit: Non omnes ſancti habent donum curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpiritus, nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fieri voluit, ille qui diuidit propria vnicuiq; prout vult. hæc Auguſtinus.

Chryſoſtomus de ſanctis loquens: Qui ducebantur et circumducebantur, qui contempti erant & vincti, qui innumera patiebantur dum viuerent: vbi defuncti ſunt, regibus ipſis magis erant venerabiles etiam Romæ, quæ vrbium eſt regaliſsima, relictis omnibus ad ſepulchra piſcatoris & pellionis currunt & reges, et præſides, & milites. hæc Chryſoſto: tomo 3. in demonſtratione aduerſus gentiles, ꝙ Chriſtus ſit deus.

lib viij. de curatio: Græcarũ affectionũ

Theodoritus ſuo tempore factum eſſe refert, vt votorum rei dona perſoluerent: atq; alij oculorum, alij pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpenderent, ex auro argentoúe confecta. Eius rei non omnino diſsimile exemplum habetur i regum 6. licet à gentilibus factum, qui anos aureos & mures ad arcam dei appendebant.

Solutio obiectionis de mediatore.

i Ioan: ij.

Quod autem aduerſarij aiunt, Chriſtum eſſe vnum mediatorem dei & hominum, vt Paulus docet, eundemq́; aduocatum apud deum patrem IOAnnes apoſtolus affirmat, ob idq́; hunc inuocandum eſſe, nec eius

 iniuria

iniuria illi debitum honorem transferri debere ad sanctos. Neq; catholici id negant: ob hoc tamen autoritate scripturæ & ecclesiæ ducti, sanctorum implorationem apud deum non tollunt. Aliud namq; intelligunt esse mediatorem redemptionis & propiciationē, qualis Christus solus est, qui non verbis sed suis meritis potius rem nostram apud deum agit, eiusq; aduocatio non orando, sed miserando, opitulando transigitur. Aliud vero intercesionem sanctorum, vel (vt ita dicatur) mediatorem intercesionis, quomodo sancti sunt intercessores & precatores apud deū, ob idq; mediatores dici possūt, sicuti apostoli vocati sunt lux mundi à Christo, quamuis hoc nomine solus Christus proprie in scripturis appelletur. Sic & deus quamuis vnus sit, homines tamen modo quodam dij in sacris literis appellantur. Adhęc aliam esse inuocationem dei, aliam sanctorum. Prior enim est qua inuocamus deum à quo speramus vltimo tāquam à datore omnium bonorum munificentissimo auxilium in omnibus cui soli fidendum est, et in quo solo sperandum, et hęc soli deo debetur. Altera est, qua inuocamus sanctos vt suis precibus impetrent nobis ea quæ iuste desyderamus. Vnde ecclesia orans ait: Christe miserere nobis: Sancti orate pro nobis. Solus ergo Christus est mediator & propiciatio, sed non solus intercessor.

Christi aduocatio.

Matt: v.

Ioan: viij.

Inuocatio duplex.

Paulus apost.

Alioqui quomodo Paulus suijpsius totius non fuisset oblitus, & in Christum iniurius, cum docens vnū esse mediatorem Christum à mortalibus hominibus, qui etiam

qui etiam pro suis ipsorum peccatis adhuc opus habebant orare, implorabat orationum apud deum auxilia? Obsecro vos fratres (scribit Romanis) per Iesum Christum dominum nostrum, & per charitatem sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad dominum, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa. Et ad Ephesi: Per omnem orationem, inquit, orantes omni tempore in spiritu &c. et pro me, vt detur mihi sermo, in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium euangelij. Idem petit à Colossensibus à Thessalonicensibus vtraq; epistola. Et ad Philomenem. Spero, inquit, per orationes vestras donari me vobis. Quid ergo PAVlus apostolus cum CHristi iniuria quærit mortales homines intercessores atq; oratores alios? Sed hæc tribuere Paulo impium est.

Romano: xv.

Ephe: vi.

Colo: iiij.

Sequenda igitur tanti apostoli sententia & exemplum, idq; tenendum, non pertinere hoc ad CHristi iniuriam, sed potius honorem & gloriam, cum ad nostram dignitatem, nostrę orationis fragilitatem respiciētes, & inefficatiam, etiam alios ad illum intercessores submittimus, non quòd illi sint magis misericordes, neq; ex diffidentia de Christi erga nos misericordia, sed ex humilitate suæ imperfectiōis indignitatisq; sibi conscij. Mortua Thabita (vt Lucas scribit) discipuli eius mortem grauiter ferentes, vt cuius ministerium sanctis adhuc existimabant necessarium, non tamen immediatè ad deum, aut ad mediatorem nostrū Christum

INTercessio sanctorū qua ratione petenda.

Actorum ix. Christum, sed ad Petrum confugerunt, quem, vt veniret, rogabant, deumque oraret, vt illam resuscitaret, non tantum præsumentes de propriæ orationis efficacia. Impetrarunt oratiōe aliorum, quod non impetrassent oratione propria. Talia exempla in literis sacris sunt plurima.

Solutio obiectionis. Cæterum cum istis inuocationē sanctorum tollentibus, quòd vnus sit mediator, exempla hæc Pauli, vel aliorum proferuntur. Respondent ipsi hæc dicta esse de sanctis adhuc in vita degentibus, quod illi se non negare affirmant. Verum hæc dicentes, se ineptire nō animaduertunt. Cum enim vnum tantum mediatorem esse vrgeant (quod & catholici non negant, vt dictum est) intercessionem autem sanctorum viuorum concedunt: iam sibi non constant. Qui enim vnum mediatorem esse affirmat, per hoc tollens intercessionem sanctorum mortuorum, & viuorum intercessionem admittit, vtique vnum mediatorem ponit, & non vnum, quæ quidem contradictio stare nequit. Neque illi quod animum attinet, minus, immo magis quàm hic viuere in gloria censendi sunt.

Quòd autem mortuos sanctos apud deum hominibus prodesse negant, contra rationes & euidentissima exempla scripturæ sacræ agunt, quę superius in medium adduximus. Quamuis alij testimonia et exempla Opinio quorundam. hęc cernentes, sentiūt sanctorum mortuorum mentionem in oratione rectè fieri posse ad eum modum, quo Moyses vsus, & cæteri, & ecclesia passim in collectis, vt vocant, vtitur: tamen vt hac ratione sanctum precemur absentem, qua viuentem, hoc neutiquam concedunt, affirmantes id blasphemum & inutile esse, blasphemum quidem, quòd hoc modo diuinitas tribuat̄ sanctis. Solius enim dei est nosse cogitationes dominum. Qui ob id scripturis sacris καρδιογνώστης, id est, Actuum. i. cognitor cordis appellatur, ad hocque confirmandum orationem Iudæorum ex Esaia producunt. Tu pater Esaiæ Lxiij. noster, & Abraham nesciuit nos, & Isráel ignorauit nos. Et illud Solomonis. Tu nosti solus cor omnium ij Reg: viij. filiorum hominum. Atque ita ex his hoc etiam inutile esse colligunt. Fatentur id catholici pij & docti, deum esse qui scrutatur corda, & renes probat, vt ipse apud Ieremiam de seipso loquitur. Non tamen negāt Catholicorum responsio. Iere: xvij. sanctos & electos eius, dei potentia cognoscere posse, quæ deus concedit et permittit. Neque intelligūt sequi, si quispiam cognoscat cogitationes alicuius, quod statim deus sit, aut diuinitatem habeat. Cognouit Daniel cogitationes Nabuchodonosoris regis, nec tamē Daniel: ij. habuit deitatem. Elisæus item qui omnia dicta & secretissima regis Syrię nūciabat regi Isráel. Et omnes ij Regum vi. fermè prophetæ abditissima quæque cognoscebant interdum, vt quibus proprias etiam cogitationes dominus reuelabat, & tamen non erant dij, nisi eo modo quo ij ad quos factus est sermo dei, dij quodam modo Psal: lxxxi. dici meruerunt. Si igitur in hac vita id voluntate Ioa: x. diuina quibusdam contigit, cur sanctis in gloria quis negabit cognoscere illa quæ illis ad gloriam & nobis

ad salutem expedit nosse? Postulant isti testimonium scripturæ quod sancti intelligant singulorum preces, quasi quod non intelligāt ipsi aut vllis rationibus, aut testimonijs monstrauerint esse perspicuum. Illud enim ex Esaia ante citatum, non facit pro illis, vt inferius patebit. Solomonis vero & Ieremiæ dictum ex prædictis facile solutu est.

Sancti, hominum actiones in hac uita sciunt.

Quodsi angeli in cœlis etiam particulares actiones hominum norunt, vt liquet ex verbis CHristi apud Lucam: Gaudium erit (inquit Christus) in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitētia. Gaudium est enim esse non posse sine rei cognitione præuia, quiuis affirmabit. Si itaq; angelis hoc tribuit, cur animis sanctis, cum Christo regnantibus id negandum? præsertim cum CHristus ipse dicat, regni cœlestis habitatores, sicut angelos dei futuros. De quibus Augustinus hæc ait: Creaturam melius ibi, hoc est in sapientia dei, id est in verbo vnigenito, tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt, ac per hoc & seipsos ibi melius, quàm in seipsis, verumtamen & in seipsis sciunt, facti sunt enim, & aliud sunt quàm ille qui fecit, ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina. Hęc Augustinus. Qui alibi (ob id vt reor) ait, animus sanctorum, non clamorem vocis, sed cordis audire. Proinde, aiunt docti, ante redemptionis nostrę pretium persolutum, sanctorum suffragia non fuerunt implorata, vtpote nondum

Lucæ xv.

August: lib: xi cap: xxix de ciuit: dei.

cap: xxxi, de cogniti: ueræ uitæ.

Sacrorum suffragia añ Christum passum, cur nō implorata.

nondum tum temporis coniunctorū cum deo in gloria, propter quam coniunctionem beatificam, siue aliam quampiam rationem non dubitant, quin animæ felices cognoscant, quæ illis ad gloriam nobis ad salutem expedit nosse. Optimo itaq; iure, sancti cum Christo regnantes, ante multa secula ab vniuersa, toto orbe Christi ecclesia inuocati sunt, id quod ex scriptis grauissimorum autorum manifestum est.

Basilius Magnus in homilia 40 martyrum: Qui tribulatur, inquit, ad quadraginta confugit, qui lætatur, ad ipsos decurrit, ille vt molestiarum solutionem reperiat, hic vt res secundæ ipsi conseruentur, hic mulier pia pro liberis orans deprehenditur, itemq; peregrinandi merito reditum, ac infirmo salutem petens. Cum martyribus (inquit idem) fiant preces vestræ. Quos martyres ibidem appellat Basilius cōmunes generis humani custodes, orationis cooperatores, legatos potentissimos, stellas terrarum orbis, ecclesiarum flores, quos non terra occuluit, sed cœlum suscepit.

Basilius.

Diuus Ambrosius libr: de viduis. Obsecrandi sunt, inquit, angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi sunt, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare, possunt orare pro peccatis nostris, qui proprio sanguine, si qua habuerunt peccata lauerunt. Isti em̄ sunt dei martyres nostri præsules, speculatores vitæ actuumq; nostrorum, non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem cordis

Ambrosius.

cordis etiam cum vincerent cognouerunt.

Idem eodem libro tractans illud Lucæ 4. cum socrus Simonis magnis febribus cruciaretur, Petrus & Andreas rogauerũt pro illa. Habes, inquit, proximos qui pro te deo supplicẽt, habes apostolos, ꝓximos, martyres, ꝓximos, si ipsa martyribus deuotiõis societate, misericordiæ quoq; muneribus appropinques. Hęc Ambrosius. Qui quod in epistolam ad Rom: scripsit: ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo vtiq; est rex, et nescit quibus debeat remp: credere, ad deum autem quem vtiq; nihil latet, omnium etiam merita nouit ad promerẽdum, suffragatore non est opus, sed mente deuota, hoc non de sanctis dictum, vt contextus verborum Ambrosii indicat. Quod si de sanctis intelligeretur, ideo, vt reor, dictum esset, ne aliquis honorem deo debitum cuipiam alteri deferat, vel ne existimet deum inclementiorem esse sanctis, neminemq; prorsus citra suffragatorem exaudiri velle, vel ne sine sua opera sanctorum intercessionem sibi sufficere putet: non autem ꝙ inuocatio sanctorum prorsus sit inutilis & damnanda. Alioqui ipse Ambrosius secum et cum scriptura pugnaret, vt liquet ex superioribus.

Amb: cap: iiij ad Romanos

Ita puto debere intelligi & illud Chrysosto: Non opus est tibi patronis apud deum, neq; multo discursu vt blandiare aliis: sed licet solus sis, patronoq; careas, & per teipsum deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Vnde ipse idem Chrysostomus homilia prima in cap: 1. epistolę 1. ad Thessaloniceñ inquit: Bonum

expositio uerborum Chrysostomi.

Chrysosto: de profectu euã:

Bonum est sanctorum precibus frui: sed quando & ipsi seduli & vigiles fuerimus. At quid mihi opus est, inquis, aliorum precibus, quando ipse sedulus & dexter fuero? Ne constituas teipsum eò vt opus illis habeas, neq; ego hoc volo, verum semper indigentes sumus, siquidem rectè sapuerimus. Paulus non dixit: quid mihi aliorũ precibus opus est? tametsi illo essent indigni, qui pro eo precabantur, immo neq; pares: & tu dicis, quid mihi opus est aliorum precibus? Petrus non dixit, quid mihi necesse est, vt pro me oretur? Precatio, inquit, fiebat sine intermissione ad deum pro eo. Et tu dicis. Quid mihi aliorũ precibus opus est? propter hoc ipsum opus habes quòd te putas, illis non habere necesse. Etiam si Paulo similis esses, opus tamen haberes aliorum precationibus. Non extollas teipsũ, ne humilieris, sed quemadmodum dixi, si nos ipsi in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis. Audi quid Paulus dicat: Noui enim, inquit, quòd hoc mihi cedet ad salutem per vestram precationem ac subministrationem spiritus IEsu Christi. Et tu dicis, quid mihi opus est aliorum precibus? Si vero desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Ieremias Iudæis? an non tertio deum pro illis interpellauit, & vicissim tertio audiuit, neq; oraueris neq; obsecraueris pro populo isto, non enim exaudiam te. Quid Saulem iuuit Samuel? An non ad extremum vsq; diem lugebat illum, non tantum obiter precabatur. Hæc & plura ea de re

Actorũ xij.

 Chrysosto-

Chrysostomus ibidem, quibus non dissimilia scribit in Matthæum homilia 5. 8. & alibi.

In hanc sententiam dixit Augustinus sermone secundo de natali IOANnis Baptistæ. Tunc pro nobis sanctus IOannes quicquid petierimus poterit obtinere, si nos festiuitatem suam pacificos, sobrios, castos, absq; vllo turpiloquio cognouerit, celebrare. Ita Augustinus, qui libro meditationum cap: 23 sic orat: Orate dominũ, orate pijssimi, orate omnia agmina sanctorum, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus, meritisq; adiuti, salua naue, & integris mercibus peruenire mereamur, ad portum perpetuæ salutis & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Et sermõe secundo de annunciatione dominica, sic virginem Mariam precatur: Sancta Maria succure miseris, iuua pusillamines, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunq; celebrant tuam commemorationem. Hæc & alia ibidem Augustinus.

Augustinus.

Simili modo Gregorius Nazianzenus Græcus cognomento theologus in oratione funebri Basilij Magni, ipsum Basilium Magnum precatur. Tu sacrum ac diuinum caput ex alto nos respice, et stimulum carnis instructionem nostram à deo nobis datam, aut tuis siste precibus, aut fortiter mihi ferre persuade, totamq; vitam in melius nobis commuta, cum vero emigrabimus nos ibi tuis excipe tabernaculis, quò simul viuentes trinitatem

Gregorius Nazianzenus.

trinitatem sanctam, beatam pariter aspiciamus. Hactenus Gregorius. Qui quod petit se excipi à Basilio tabernaculo ipsius cœlesti: ad illius sententiam dictũ est LVcæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Neq; enim illi recepturi sunt sine deo, sed deus ratione eorum, quibus quicquid factum fuerit sibi Christus factum feret, vt ipse testatur. Eo modo intelligenda sunt cætera, quæ postulant homines sibi à sanctis præberi. Omnia enim, inquit Augustinus, quę præstare hominibus vel angeli vel homines possunt, in vnius esse omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit.

Expositio uerborum Gregorij Nazianze.

NOTA Augu: lib: x cap: xiiij, de. ciuit: dei.

Non dissimiliter diuus Hieronymus de laudibus Paulæ defunctæ. Vale, inquit, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem tuis orationibus iuua, fides & opera tua te Christo sociant, præsens facilius, quod postulas impetrabis. Et diuus Chrysostomus. Nam ipse, inquit, qui purpuram indutus est accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito, & scenarum fabrum & piscatorem etiam mortuos vt protectores orat qui diademate redimitus incedit. hæc Chrysostomus homilia 66. ad populum Antiochenum.

Hieronymus. in epitaphio Paulæ.

Ruffinus narrat de Theodosio q̃ is contra Eugenium prælium initurus, circumibat cum sacerdotibus et populo orationũ loca, ante martyrum & apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercesione poscebat.

libro ij: capi: xxxiij eccle: histo.

Origenes

ORigenes in IOB. Origenes item omnibus vetustior in Iob: viuens in perpetuum apud deum & victor permanens in conspectu regis domini, ora pro nobis miseris, hæc ibi & in alijs locis apud eundẽ similia, cęterosq́; orthodoxos.

Hanc catholicam veritatem approbarunt concilia œcumenica, concilium enim sextum generale orientis & occidentis ecclesiæ definiuit, vt vnusquisq; Christianus solo deo creatore suo adorato, inuocet sanctos, vt pro se intercedere apud diuinã maiestatem dignentur. Et secundum Nicenum sic statuit: credentes in vnum deum in trinitate laudatum, eiq; deniq; soli latriam, hoc est, cultum soli deo debitum exhibentes, poscimus intercessionem intemeratæ sanctę deiparæ, sanctorum item angelorum, omniumq́; diuorum, & patrum nostrorũ. Fingunt isti in prędictis locis nescio quas apostrophas. Sed hoc illis effugium non procedit, vt euidentissimè colligitur ex antedictis.

Andreas Vega cap: vi, lib: xv. Obijcit Caluinus in quodam concilio Carthaginẽsi prohibitam fuisse sanctorum inuocationem ad altare, & ne hanc vocem proferrent sacerdotes: Sancte Petre, vel sancte Paule ora pro nobis: verum inspe-*Conciliũ Tridentinum.* ctis concilijs intelligent omnes, nihil aliud pręceptum esse ab aliquo concilio Carthaginẽsi quàm quod ab vniuersa ecclesia obseruatur. Et in concilio tertio Carthaginensi confirmato in sexta synodo generali cap: 23. statuitur, vt in missarum sacrificio, cum ad altare assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio. Quod *NOTA.* vero exprobrat altum silentium de Christi intercessione esse

one esse, prudentissimè ab ecclesia statutum est. Ne enim daretur ansa errori Arianorum, orãdum potius eum censuit, vt misereretur nostri, quàm vt oraret pro nobis, & contenta fuit ecclesia, velut obsignare illo ecclesiasticarum orationũ fine, per Christum dominũ nostrum. Neq; tam verbis, vt proximè dictum est, quàm meritis suis Christus causam nostram agit apud deum. Nimis honorificat deus amicos suos, & quò omnes ad amorem sui alliciat, laudare se vult in illis. Et quamuis ad benefaciendum nobis est promptissimus, tamen ob commoda nostra, & gloriam eorum, multa hominibus beneficia ad preces eorum largitur. Vnde ad Abimelech regem, qui vxorem Abrahamo rapuerat ait: Redde viro vxorem quia propheta est, & orabit pro te & viues. Et ad amicos Iob. *Genesis xx.* Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. *Iob vltimo.*

Item obijciunt isti, in sanctos non credimus, igitur sancti non sunt inuocandi. Nam Paulus ait: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt. Atqui Paulus dicit ad Philemonem, fidem quam habes in domino Iesu, & in omnes sanctos. Et Hieronimus contra Luciferianos ait: cum solenne sit in lauacro post trinitatis confessionem interrogare: Credis in sanctam ecclesiam. Præterea idem explicans hunc locum Pauli adfert illud in exodo scriptum: credidit populus deo et Moysi seruo eius. Vna, inquit, atq; eadem credulitas in Mo-

tas in MOYsen refertur & in deum, vt populus qui credebat in dominum æque credidisse dicatur in seruum. Vnde et Chrysostomus eũdem locum adferens, negat imminui dei diuinitatem, ꝙ ei coniunctus est Moyses. Coniũctus est enim non vt honore par deo, sed vt minister dei, inquit Chrysostom9, multa exempla similia adferens. Si ergo credimus in sanctos, recte inuocamus eos, & si aliter credimus in deum quàm in sanctos, aliter deum inuocamus, vt dictum est.

Chrysos: tomo tertio in sermone de fide & lege nat:

Non damnauit olim Christus (inquit Erasmus Roterodamus) affectum muliercule sanguinis profluuio laborãtis, quòd indignam sese iudicasset, vt Christum ipsum palam adiret, sed cõtigit fimbriam vestis illius, et sanata est. Omnes sancti membra Christi sunt, si per fimbriam attactam dat beneficiũ, mirum est si dat per sua membra? Christus nullam suam vestem in cœlum subduxit, mẽbra sua subduxit. Ipse Christus nihil metuens iacturam suæ gloriæ ausus est promittere discipulis suis, si quis in ipsum credidisset, non solum ea facturum, quæ fecisset filius patre in ipso operante, sed etiam maiora facturum, quod præstitit, vt testantur acta apostolorum. Cur igitur hanc gloriam tribuebat discipulis? quia sic illi visum est, sic ipse pater voluit glorificari per filium, sic filius per discipulos, & sic expediebat nobis, quò magis agnosceremus illam ab apostolis traditam sanctorum communionem, quæ non solum viuas verum etiam pias defunctorum animas, atqꝫ ipsos etiam angelicos spiritus conplectitur.

Erasmus Roterodamus.

Ioan: xiiij.

Cõmunio sanctorum.

Quid opus

Quid opus erat nobis angelicos addi pædagogos, quũ deo protectore fuerimus satis tuti? hic deus voluit nobis etiam & ægrotos commendari, sic charitatem suam erga nos illustrare.

SANCTORVM MORTVORVM ANIMÆ IN COELO SVNT.



EX PRAEDICTIS COLLIgere est catholicam ecclesiam sentire sanctorũ animas corpore exutas in cœlum recipi, & deum trinum & vnum intueri, sicuti est, vt Ioannes ait. Quod approbatum est in cõcilio vniuersali Florentino. Olim cum hoc nondum in quæstionem venerat, aut si venerat nondum excussis scripturis, ecclesia super his suam sententiam clara voce pronunciarat, non defuère qui sentirent animas non statim frui glorificante visione dei, sed abditas seruari in diem resurrectionis, cuius sententiæ fuerat & Ireneus, & quidam alij, quorum opinio etiam ex scriptis PAuli conuincitur, qui ad Philippenses affirmans se duabus rebus vrgeri: vna, mori & esse cum Christo, altera, viuere in carne propter instructionem credentium hæc dicit: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Quodsi viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro, coartor è duobus, desyderium

Philip: primo

 derium

derium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos. Et ad Corinthios ij epistolę cap: 5. habitantes in corpore peregrinamur à domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem. (hoc est, vt Ambrosius exponit non per præsentiam) audemus ergo (inquit Paulus) & consentimus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad deum. ita Paulus. Quod vero alibi dicit: In ipso viuimus & mouemur & sumus: hoc loco autem nos à domino peregrinari affirmat? Si vbiq; est quomodo hic positi peregrinamur à domino. Sine dubio vbiq;, ait Ambrosius, immo omnia in deo sunt, sed quia sedes dei in cœlis est, & illic semper videtur, ideo hic positi vbi non videt, peregrinari à domino dicimur, quando enim non eum videmus, licet præsens sit, absentes ab eo sumus. Ita Ambr.

Acto: xvij.

Diuus BAsilius ad Amphilochium idem sentit, citans testimonium Pauli apostoli. Quomodo, inquit, non extremæ stupiditatis fuerit, sanctos quidem cum Christo esse confiteri (siquidem sanè PAulus de corpore profectus præsens est apud dominum, ac resolutus iam est cum CHRIsto) spiritui vero ipsos ne hoc quidem contribuere quantū in ipsis situm est, vt ęque velut homines sit cum Christo? Ita Basilius.

Basi: c: xxviij lib: de spiritu sancto.

Ex prædictis igitur liquet animas sanctorum post mortem in cœlum recipi & visione dei frui. Quorsum enim PAulus cuperet peregrinari à corpore, & præsens esse apud dominum? cum non nisi in cœlis deus, vt

deus, vt Ioannes ait, videtur sicuti est.

i Ioan: iij.

Iam quod isti Ioannem proferunt, qui in apocalypsi ait se vidisse subtus altare animas interfectorum, propter verbum dei, & propter testimonium quod habebant & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo domine sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Ex quibus verbis colligunt isti animas sanctorum nondū cœlesti patria potiri. Libri Apocalypsis interpretationem difficilimam esse grauissimi & orthodoxi scriptores aiunt, adeò vt Eusebius affirmauit, in eo contenta excedere atq; eminere humanæ eruditionis modum, quem & ipse fatetur se admirari ac venerari, etiamsi non intelligat. Diuus HIERonymus vero ad totum hoc volumen intelligendum, quod reuelationis titulo prænotatur, reuelatione opus esse affirmat, vt possimus cum propheta dicere: Reuela oculos meos & consyderabo mirabilia de lege tua. Isti tamen pro suo arbitrio, & eum locum, & alios audacter interpretantur, & exponunt contra scripturæ autoritatem & catholicorum sententiam. Non enim ideo animæ sanctorum subtus altare esse dicuntur hoc loco, quasi altare quoddam sit, sub quo animæ planè conclusę asseruarentur, sed quòd vel sub protectiōe Christi sint, qui altare nostrum est, vel quòd animę sanctorum deo & Christo se semper submisere, & ob annunciatum de Christo testimonium morti ab impijs traditæ, à quibus zelo iustitiæ vindicari petunt, vt eorū exemplo

Solutio obiectionis ex Apocalypsi. Apocal: vi.

Euseb: lib vij, cap: xxiij, ecclesiast: histo.

Hieronym: in xxxviij, cap: Ezechiel.

Psal: cxviij

Expositio loci ex Apocalypsi

Heb: xiij.

exemplo resipiscant cæteri impij. Alioqui quorsum Ioannes mox subiecisset, datas sanctis singulas stolas albas, quod, vt Augustinus dicit, in sola anima adhuc æternis beatitudinibus ante resurrectionem perfruuntur, postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus, immutabiles erunt in anima, et incorruptibiles in corporibus. de hoc Esaias: In terra sua duplicia posidebunt.

Aug. sim: iiij. de innocētib.

Esaiæ lxi.

Quodsi adhuc animę sanctorum à cœlestibus mansionibus abessent, hac sanè ratione animæ patriarcharum, & prophetarum spe sua frustratæ essent, quippe quæ desyderabant aduentum Christi in carnem, per cuius pasionem se liberatum iri à tenebris, & captiuitate crederent.

Vnde diuus HIEROnymus contra Vigilantium. Ais, inquit, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram dei animas apostolorum, martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint adesse præsentes &c. Et paulo inferius. Et post hæc de baratro pectoris tui cœnosam spurcitiam euomens audes dicere. Ergo cineres suos amant animæ martyrum, & circumuolant eos, semperq́ue præsentes sunt, ne fortè si aliquis precator, ait, venerit, absentes audire non possent. Hæc Hieronymus. Vbi audis Vigilantium non tantum de solis honoribus, vt quidam comminiscuntur, disputasse, sed etiam de inuocatione, quas obiectiones hisce verbis Hieronymus diluit: Tu, inquit, deo leges pones? Tu apostolis vincula inijcies? vt vsq;

Notātur quidam.

vt vsq; ad diem iudicij teneantur custodia? nec sint cum domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur agnum quocunq; ierit. Si agnus vbiq;, ergo & hi qui cum agno sunt, vbiq; esse credendi sunt. Et cum diaboli & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbiq; præsentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & inde exire nō poterunt? Hactenus Hieronymus.

Sancti cū domino.

Apoca: xiiij.

Neq; solum ecclesia catholica ea ratiōe, qua dictum est: sanctos inuocat, sed etiam honorat, vt deo amicos, proximos, & illius diuinę excellentiæ quodam modo consortes, quos deus prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, quos deniq; Christus suos fratres sorores, et matres appellat. Digni sanè honore maximo, vt quos rex ille regū voluit honorari. Si quis (inquit Christus) mihi ministrauerit, honorificabit illum pater meus qui in cœlis est. Et quamuis ecclesia Christi sanctos honorat, non tamen adorat: non enim qui veneratur aliquid, mox illud adorat. Veneramur martyrum reliquias (inquit Hieronymus aduersus Vigilantium) non adoramus. Quanquam adorare pro inclinare & incuruare se coram aliquo honoris & reuerentiæ gratia vtitur scriptura. Ita Dauidem adorasse scribitur Nathan propheta, & Bethsabeæ, Iacob, Esau, & cæteri. Græci προσκυνεῖν dicunt. Cultus autem seu adoratio, quæ soli deo debetur, tanquam creatori, domino redemptori, ac saluatori, & remuneratori, λατρεία Græcis dicitur, de qua illud: Dominum deum tuum

Honor sanctorum.

Romano: viij.

Mar: iij.

Lucæ viij.

Ioan: xij.

Reliquiæ martyrum honorantur.

Adorare.

Gene: xxxiij.

iij Regum i.

λατρεία

Matt: iiij. i Timot:i. deum tuum adorabis & illi soli seruies. Et PAVlus: Soli deo honor et gloria. *Aug:lib:xx, cap:xxi.contra Faustum.* Ipsi sancti (ait Augustinus) sibi exhiberi nolunt, quod vni deo deberi norunt. Sic *Apocal:xix.* Ioannes angelum adorare volẽs ab eo prohibitus est. Vide, inquit, ne feceris conseruus tuus sum, deum adora. *Actor: xiiij.* Idem fecit Paulus ac Barnabas Lystrensibus, sibi sacrificare volentibus. Porro honor, qui sanctis exhibetur *δουλεία* à doctoribus ecclesiæ appellatur, de *Roman:ij.* quo Paulus: Gloria, & pax, & honor omni operanti bonum.

Dies festi sanctorum. Templa & altaria i memoria sanctorũ. In eorundem sanctorum venerationem dies festos celebrat ecclesia, in eorumq; memoriam templa, altaria erigit, & eos in sacrificio laudis nominat, eoq; modo in suis sanctis solum deum adorat, soliq; seruit latriæ cultu. Siquidem ad illum omnia refert, & propter eum amicos eius honore prosequitur. *Augustinus.* Vnde Augustinus sermone 4. de innocentibus. Quotiescunq;, inquit, fratres sanctorum martyria celebramus, toties saluatoris laudes edicimus, nõ enim suspicimus, quòd passi sunt, sed propter quem passi sunt, admiramur. ita Augustinus. Idem libro xxij. de ciuitate dei cap: 10. *NOTA.* Martyribus non sacrificamus, sed vni deo, & martyrũ et nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, *Sanctorũ nominatio in missa.* suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote inuocantur, deo quippe non ipsis sacrificat, quamuis in memoriam sacrificet eorum, quia dei sacerdos est, non illorũ, ipsum vero sacrificium corp9

Christi est

CHristi est, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. hæc ibi Augustinus. Qui quòd dicit sanctos non inuocari à sacerdote, intelligit eo modo quo deus inuocatur, vt ex eodem colligitur. *Aug:lib:xx. cap:xxi.* Idem contra Faustum Manicheum. Populus, inquit, Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli martyrum, sed ipsi deo martyrum, quamuis in memorias martyrum constituamus altaria. Quis eñ antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane. Sed quod offertur, offertur deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adiuuante possumus. *Cultus martyrum.* Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines dei, quorum cor ad talem, pro euangelica veritate passionem, paratum esse sentimus. Sed illos tanto deuotius quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsq; pugnantes. *Latria.* At illo cultu qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriæ diuinitati debita seruitus, nec colimus nec colendum docemus nisi vnum deum. *Solutio obiectionis.* Cum autem ad hunc cul-

 tum per-

Oblatio sacrificij. tum pertineat oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ &c. Et alibi. Non constituimus eisdem martyribus templa, *libr: viij, cap: xxvij, de ciuitate dei.* sacerdotia, sacra, & sacrificia, quoniã non ipsi, sed deus eorum, nobis est deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, vt innotesceret vera religio falsis religionibus fictisque cõuictis. Quis autem audiuit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, quum apud eorum memorias offerat deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis, cœlesti honore sociauit, vt ea celebritate, & deo vero de illorum victorijs gratias agamus, et nos ad imitationem taliũ coronarum et palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Quęcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra sunt, vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. hæc ille.

Basilius. Basilius Magnus in homilia quadraginta martyrũ. *NOTA.* Memoriæ martyrum quæ satietas esse potest, ei qui martyres amore prosequitur? propterea quòd honor, quem bonis conseruis exhibemus, beneuolentiæ erga communem

communem dominum significationem de se præbet.

Gregori: Nazianzenus. Non dissimilia loquitur Gregorius Nazianzenus Athanasium laudans: Virtutem laudo: virtutem autẽ laudans, deum laudo: Dei namque donum est virtus omnis, à quo proficiscitur omne datum optimum. His illud Christi suffragatur: Qui vos recipit, me recipit, *Mat: x.* qui vos spernit me spernit. *Lucæ x.* Vnde Epiphanius: Qui honorat dominum, honorat etiam sanctum. Qui vero ignominia afficit sanctum, ignominia afficit etiam *Epiph: hæres: xxvi.* ipsum dominum.

Cyprianus. Cyprianus martyr epistola 6. libro iij. Dies eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus, et celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum.

D. Chrysosto: Diuus CHrysostomus in sermone de martyribus. Nemo est qui nesciat, martyrum glorias ad hoc diuino consilio, à dei populis frequentari, nisi vt et illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla faciente Christo monstrentur, vt dum hęc ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum natalicia taliter celebrantur in terris, quò possimus etiam ipsi talibus prouocari exemplis, virtute pari, deuotione consimili, ac fide, vt Christo præstante dimicare & vincere hostẽ possimus, vt parta victoria, cum ijsdem sanctis in regnis cœlestibus triumphemus. Quis est enim, qui eorum volens merito copulari nisi prius constantiam eorum teneat, se-

 ctetur fi-

ctetur fidem,imitetur virtutem,paſsionis virtutis gloriam lineamentis,aut inueniat,aut exquirat. Qui etſi martyrio par eſſe non poſsit, tamen muneris tanti dignitate,ſe quisq; bonis actibus dignum præbeat. Hæc Chryſoſtomus.

Solutio obiectionis. *Mat:xi.* *i Corinth:iiij.* *Mat:xxvi.*

Quodſi quiſpiam dixerit Chriſtum ſolum imitandum,qui de ſeipſo dixerit: Diſcite à me quia mitis ſum etc. meminerit Pauli dicentis : Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Chriſtus in euangelio futuram memoriam mulieris prędixerat in toto mundo, quod vnguentum precioſum in corpus eius miſiſſet, nimirum eam memoriam non improbans. Quin & in veteri teſtamento, ob memoriam altaria erigebantur in locis, in quibus aliquid ſingulare diuinitus factum fuerat. Sic deus præceperat ſibi conſtrui altare à Iacob in Bethel,vbi illi apparuerat. Sic Moyſes altare ædificarat in memoriā interitus Amalechitarum. Iſti vero ſanctorum à deo creatorum & electorum, templorum viuorum dei,immo membrorū Chriſti,quorum nomina in libro vitæ ſcripta ſunt, quorum laudem ſapiens Hebræus eccleſię nunciare iubet, & ſapientiam narrare populis: eorum,inquam, nullam memoriam in eccleſia extare cupiunt, altaria in memorias eorum erecta euertunt,imagines confringunt,exurunt,quin & corpora,vel oſſa ſanctorū,aut igni mandant,aut in cloacas abijciunt, à catholicis & orthodoxis diuerſum ſentientes, qui hæc venerati ſunt,vtpote quibus corpus compaginatum fuit,inhabitantis Chriſti domici-

Gene: xxxv. *Exo: xvij.* *Eccleſi:xliiij.* *Hiero:contra. Vigilantium.* *Aug:ep. Ciij*

ſti domici-

ſti domicilium, & templum ſpiritus ſancti,quibus diuina virtute rurſus coeuntibus reintegratum corpus ſimul cum anima beatitudinis particeps erit. Quin et deus euidentibus ſignis & miraculis atteſtatus eſt ſibi ſe ferre acceptum,quod illis venerationis oſtenditur, de quo ante egimus.

Grati: vi,q:i.

Quodſi infames legibus pronunciantur qui ſepulchra violant, quomodo hi infames maximè non cenſendi? qui hæc reliquijs ſanctorum faciunt,ethnicis ea in re deteriores,apud quos ſepulchra violare nefas ducebatur.

Euſtatius hæreticus. *Epi:lxxij.* *iij Regū xix.* *Hiero: aduerſus Vigilant.*

Quemadmodum autem iſti cæteras hæreſes iamdudum ſopitas ab inferis reuocant: ita & in altarium euerſione Euſtatium in concilio Gangrenſi damnatū imitantur,qui altaribus euerſis,in menſis proprijs miniſterium ſacrorum perficiebat, vt Baſilius Magnus refert, vel alios vetuſtiores, de quibus Elias: Altaria tua deſtruxerunt,& prophetas tuos occiderunt. Eunomianos item, qui,vt refert Hieronymus, baſilicas etiam apoſtolorum & martyrum non ingrediebant̄. Iconoclaſtas quoq;, qui imagines vituperabant, in ſeptimo concilio generali damnatos. Hæc certè quæ ab iſtis fiunt,nec Lutherus ipſe probauit, cuius vnum libellum multis ſcriptis Auguſtini & cæterorum iſti præferunt,eiuſq; imaginem non ſine magna voluptate inſpiciūt,nomenq; illius calendarijs inſcribunt,cum tamen ſanctorum memoriam extingui cupiunt. Si culpant imaginum vſum in templis, culpent deum.

Nomē Lutheri calendarijs rubro inſcriptum.

 Qui cum

Exēplū imaginum in literis sacris. Qui cum Exodi 20 præcepisset: non facies tibi sculptile, cap: vero 25 mandauit Moysi, vt duos Cherubim aureos super arcam, & auleas Cherubim picturatas curaret parandas. Vituperent Solomonem qui in ostio templi sculpserat picturam Cherubim, & palmarum species, posueratq; Cherubim in medio templi interioris, & in parietibus fecerat Cherubim & palmas et picturas varias. iij Regum vi. Si scandalo imagines fieri plebi imperitæ dicunt, damnent Christi passionem, quæ vt Paulus ait, Iudæis scandalum, Græcis stultitia. i Cor: i. Abijciant sacram scripturam, ex qua multi scandalizantur, de quo in oratione nostra de corruptisimis moribus huius seculi scripsimus, vbi etiam de suffitu & cæreis quæ ante imagines sanctorum suffiguntur diximus, ista scīt fieri symbolicōs, luminaria enim fidei lumen, odoramenta boni odoris imitationem significant, iuxta illud Pauli: Christi bonus odor sumus. Cerei et suffitus. Genadius patriarcha Constantinopolit. ij Cor: ij.

Aduersarij quod inferunt sanctos non esse in cœlo, propterea, q̄ vniuersale iudicium futurum sit, id non rectē colligunt, vt ex antedictis liquet. Futurum est illud, vt Iudæi CHRISTum, quem transfixerunt, videant, vt scriptura dicit. Ioan: vltimo. Quin & omnes gentes et maligni Christiani gloriam eius in maiestate sedentis, maioris doloris causa electorum gloriam cernentes. &c.

DE ORATIONIBVS PRO DEFVNCTIS.



QVI IN MISSA COMMEmorationem defunctorum, qui nos in signo fidei præcesserunt, irrident, ipsi ridendi sunt. Hanc enim apostoli ecclesiæ tradiderunt, vt Chrysostomus homilia lxix ad populum Antiochenum docet. Chrysostomus. Non temerē, inquit, ab apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extēsis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo deum non exorabimus pro his deprecantes? sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt. Et homilia 84 super Ioannem, exhortans populum ad hanc erga defunctos pietatem, hæc dicit: Eam morientium curam habeamus, quæ & nobis & illis conferat ad gloriam dei, largas pro ijs eleemosynas faciamus, & mittamus eis pulcherrima viatica. Eleemosynæ.

Tertullianus apostolorum temporibus vicinus, orationis & oblationis pro mortuis meminit in exhortatione ad castitatem. Tertullianus. Repete, inquit, apud deum pro cuius spiritu postulas, pro qua (vxore scilicet) oblationes annuas reddis. &c. Et in libro de monogamia de vxore loquens hæc dicit: Pro anima viri oret, vt

refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitioni eius. De corona militis idem: oblationes, ait, pro defunctis annuo die facimus. Vnde apud nos anniuersariorum sacrorum cum eleemosynis origo.

Anniuersaria sacra.

Cyprianus.

Cyprianus martyr, non multum distans ab origine Christianæ ecclesiæ lib: i. epistola 9. decreti cuiusdam longè ante sua tempora ab Africæ episcopis sanciti meminit, puta, ne quis frater excedens de seculo, ad tutelam aut curam bonorum suorum clericum nominaret. Si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo, nec sacrificium pro eius dormitiōe celebraretur, quod decretum ibidem Cyprianus approbat.

Athanasius.

Athanasius ille magnus quæstione 34. ad Antiochum principem, docet defunctorum animas sentire beneficium viuētium hisce verbis. Si in nullo, inquit, beneficia nostra participarent, non fieret in cura pro mortuis & exequijs eorundem commemoratio. At sicut, inquit, vitis florescit in agro, & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit etiam ipsum: ita intelligimus defunctorum animas participare aliqua beneficia ab incruenta immolatione, & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum gerit potestatem dominus noster. hæc ille.

Simile.

Ambrosius.

Ambrosius ad Faustinum consolatoria epistola 8. lib: ij. super morte sororis. Ego, ait, non tam deplorandam quam orationibus prosequendam reor, nec

moestificandam

mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblatiōibus animam eius domino commendandam arbitror. Idē in oratione funebri Theodosii imperatoris sic deum precatur: Tu domine da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis, illò conuertatur anima eius vnde descendit. Et paulo post. Dilexi et ideo prosequor eum, vsq; ad regionem viuorum, nec deseram donec fletu precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem domini sanctum, vbi perennis vita.

Ambr: lib: x epistolarum.

Dionysius cap: vij ecclesiasticæ hierarchiæ à prædictis non dissentit, vbi etiam cæremonias quasdam describit, quas suo tempore in exequijs defunctorum obseruabat ecclesia. Epiphanius item Grecus lib: iij, tomo 1. contra Aerium hæreticum docentem, mortuis viuorum preces non prodesse.

Dionysius.

Epiphanius.

Diuus Augustinus quæstione 2. octo questionum Dulcitij. Neq; negandum est, inquit, defunctorum animas pietate suorum viuentium reuelari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynę in ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt qui cum viuerent, vt hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem: est vero talis in bono, vt hæc non requirat: est & rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum cōparatur, quò post hanc vitam possit

Augustinus.

Sacrificiū mediatoris.

Vu releuari

NOTA. releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret quod hic neglexerit, cum obierit apud deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis cõmendãdis frequẽtat ecclia, illi apricæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. Quia etiam hoc meritum sibi quisq; cum in corpore viueret comparauit, vt possent ei ista prodesse, non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus, nisi propter differentiam vitæ, quam quisq; gessit in corpore, cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur: pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis, propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorum consolationes fiunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt vt sit plena remissio, aut certe vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Hęc Augustinus. Eadem ad verbum loquitur cap: 110 enchiridij ad Laurentium. Similia his habet de cura pro mortuis gerenda. Et sermone 32. de verbis apostoli.

Solutio obiectionis.

ij Corin: v.

NOTA.

Iam cum talem formam orandi dominus præscripserit, vt nemo pro sua tantum, sed velut magnę communionis ciuis pro omnium vtilitate rogare debeat, vt ex dominica oratione apparet, in qua dicitur: da nobis, dimitte nobis. Item cum per apostolum præcipit, nos pro inuicem orare, vt saluemur, magnæ in

consortes

consortes suos crudelitatis fuerit, si quis à commertio orationum nrarum in CHristo defunctos excluserit, qui etsi corporibus soluti sunt, spiritualibus tamen nexibus nobiscum cohærent, & vno spiritu, veluti eiusdem corporis membra nobiscum adglutinantur, & vinculo charitatis connexi adhærent nobis, nec mors eorum corporalis ex mystici corporis CHristi compage prescindere, aut eos separare potest, hoc enim insinuat sanctorum cõmunio, quam credimus. De qua inter cætera est illud PAuli ad Coloss: 2. loquens de pseudoapostolis: Frustra, inquit, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiões subministratum, & constructũ, crescit in augmentum dei. Sicut enim in corpore humano sanitas alicuius membri cæteris confert, membra namq; in corpore humano per diuersas commissuras & iuncturas neruos, tendones musculos sibi inuicem connexa sunt, nec ab sese inuicem separata per vitalem spiritum, à capite & cerebro defluentem, sensum et energiam habent, nisi alicuius ad caput diuisa sit cõtinuitas, secto videlicet neruo per quem continuatur capiti, vel nisi impediatur crasso viscosoq; humore, aut alia quapiam ratione in neruis vitalis spiritus, à capite influxus. Ita accidit in corpore CHristi mystico vt actiones & orationes piæ aliorum cæteris, nisi aliquis ponat obstaculum, conferant, vigore passionis Christi Iesu capitis nostri.

COMMunio sanctorum.

Simile.

Proinde ecclesia orat pro defunctis, ijs tantum qui

 nos præ-

Mortui qui in signo fidei nos præcesserunt, et dormiunt in somno pacis.

nos præcesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Porro signa fidei sunt sacramenta, & opera Christiano homine digna. Obdormiunt autem in somno pacis qui in pace conscientiæ erga deum, cum certa fiducia remissionis peccatorum letalium è viuis excesserunt, certissimè credētes, quòd sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viuentium, verumetiam ad absolutionem mortuorum valeat, quòdq; pietas viuentium his defunctis prosit, qui cum viuerent, hęc sibi vt postea possint prodesse, meruerunt, vt proximè ex Augustino ostendimus.

Augu: lib: de cura pro mortuis.

Quoniam autem, ait Augustinus, non discernimus qui tales sunt, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hęc beneficia possunt; aut debeant peruenire. Melius enim supererūt ista eis quibus nec obsunt, quàm eis deerūt, quibus prosunt. In Machabeorum libris (loquitur idem) legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sanctamq; & salubrem cogitatiōem esse pro defunctis exorare, vt à peccatis soluātur. Sed etsi nunq; in scripturis, ait, veteribus omnino legeretur, non parua hæc consuetudine claret autoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ domino deo ad altare eius funduntur, locum suum habet etiam cōmendatio mortuorum. Ita

libri Machabeorum.

Augustinus. Qui cap: 36. li: xviij. de ciuitate dei, affirmat libros Macha: nō Iudęos, sed ecclīam Chrī pro canonicis habere, de qua re proximè diximus.

De purga-

DE PVRGATORIO.



CVM IGITVR SCRIPTVRAE ratione, & catholicę ecclesię autoritate, orationes secundum modum præscriptum pro defunctis improbandæ non sunt, ad hæc ante, vbi de satisfactione egimus, ostensum est, scripturæ sacrę exemplis, deum culpas peccatorum plerumq; ita remittere, vt pœnas ad vtilitatem eorum exigat, qui plectuntur, & eas vtile est quoquo modo deprecari. Quod & Psalmographus innuit cum diceret: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, et in iudicijs meis nō ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea nō custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea. Et apostolus Corinthios coarguens, & docens quæ ex indignè sumpto corpore domini proueniant. Ideo (inquit) inter vos multi infirmi & imbecilles, et dormiunt multi. Quodsi nosipsos dijudicaremus, nō vtiq; iudicaremur: dum autem iudicamur à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Vbi vides apertè pœnas temporales à deo infligi, & animaduersionem huiusmodi deprecabilem esse.

Ps: lxxxviij.

i Corint: xi.

Cum ergo, inquam, ita sit, non ineptè neq; impiè catholici & orthodoxi scriptores sentiunt, animas defunctorum, quas deus æternis cruciatibus vlcisci non

 decreuerit,

decreuerit, poſt hanc vitam temporaneis corrigi diſciplinis, ignem purgatorium vocant, qui qualis & vbi locorum ſit non anxie quærendũ. Neq; etiam propterea, ſi id neſciatur negandus eſt, cum & de inferorum igne non paucæ ſint quæſtiones, alioqui quorſum eſſent orationes pro defunctis, ſi eis non prodeſſent, prodeſſe autem, ante oſtenſum eſt.

Ignis Purgatorius.

Dicunt aduerſarij preces pro mortuis publicas cõmemorationes mortuorum in fide Chriſti, & gratiarum actiones pro beneficijs quæ deus in eos contulerit. At diuerſum docent ſcriptores grauiſsimi quos hic citauimus, & eccleſia orat vt à peccatis ſoluantur.

OPInio falſa aduerſariorũ.

Sed autorum de purgatorio igne aliqua teſtimonia proferemus. Origenes ante mille trecentos annos homilia 15. in Exodum, & homilia 3. in pſalmũ xxxvi. conformiter ſententiæ catholicæ eccleſiæ exponit illud apoſtoli 1 Corinthi: 3. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ſic tamen quaſi per ignem, de igne qui poſt hanc vitam etiam purgabit leuia peccata. Ab Origene non diſſentit diuus AMBroſius in PAVlum ſcribens. Et THEodoritus Græcus in hunc locum PAuli, vt refert Gagneius, ait: τοῦτο πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ ὡς χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ. id eſt, hunc ignem credimus eſſe purgatorium, in quo animæ tanquam aurum in conflatorio purgantur.

Teſtimõia authorum de igne Purgatorio.
ORIGENes.
AMBroſius.
Theodoritus

Oecumenius quoq; hæc verba de igne purgatorio intelligit, cui9 verba Latinè, breuitatis cauſa, reddam. Ipſe autem

Oecumenius.

Ipſe autem ſaluabitur, inquit, quis? qui aurum argentum, lapides pretioſos ſuperædificauerit, cum enim dixiſſet de eo quod mercedem accipiet, nunc qualẽ mercedem aperit, ſalutem ſcilicet: ſaluabitur autem non ſine dolore, vt par eſt ſaluari, per ignem tranſeuntem et adhærentes ſibi leues maculas, purgantem.

Et Auguſtinus ſermone 147 de tempore de venialibus peccatis loquens hęc ait: Quicquid enim ab iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dixit apoſtolus, quia in igne reuelabitur. Et paulo poſt. Ita peccata ipſa in hoc ſeculo purgantur, vt in futuro ille ignis purgatorius aut nõ inueniat, aut certe parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione deo gratias agamus, nec bonis operibus peccata redimimus. Ipſi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiu ſupra dicta peccata minuta tanq̃ ligna, fœnum, ſtipula conſumantur, hæc & alia ibidem Auguſtinus. Et in Enchiridio ad Laurentiũ cap: 68. 69. 70. ea de re ſcribit, vbi docet nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusq; ſaluari, non tamen tales, de quibus dictum eſt, quòd regnum dei non poſsidebunt, niſi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Conuenienter autem dixi (ait) vt ſteriles in eleemoſynis non ſint, quibus tãtum tribuit ſcriptura diuina, vt earum tantummodo fructum ſe imputaturum prænunciet dominus dextris, & carũ tantummodo

Auguſtinus

Matt. xxi. tummodo ſterlitatẽ ſiniſtris, quando illis dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum dei. *NOTA.* Illis autem: Ite maledicti in ignem æternum. Sanè, dicit, cauendum, non quiſq; exiſtimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum dei non poſsidebunt, quotidie perpetranda & eleemoſynis quotidie redimenda, in melius quippe eſt vita commutanda, & per eleemoſynas de peccatis eſt propiciandus deus, non ad hoc emendus quodam modo, vt ea ſemper impunè liceat committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur. Ita Auguſtinus. Idem lib: xxi. cap: 13, de ciuitate dei. Temporarias pœnas alij in hac vita tantum, alij poſt mortem, alij & nunc & tunc, verumtamen ante iudicium illud ſeueriſsimum iuſtiſsimumq; patiuntur. Non omnes autem venient in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud iudicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales. Nam quibuſdam quod in iſto non remittitur, remitti in futuro ſeculo, id eſt, ne futuri ſeculi æterno ſupplicio puniatur, iam ſupra diximus. Et cap: 23. eiuſdem libri pro defunctis quibuſdam, vel ipſius eccleſię, vel quorundam piorum exauditur oratio, ſed pro his quorum in CHriſto regeneratorum, nec vſq; adeò vita malè in corpore geſta eſt, vt tali miſericordia iudicentur digni non eſſe, nec vſq; adeò benè vt talem miſericordiam reperiãtur neceſſariam non habere. Sicut etiam facta reſurrectione mortuorum, nõ

deerunt

deerunt, quibus poſt pœnas, quas patiuntur ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, vt in ignem non mittantur æternum, neq; enim de quibuſdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neq; in hoc ſeculo, nec in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto tamen remitteretur in futuro. Hæc Auguſtinus. Qui, vt audis, ex verbis Chriſti apud Matthæum colligit aliqua peccata in futuro ſeculo dimitti. Verba autem *Mat. xij.* Chriſti hęc ſunt. Qui dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro, ſi ſcilicet non egerit hic pœnitentiam congruentem. Neq; Auguſtinus de hoc dubitauit, quanq; qualis ſit illa purgatio vel ille ignis ſub dubio reliquit. Si itaq; in futuro ſeculo quędam peccata dimittuntur, conſtat alicubi animas quorũdam defunctorum purgari. In inferno enim nulla redemptio.

At iſti à catholicis diſſentientes id negant proferẽtes ex MArco euangeliſta teſtimonium, quod aiunt *Solutio obiectionis* horum verborum interpretationem eſſe, ſic enim habetur apud MArcum. Qui blaſphemauerit in ſpiritũ ſanctum, non habebit remiſsionem in æternum. Ridiculum, quaſi & hęc verba, illorum apud Matthęum nõ poſsint eſſe interpretatio, veluti Auguſtinꝰ & quidam alij ſentiunt. Vel quaſi iam hoc modo argumentum euaſerint, & ſuum propoſitum confirmarint. An non cernunt illa verba apud Matthæum & Marcum idem ſignificare. Siue enim dicas: neq; in hoc, neq; in futuro ſeculo: ſiue ſic: non habebit remiſsionem in

 æternum,

Particula. in æternum. æternum, eadem sententia est, cum hoc illud includat, licet particula in æternum aliquando in literis sacris dicatur non de tempore, cuius nullus sit finis, sed vel de longa duratione, vel indefinita, vel de eo, quod duraturum est continenter, vt illud Exodi 2. Seruiet ei in æternum, nempe quandiu viuet, vel ad annos iubilei, in qua tamen significatione hic non ponitur.

Ciprianus. Quin & Cyprianus martyr epistola 2. lib: iiij. loquens de differentia lapsorum, & recipiendi eos diuersitate, purgatorium expresit. Aliud, inquit, est ad veniã stare, aliud ad gloriam peruenire, aliud missum *Matth: v.* in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrãtem: aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse, aliud deniq; pendere in die iudicij ad sententiam domini, aliud statim à domino coronari. hæc ille. ponens tres differentias decedentium lapsorum quorundam, qui per passionem martyrij purgati prorsus ad deum veniunt, aliorum qui post mortem purgandi detinentur vsq; ad solutionẽ nouissimi quadrantis, aliorum vero, de quibus certa ratio haberi nõ *Hieronymus.* potest status sui. Et HIEronymus purgatorij ignis meminit in caput Esaiæ vltimum, referens errorem illorum, qui volunt supplicia aliquando finiri, inter cætera inquit: sicut diaboli & omniũ negatorum atq; impiorum, qui dixerunt in corde suo non est deus, credimus ęterna tormenta: sic peccatorum atq; impiorũ, tamen

tamen Christianorum, quorum opera in igne probãda sunt atq; purganda, moderatam arbitramur & iustã clementiæ sententiam iudicis. ita Hieronymus. Qui dicens aliquorum purganda esse opera, purgatorium innuit. Cum autem dies domini, cuius diuus Paulus meminit, significat in scriptura diuina diem mortis, vel diem iudicij, non possunt verba Pauli de tribulationibus huius mundi intelligi, vt quidam volunt.

Petunt isti sibi monstrari locum aliquem ex scripturis canonicis de purgatorio, quasi ipsi posint mõstrare vbi manifestè doceatur non esse, cum tamen catholici proferant locos scripturæ quosdam, vt ostendimus, ex quibus colligunt purgatorium esse. Neq; tantum illa credenda sunt Christianis, quę in scripturis canonicis habentur, vt alibi monstrauimus. Obijciunt in contrariam partem aduersarij quædam, vt illud Athanasii. Qui bona egerunt ibunt in vitam ęternam, qui verò mala in ignem æternum, cui non dissimilia loquitur Christus apud Ioannem. Sed hæc de tempore post vniuersale iudicium intelliguntur, quo nullum erit purgatorium. Item ex euangelio: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui vero nõ crediderit, condemnabitur. In quibus verbis aiunt isti, duos ordines tantum poni hominum, & nullum medium, atq; ita non esse purgatorium post hanc vitam. At ostensum est in primo ordine credentium duos esse gradus, alius purgatorum omnino, alius vero adhuc culpis aut reatibus subiacentium, quę tamen

Solutio obiectionum. I

II.

Ioan: 7

III

 non exclu

non excludunt à regno dei. Et ex autoribus loca quędam. Ex Augustino vnum contra Pelagianos hypognosticon, hoc est, subnotationum libro quinto. Primum locum, inquit Augustinus, fides catholicorum diuina autoritate, regnum credit esse cœlorum, vnde, vt dixi, non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, vbi omnis apostata, vel à fide Christi alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, immo nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Finge, inquit, Pelagiane locum ex officina dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia vitam requiei & glorię, paruuli posidere posint. Hæc Augustinus. quem ad institutum suum isti non rectè detorquent. Disputat namq; ibi contra Pelagianos, asserentes non baptizatorũ animas, æterna requie cũ deo perfrui. Cuius sententiã Augustin9 impetit eo, quòd in scripturis diuinis duntaxat duo inueniantur perpetua animarum receptacula, cœlum & gehenna. Tertium autem perpetuæ requiei & beatificæ non inuenitur pro animabus non baptizatorum. nihil ergo Augustinus hic de purgatorio loquitur. Non enim ipsum in perpetuum animas detinet, sed ad tempus purgat, vt purificatæ ad felicitatem euolent æternam, in quam nil coinquinatum intrabit.

IIII

Alterum ex cap: 68, enchiridij ad Laurentium. Ignis, inquit, de quo locutus est apostolus, eo loco talis esse debet intelligi, vt ambo per eum transeant, id est, et qui ædificat super hoc fundamẽto, aurum, argentũ, lapides

lapides preciosos, hoc est, opera sancta, & qui superædificat lignum, fœnum, stipulam. Cum autem opera sancta, quæ auro, argento lapidibus preciosis comparantur nullus ignis, vt ante dictum est, post hanc vitam sit purgaturus: Consequens videtur nullum ex dictis apostoli couinci posse ignem purgatorium, qui peccata minuta saluandorum post mortem sit expiaturus. Fatendum id quidem est, vt Paulus ait, vtriusq; ædificantis opus, quale sit hunc ignem probaturum. Non quidem vtriusq; opus vrendo, sed opus superædificantium fœnum, ligna, aut stipulam vrendo. Atq; hoc ipso, opus ipsum probando, quod habeat aliquid purgandum, opus vero superædificantiũ lapides preciosos argentum illesum permittẽdo, quo ostenditur nihil habere purgandum.

Ad hæc citant Hieronymum in illud Ecclesiastis. Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. Si tu quasi lignum, quamuis longæuus sis non eris in perpetuum, sed subito vt ventorum, ita mortis tempestate subuersus, vbicunq; cecideris, ibi integer manebis, siue te rigidum et trucem, siue clementem & misericordem, vltimum inuenerit tempus. Hæc Hieronymus. Quibus verbis ecclesiastes & Hieronymus non aliud docet, quàm quòd mortuus in quo statu decesserit, ibi manebit, in charitate videlicet, vel extra charitatem, vt si sine charitate obierit quis, quod est rigidum esse & trucem, non posit fieri misericors & clemens, in charitate,

VI Ecclesiaste. xi.

 vel è con-

vel è contrario. Nam post mortem charitatem perdere, vel de nouo sibi acquirere valet nemo, cum hoc tamen immutabili statu stat, vt qui hoc meruerunt, in charitate existẽtes possunt hinc decedentes, viuorum suffragijs in poenis debitis releuari, vt ante ostensum est. Non enim illa poenarum releuatio statum mutat, sed in eo sunt statu, in quo possunt à debitis poenis releuari. Eo modo intelligendum illud Hieronymi, quod citatur 13, quæsti: 2. In præsenti seculo, scimus siue orationibus siue consilijs inuicem posse iuuari. Cũ autem ante tribunal CHristi peruenerimus, nec Iob, nec Daniel, rogare posse pro quoquam, sed vnumquemq; portare onus suum. Et Ambrosii de bono mortis. Qui hic non receperit remisionem peccatorum, illic non erit, (scilicet in communione sanctorum) Non erit autem, quia ad vitam ęternam non poterit peruenire. Et illud CYPRiani martyris tractatu contra Demetrianum. Quando hinc excessum fuerit, nullus iam locus poenitentiæ est, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic saluti æternæ, cultu dei, & fructu fidei prouidetur. Hæc inquam & similia apud autores non intelliguntur de ijs qui in hac vita se gesserunt, vt ęterna damnatione non puniantur, sed poena temporali, vtq; illis post mortem viuorum suffragia prodessent, sicuti antè docuimus, sed in poenitentibus æterno supplicio dignis. Quorsum enim essent oratiões pro defunctis, de quibus antè egimus. Quas quidem orationes, & purgatorium

Hier: i epist. ad Gala: i illũ locũ Vnusquisq; onus suum portabit.

Ambrosius.

Cyprianus.

Expositio p̃dictorum.

purgatorium approbauit concilium FLorentinum, cui interfuère Græci, Armeni, & Iacobini.

Hæc igitur orthodoxi & catholica ecclesia, de animis mortuorum, & purgatorio sentiunt, quam sequẽdam nemo negabit, nisi fortè ita excoecatus sit, & in reprobum sensum datus, vt cum A'erianis, Vigilantijs, et alijs id genus, CHRistum in deserto vel in angulis domorum & penetralibus monstrantibus, et illic Christum contra Christum quærere pergentibus sentire malit.

DE CAEREMONIIS QVIBVSDAM FVNEBRALIBVS.

PRAETER ORATIONES, Eleemosynas, aliasq; pias actiones, quæ pro defunctis fiunt. Illa (vt de exequijs pauca hic proloquar) quę ad pompam exequiarum pertinent, magis viuorum solatia sunt, ait Augustinus, quàm subsidia mortuorũ. Quod crux funeri præfertur, argumento est mortuum in cruce domini nostri Iesu Christi, iuxta dictum Pauli gloriatum in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus: sub hocq; signo illum militasse contra mundum, diabolum, & carnem. Cerei accensi, sunt symbolum fidei viuæ & ardentis, ex auditu verbi dei proueniẽtis, de quo illud in Psalterio: Lucerna pedib9 meis verbum tuum dñe, et lumen

Aug: lib: i, capite xij, de ciuitate dei.

CRVX. Gala: vi.

Cerei. Hiero: contra Vigilantium Psal: cxviij.

Linteamina. et lumen semitis meis. Linteamina, quibus funus inuoluitur, & fasciæ sepulchrales, quibus manus & pedes vinciuntur, & sudarium quod super caput ponitur, honestatis gratia adhibentur, quorum exempla apud Ioannem cap: xi, & xx inuenire licet.

Quod vero in locis (quę cœmiteria Græcè dicuntur à dormiendo) per verbum, & orationem, vt Paulus ait, sanctificatis, sepeliuntur corpora mortuorum, *1 Tim:iiij.* et aqua benedicta (de qua inferius) asperguntur, thure & incenso suffumigentur, & oratiōibus expientur, id fit ne Sathan in corpora mortuorum vim aliquam habeat, hominesq; per ea decipiat, quod fieri consueuisse testātur historię. Vnde necromantia, id est, mortuorum vaticinium vel diuinatio. Quin & in libris *1 Reg:xxviij.* Regum legimus Pythonissam euocasse animā Samuelis prophetæ, vbi plerięq; affirmant, non fuisse animam Samuelis prophetæ, sed malignum spiritum, qui illius sumpserit imaginem. Hebręorum tamen magistri dicunt, quod etiam Augustinus ad Simplicianum fieri potuisse non negat, quia fuerit verus spiritus Samuelis, qui ante completum annum à discessu ex corpore facilè euocari potuit, prout docent Goëtici, hoc est, qui per immundos spiritus diuinant. Scribunt ea de re Rabini Iudæorum. Hinc & illa disceptatio diaboli cum Michaële de corpore Moysis, cuius meminit in epistola sua Iudas apostolus. Licet & suffumigium piarum actionum, & famæ bonę odorem designet, iuxta PAVlum: Christi bonus odor fumus.

DIsceptatio diaboli cum Michaële & corpore Moysis.

ij Corin:ij.

Orationem

Orationem item sanctorum vt est in apocalypsi. Præterea ad templa in cœmiterijs sepeliuntur funera fidelium, vt signum sit illos fuisse membra catholicę ecclesiæ, quæ per templum significatur.

Si igitur hæc eo animo fiant, cur ridentur ab istis?

DE MISSIS PRIVATIS
VT VOCANT.



MISSAE SACRIFICIA PRIVAta, vt dicitur, olim in ecclesia veteri fuisse, constat ex vetustissimis & orthodoxis scriptoribus, vt inter cæteros ex Iustino martyre, qui quæstione 21 ad orthodoxos soluit eam quæstionem, an monachi casta mente impulsi, cōiugales voluptates auersati, propter nocturnas imaginationes, quæ illis nolētibus accidunt, à communione mysteriorum diuinorum abstinere debeant. Vnde conijcere licet missas olim priuatas, à monachis more recentiorum celebratas. Et ex Augustino, qui lib: xxij, cap: 8. de ciuitate dei scribit vnum presbyterum ex suis obtulisse sacrificiū corporis Christi, in ædibus cuiusdam viri tribunicij Hesperij, in quibus vim noxiam spirituum malignorum habitantes, sæpius erant perpessi, illamq; vexationem, sacerdote quātum potuit orante, deoq; miserante cessasse. de hoc superius.

Iustinus martyr.

Augustinus.

Chrysostomus Chrysostomus homilia iij, super cap: 1. ad Ephesi: Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare, nemo est qui simul participet. Ex quo liquet missam celebrari solitam, etiamsi sacramentaliter communicantes defuissent, solo sacerdote communicante, cuius communicationis Chrysostomus in missa meminit, hic mos adhuc in Græca ecclesia durat, vt vidimus ipsi. Quin & apud Indos & Armenos, missas priuatas celebrari narrant scriptores.

Solutio obiectionis. Aiunt quidam missam celebrari non debere, nisi multi adsint communicantes conuiuæ, nempe ad exemplum cœnæ dominicæ, in qua Christus, pluribus discipulis mensæ accumbentibus, corpus suum & sanguinem distribuit, vnde et communionis vocabulum promanasse aiunt. Hi si plane CHRistum exprimere volunt, manducandum erit illis corpus domini post cœnā immolato & comesto agno paschali. Sed Paulus id in Corinthijs vituperarat, & alia quædam circa hoc sacramentum, se apud illos dispositurum promiserat, quæ apud orthodoxos in perceptione eucharistiæ esse creduntur. Adhæc eligendus erit illis vnus, qui cruci suffigatur, vt hac ratione Christi factum ad amussim referant. Quod quidem non nisi mera insania esset. *COMMunio cur dicatur.* Neq; ob id perceptio sacramenti corporis domini communio appellatur, quod in communi a multis sumendū sit, (quamuis et id si fiat minime vituperandum est) verum quod debeamus per concordiam communem, vnus panis esse in Christo, tum quod *Damasce: lib: iiij, cap: xiij.* per eucharistiam CHristo vnimur, vt alibi a nobis monstratum est. Itaq; etiamsi vnus prædicto modo eucharistiam suscipiat, communio tamen erit. Qui igitur ab ecclesia catholica dissident, vnitatem, et concordiam rumpunt, odio proximi flagrant, etiamsi plurimi simul manducent, tamen quamuis communionē iactent, eam neutiquam exprimunt. *NOTAntur quidam.* Qui accipit mysterium vnitatis, ait Augustinus, & non seruat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Multum itaq; hi, a cœnæ dominicæ representatione absunt. Et illi multo magis, qui veritatem corporis domini negant. Illi enim cœnæ Christus reuera interfuit. In eorum cœnis non item, iuxta eorum sententiam.

Expositio loci PAVLI. i Cor: xi. Quod vero ait PAulus: Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate, intelligendum est, de conuiuijs communibus, quę omnibus ex ęquo fiebant, pauperibus & diuitibus, quę a communi inuicem charitate ἀγάπας id est, charitates vocabant. In quibus postea apud Corinthios diuites non vocatis, aut non expectatis pauperibus contra ecclesię consuetudinem, et dominicæ cœnæ imitationem rejciebant a suis cōuiuijs pauperes. Proinde Paulus ait: Vnusquisq; cœnam suam præsumit ad manducandum, alius quidem esurit, alius ebrius est. In eo igit eos Paulus arguit, et ad hoc dicit: Cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate.

Neq; rectum videtur doctis & pijs, vt aliorum te=

 pente fer=

pente feruore, si quis est in charitate dei ardentior, & viuifici illius panis quotidianam refectionem desyderet, etiam hic fraudari debeat sancto suo desyderio, et coelestis panis alimonia. Quin & ægrotantibus hac ratione, sine communionis socio communicare non liceret, quamuis isti contra consuetudinem ecclesiæ, impudenter affirmant id fieri non debere. Adhæc non conueniens est, vt propter negligentiam hominum, memoria incruenti sacrificij, de quo ante egimus, non celebretur, præsertim cum sacerdos id nomine ecclesiæ faciat, vt ante docuimus, & iuxta præceptum Christi manducat, circumstantes verò, si sacramentaliter non participant, spiritualiter tamen, vt id faciant, dent omnem operam. Soter papa ante annos mille quadringentos cauerat, vt nullus presbyterorũ missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus ad minimum præsentibus, vbi non est communicantiũ mẽtio, sed præsentium tãtum. Paulus absens etiam à Corinthijs dicit: Congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute domini IESu, ita & minister ecclesiæ spiritu congregatur cum tota ecclesia, et totam habet præsentẽ in officio missę, vt ex arcanis precibus patet. Quod si minister vnus solus tenet personam ecclesiæ, cur non et ipse, qui ex persona Christi, & vices eius gerens (vt ante ostensum est) consecrat, sumere poterit in persona ecclesiæ? vt mediator ille sacerdos, vtriusque agat causam, atque omnem ecclesiam adiuuet, non solum orationibus, & oblationibus, sed etiam sumptione ipsa

SOTER
de consec: distin: i.

i Cor: v.

de hoc supius

se perficiens,

se perficiens, qui membrum ecclesiæ est. Quod verò exemplum sacramentorum, vni, qui illa suscipit, conferentium, ad eam rem infringendam proferunt, paulo superius id est à nobis confutatum.

Obiectio ante soluta ubi de missa egimus.

Inueniuntur quidem canones, & decreta pontificũ et synodorum, vt sacris astantes communicent, quod quidem optimum factu esset, verum hoc loco nos ostendimus, etiamsi id non fiat, missam celebrari posse. Fabianus pontifex Romanus martyr, ante mille trecentos annos, cernens Christianorum charitatem refrigescere, iuxta prædictionem Christi, communionis tempus fidelium ad tres duntaxat solennes festiuitates coarctauit, resurrectionis domini, natalis, & pentecostes. In concilio deinde Laterano vniuersali ante trecentos annos cautum, vt singuli, si non sæpius, saltem in pascha suscipiant reuerenter sacramentum eucharistiæ. Idque propter eos, qui suæ salutis negligentes sunt, & ad dominum conuerti tardant, etsi ecclesia id sæpius facere minime prohibet, quod vtinam fiat.

Fabianus.

Conciliũ Lateranum.

In concilio Agathensi, vt Gratianus refert, de consecratione distin: 1 & 2. hoc statutum erat. Missas die dominico secularibus totas audire, speciali ordine pręcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis, egredi populus non præsumat. Seculares qui in natali domini, pascha, pentecostes non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeãtur: vbi animaduertendum, quòd præcipiuntur audire missam omni die dominico, nullus verò iubetur communicare,

municare,

municare, nisi illis tribus diebus, & hoc quidem ante annos mille in ecclesia statuebatur, non ergo putabat necessarium, vt alicui in missa dispensaret sacramentũ. Non diffiteor multos abusus in eam rem sacratissimã irrepsisse, quos corrigi maximè cuperem, ab ijs quorũ interest. Non tamen propterea missæ sacrificiũ prorsus damnandum, atq; vt diuus Hieronymus contra Vigilantium scribens ait: Quod semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequenter fiat, aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quòd sæpe, sed ex eo quòd fit, culpabile est. Vnde illud apud PAVLum: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Illud tamen in memoria habendum, quod idem scribit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Nam qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. De missarum quotidianarum numero, loquitur Triburiensis synodus his verbis: Statuimus & iudicamus, nulli sacerdotũ esse licitum, vna die vno altari, plures quam tres supponere missas. Leo papa, sicuti ipse fatebatur, vna die septies vel octies, missarum solennia sæpius celebrasse legitur. Bonifacius verò archiepiscopus & martyr, semel tantum per diem missas fecisse dicitur. Sed ambo quàm scientia, tam gradu præcipui. Ita vnusquisq; in suo sensu abundet, dum fides concordet. Ideo sacerdotibus, missarum numerum non imponimus, sed quantas celebrari

i Cor: xi.

celebrari in vno altari conueniat præcipimus. Hæc synodus Triburiensis, ante annos septingentos ferè, vt beatus Rhenanus refert in Tertullianum.

DE ORDINE SACRO.



ORDINEM SACRVM SEV sacerdotium veterem ecclesiam, sacramentum censuisse, & nominasse, præter cæteros colligit ex Augustino cap: 13, lib: ij. contra epistolam Parmeniani, vbi comparans sacrum ordinem institutum, cum sancto baptismate, inquit: Vtrunq; sacramentum est, et quadam consecratione vtrunq; homini datur, istud cum baptizatur, illud cum ordinatur.

Graduum ordinis est mentio, apud Ignatium martyrem, apostolorum Synchronum, in epistola ad Antiochenses. Saluto, inquit, sanctum presbyterum vestrum, saluto sanctos diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas. Ita Ignatius. Laboratores autem dicebantur hi, vt Epiphanius Græcus scribit, qui corpora eorum, qui obdormierunt in domino, obuoluebant, & cooperiebãt. Epiph: lib: iij. tom: ij.

Eorum ordinum idem Epiphanius meminit lib: iij tomo 2. contra hæreses fol: 527. Diuus Ambrosius quoq; in epistolam ad Ephesios, vbi commemoratis his ordinibus ait: In episcopo omnes ordines esse. Et canones apo- Ephe: iiij.

canones apostolorum. Episcopi est mētio apud Paulum i ad Timo: 3. Tit: i, vbi vitam episcopo dignam explicat. Presbyterorum, i ad Timoth: 5. & eorum ordinatio per singulas ciuitates legitur Acto: xiiij, & ad Tit: 1. Diaconorum i Tim: 3.

Diuus Greg: ad episc: Gal. *Bern: ad Eugenium.* *Arist: ca: viij lib: v Poli.*

Prædictos ordines, & gradus docti & pij aiunt distinctos, vt dum reuerentiam minores prioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordia ex diuersitate fieret. Neq; vt vilem hanc formam reijciendam, quia in terra est, exemplar enim habet in cœlo. Commune, ait quidam, est in omni repub: neq; augere nimium quenquam supra modum, sed magis conari paruos & longi temporis honores præbere, quàm confestim magnos. Corrumpuntur enim, nec cuiusuis est hominis prosperitatem ferre. Proinde rectè ordines isti minores, veluti gradus quidam constituti, per quos explorati, gradatim ad maiores perducerentur, nisi aliud diuina reuelatione fuisset indicatum. Nam & PAulus vetat Neophitum episcopatum suscipere.

i Timoth: iij.

LAICI.

Qui in nullo horum ordinum essent asciti, laici appellabantur, qui & cancellis olim ab altari, dum sacra mysteria celebrarētur, arcebantur. Vnde diuus Ambrosius, olim imperatorem Theodosium virum pium in choro inter sacerdotes consistere, & clericorum sedilia occupare vetuit, monens vt extra cancellos, post quos ingressurus erat, egrederetur, cui ille paruit.

ca: xxx, li: ix tripar: histo. ecclesiast:

In synagoga, quæ typus ecclesiæ sanctæ fuerat, sacerdotes mi-

cerdotes minores, à summis pontificibus segregati fuerant, neq; licebat sacerdotibus minoribus, magni sacerdotis insignibus vti, aut ritu quo ille cōsecrabatur consecrari, nec munia illa sibi vsurpare. Et Chrus ipse apostolis ordinatis adiecerat septuaginta duos, qui secundum locum post apostolos obtinerent, qui quidem apostoli postea crescente multitudine fideliū ordinarant presbyteros, & cæteros ministros, vt ante dictum est. De quo diuus HIEronymns in epistola ad Euagrium. Et vt sciamus, inquit, traditiones apostolicas, sumptas de veteri testamento, quod Aaron, & filij eius, atq; Leuitæ in templo fuerunt, hoc episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in ecclesia.

Exodi xxviij &c. *Lucæ x.*

A'erius hæreticus olim affirmabat episcopum, non differre à presbytero, illiq; æqualem esse, quod Epiphanius ait non esse possibile, episcoporum enim ordo, patrum, hoc est, presbyterorum generator est, patres enim generat ecclesiæ, presbyterorum verò, non potens generare patres, per lauacri regenerationem, generat filios ecclesiæ, non tamen patres, aut doctores. Decepit autem (inquit idem Epiphanius) prædictum A'erium, nugacitas ipsius & æmulatio, profert autem ad errorem suum, & eorum qui ipsum audiunt, ꝙ apostolus scribit presbyteris, & diaconis, & non scribit episcopis. Et ad episcopum dicit: Ne neglexeris donum, quod in te est, quod accepisti per manus presbyterij. Et rursus in alio loco, Episcopis & diaconis scribit: Quare est, inquit, idem episcopus & presbyter.

Epiph: tom: i, libro ij, folio ccccxxxv. *i Timot: iiij.* *Phil: i.*

 Et non no-

Et non nouit ille, inquit Epiphanius, qui consequentiæ veritatis ignarus est, & historias profundissimas non legit, quod cum recens esset prędicatio, sanctus apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit, vbi enim erant episcopi iam constituti, scribit episcopis & diaconis. Non enim omnia potuerunt statim apostoli constituere, presbyteris enim opus erat, & diaconis. Per eos enim duos, ecclesiastica compleri possũt. Vbi verò non inuentus est qui dignus episcopatu, permansit locus sinę episcopo. Vbi autem opus fuit, & erant digni episcopatu, constituti sunt episcopi. Quum autem multitudo non esset, non inuenti sunt inter ipsos, qui presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo episcopo, in loco constituto, verum sine diacono, impossibile est esse episcopum. Et curã adhibuit sanctus apostolus vt diaconi essent episcopo propter ministerium. Sic ecclesia accepit complementa dispensationis, sic illo tempore erant loci. Nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur. Hæc & alia Epiphanius A'erij errorem confutans, cuius & diuus Augustinus meminit de hæresibus ad Quodultdeum.

Nō omnia simul cōstituta

Augustinus.

Epiphanio suffragantur canões apostolici, in quorum primo præcipitur, vt episcopus à duobus vel tribus episcopis ordinetur. Secundo verò, vt presbyter ab vno episcopo ordinetur, & diaconus & reliqui clerici.

Canones apostolici.

Hoc & Cy-

Hoc & Cyprianus martyr (vt Clementem et alios ommittam) de traditione diuina, & apostolica esse affirmat seruandumq; & tenendum præcipit, docens etiam episcopum computari non posse, qui euangelica et apostolica traditione contempta nemini succedens, à seipso ordinatus est, habere namq; aut tenere ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in ecclesia non est, foris enim non esse ecclesiam, nec scindi aduersum se, aut diuidi posse, sed inseparabilis atq; indiuiduę domus vnitatem tenere, manifestat scripturæ diuinæ fides &c.

Cyprianus.

Cyp: epis: iiij. lib: i.

Epist. vi, li: i.

Quidam tamen recentiorum ea in re A'erium sequi malunt, quàm orthodoxos, & ecclesiam catholicã. Nam apud eos sacerdotes, immo seculares etiam, à sacerdotio alieni, sacerdotes & episcopos, sola manuum impositione sibi creant. At nemo dat, quod non habet, vt Cyprianus loquitur. Quin & apud euangelistam Ioannem scriptum: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de coelo. Nulli eñ ad potestatem spiritualis ordinis patuit aditus, nisi Christi Iesu ordinatione, quam iam inde ab apostolis continua successione habet ecclesia, vt ante, vbi de potestate spirituali tractauimus, ostendimus. Contra tales Cyprianus martyr, aduersus Nouatianum schismaticum differens, ait: Hi sunt qui se vltro apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione pręficiunt, qui se præpositos, sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt.

Notatur quidam.

episto: vltima lib: i.

Ioan: iij.

Cyp: tract: iij. de simpli: prælatorum.

Psal: i. assumunt. Quos designat in psalmo spiritus sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes et lues fidei, serpentes ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena letalia linguis pestiferis euomentes, quorũ sermo vt cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra eiusmodi clamat dominus, ab ijs refrenat & reuocat *Hier: xxiij.* errantem plebem suam dicens: Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos, loquuntur, sed non ab ore dñi.

Epist: iij, lib: i. Planè (inquit alibi Cyprianus) episcopi non de voluntate dei fiunt, qui extra ecclesiam fiunt, sed contra dispositionem & traditionem euangelij fiunt, sicut ipse *Oseæ viij.* dominus in xij prophetis ponit, & dicit: Sibimetipsi regem constituerunt, & non per me. Et iterum. Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui man- *Esaiæ iij.* ducant ea contaminabuntur. Et per Isaiam quoq; spiritus sanctus clamat, & dicit: Væ vobis filij desertores, hæc dicit dominus, habuistis consilium, et non per me, & fecistis conuentionem, & non per spiritum me- *NOTA.* um. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, *Cyprian: tracta: ij, de simplici: prælat.* (ait CYPrianus) q dixerit dominus: Vbicunq; duo vel tres fuerint collecti, in nomine meo, ego cum eis *Mat: xviij.* sum. Corruptores euangelij atq; interpretes falsi ex- *Mos hæreticorum in corrũpēdis scripturis.* trema ponunt, & superiora prætereũt, partim memores, & partim subdolè corrumpentes, vt ipsi ab ecclesia scisi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis vnanimitatem suaderet, &

deret, & pacem. Dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quacunq; petieritis, fiet vobis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum, ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra: vnanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quo- *NOTA.* modo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt, duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cum hæreses & schismata postmodum nata sunt, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atq; originem reliquerunt. Dominus autem de ecclesia sua loquitur, ad hos qui in ecclesia sunt loquitur, vt si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandauit, & monuit duo aut tres collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de dei maiestate, quod postulant.

Idem in eodẽ tractatu: Auersandus est talis, inquit, *NOTA uerba Cypriani.* atq; fugiendus, quisquis fuerit ab ecclesia separatus, peruersus est huiusmodi & peccat, & est à semetipso damnatus, an esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus sacerdotes domini facit? qui se à cleri eius, et plebis societate secernit? Arma ille contra ecclesiam portat, contra dei

contra dei dispositionem repugnat: hostis altaris, aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus: contemptis episcopis, & dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere dominicæ hostiæ veritatem, per falsa sacrificia profanare, nec scire quoniam qui contra ordinationem dei nititur, ob temeritatis audaciam, diuina animaduersiõe punitur.

NOTA.

Numeri xvi.

Sic Core & Dathan & Abiron qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem, sacrificandi licentiam, vendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus dependerunt. Terra compagibus ruptis, in profundum sinum patuit, stantes atque viuentes, recedentis soli hiatus absorbuit, nec tantum eos qui autores fuerãt, dei indignantis ira percussit, sed & cæteros ducentos, et quinquaginta participes eiusdem furoris, & comites qui coagulati cum ijsdem simul ad audaciã fuerãt, exiens à domino ignis properata vltione consumpsit, admonens scilicet contra deum fieri, quicquid improbi fecerint, ad destruendam ordinationem dei humana voluntate conati.

ij Para: xxvi.

Sic et Ozias rex cum thuribulum ferens, & contra legem dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet, et cedere, diuina indignatione confusus, et lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus, offenso domino, vbi signantur qui dominum promerentur.

Leuit: x.

Et filij Aaron, qui imposuerũt altari ignẽ

altari ignem alienum, quem non præceperat dominus, in conspectu statim domini vindicantis extincti sunt: quos imitantur sc⁊t atque sectantur qui dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt, quos increpat dominus, & obiurgat in euangelio suo dicens: Deijcitis mandatũ dei, vt vestrum statuatis. Peius est hoc crimen, quàm quod admisisse lapsi videntur, qui tamen in pœnitentia criminis instituti, deum plenis satisfactionibus deprecantur, hic ecclesia domini quæritur, et rogatur, illic ecclesiæ repugnatur, hic potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere, hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit, illic qui hæresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animæ vnius est damnum, illic periculũ plurimorum. hæc & alia ea de re Cyprianus martyr.

Non dißimilia loqtur Augusti: de baptiza: contra Donat: lib: ij, capite vi.

Qui etiam ibidem docet: eum qui ecclesiæ vnitatem non tenet, neque fidem tenere. Hanc, inquit, ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiæ renititur, & resistit, in ecclesia se esse confidit? Quando & beatus apostolus hoc doceat, & sacramẽtum vnitatis ostendat, dicens: Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus. Quam veritatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè episcopi qui in ecclesia præsidemus, vt episcopatum quoque ipsum vnum, atque indiuisum probemus, nemo fraternitatem mendacio, nemo fidei veritatem per fidẽ præuarica-

Non tenens ecclesiæ unitatem, fidem non tenet.

Ephe: iiij.

EPISCOPATUS vnus.

præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extendit. Quomodo solis multi radij, sed lumē vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluūt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine, auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare nō poterit &c. Quisquis ab ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi premia, qui relinquit ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam nō potest deum patrem, qui ecclīam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noë fuit: & qui extra ecclesiam foris fuerit euadet? Monet dn̄s & dicit: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non mecum colligit, dispergit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter ecclesiam colligit, Christi ecclesiam dispergit, dicit ipse dominus, ego & pater vnum sumus. Et iterum de patre, & filio, & spiritu sancto scriptum est: Et tres vnum sunt, & quisquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, sacramentis cœlestib9 cohærentem, scindi in ecclesia posse, & voluntatum collidentium diuortio separari? Hanc vnitatem qui non tenet, dei legem non tenet, non tenet patris & filij fidem, vi-

NOTA.

fidem, vi

fidem, vitam non tenet & salutem. Et item beati Ioannis apostoli vox est: deus dilectio est, & qui in dilectione manet, manet in deo, & deus in illo manet. Cū deo manere non possunt, qui esse in ecclesia dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus, occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo & CHRistum diabolus sæpe mentitur, ipso domino premonente & dicente: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos fallet. Sicut ille Christus non est, quamuis fallat in nomine illius: ita nec CHristianus videri potest, qui non permanet in euangelij eius & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtiq; et admirabilis res est: non tamen regnum cœleste consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur, nisi iusti et recti itineris obseruatione gradiatur. Hæc & alia hac de re Cyprianus martyr.

1 Ioan: iiij. — *NOTA.* — *Mar: xiij.* — *Matt: vij.*

À quo non dissentit IREneus: Illis qui in ecclesia sunt, inquit, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione, charisma veritatis certū, secundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur suspectos habere, vel quasi hæreticos, et

Iren: libr: iiij. cap: xliij. — *NOTA uerba Irenei.*

malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratiæ & vanę glorię hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare dei, id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu. Qui verò exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur, aduersus ecclesiam dei, remanent apud inferos vorągine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Core, Datan, & Abiron. Qui autem scindunt & separant vnitatem ecclesiæ, eandem quam Hieroboam pœnam percipiunt à deo. hæc Ireneus. Cui assentitur Tertullianus libro de præscriptionibus hęreticorum, vbi dicit episcopum principalem in vnaquaque ecclesia habuisse autorem, vel apostolum, à quo ius & potestatem sacerdotij acceperit. Iis cæteri orthodoxi subscribunt. Quin & Synodi, Antiochena, Laodicensis & Carthaginensis. &c.

Leuit: x.

Tertullianus.

Quę isti perpendant, qui ab ecclesia scisi, tum à laicis, vel à sacerdotibus non episcopis ordinati sunt.

Obiectiōis solutio.

Aug: epistola clxxvij.

Mat: xxiij.

Mores improbi episcoporum, illos ab hoc schismate minime excusabunt, cum, vt ait Augustinus, dominus fideles suos securos fecit, etiam de dispensatoribus malis, mala sua facientibus, & bona eius loquentibus, vbi ait: In cathedra Moysis, sedent scribę & pharisæi. Omnia ergo quæcunque dicent facite, secundum opera illorum nolite facere. Neque sacramenta pendent ex dignitate ministrorum, sed ex mandato ex ordinatione diuina.

Clamabat olim Paulus, quòd Corinthij æstimarint baptismi gratiā à ministris dicentes: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, Ego verò Christi. Num diuisus est CHRIstus? inquit Paulus. Num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Prophetauit olim Caiphas, homo scelestus, cum esset pontifex anni illius. Quodsi per illos, quibus dicturus est: nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, operatus est multas virtutes, quomodo nō magis per sacerdotes, pro Christo legatione fungētes operatur? Neque propter malos deserenda ecclesia, cum in ea mali bonis permisti futuri sint, vsque ad consummationem seculi, vt Christus docet, ecclesiam militantem comparans decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis. Sagenæ item missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Tritico seminato in agro, inter quæ succreuerant Zizania. Adhæc propter peccata populi sinit regnare hypocritam, dat principes pueros, & effeminatos dominari permittit. De hac re latius vbi de summo pontifice tractamus.

i Cor. i.

Ioan: xi.

Matt: vij.

ij Cor. v.

Solutio obiectionis ex Cypriano.

At isti contentionis studiosi proferunt præter alia verba Cypriani, ex epistola 4, lib: i. Nec sibi, inquit ille, plebs blandiatur, quasi immunis à contagione delicti esse possit, cum sacerdote peccatore cōmunicans, et ad iniustum atque illicitum præpositi sui episcopatū consensum suum commodans, cum Ozeam prophetam cōminetur & dicat censura diuina: Sacrificia eorū

Oseæ ix.

tanquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabuntur, docens ſcilicet & oſtendens, omnes omnino ad peccatum conſtringi, qui fuerint profani & iniuſti ſacerdotis ſacrificio contaminati. Hæc & alia ex ſacris literis Cyprianus profert, quibus iſti ſuũ errorem tueri conantur, & hæc ad ſacrificulos miſſarum, vt vocant iſti, referũt. Cum tamen hoc teſtimonio Cypriani, quaſi ſuo gladio ſe iugulant. Loquitur enim CYprianus illa epiſtola de Baſilide & Martiale hæreſiarchis epiſcopis, vt apertiſsimè ex ipſa epiſtola cognoſcere eſt. Contra tales autem ipſe CYPRIanus ſcripſit hæc & illa, quę ſuperius citauimus.

In oratione q̃ ſe excuſat cur tã diu à functione abſtinuerit eccleſiaſtica.

Pulchrè Gregorius Nazianzenus in oratione quadam. Vos, inquit, oues, nolite paſcere paſtores, neq; ſuper terminos eorum eleuamini. Satis enim vobis eſt, ſi rectè paſcimini, nolite iudicare iudices, nec legem feratis legiſlatoribus. Deus enim nequaquam deus eſt ſeditionis, & confuſionis, ſed ordinis & pacis. Nemo igitur caput ſit, qui vix manus, aut pes eſſe poſsit, ſiue membrum aliud corporis honorabilius. Sed vnuſquiſq; fratres, in eo ordine, in quo vocatus eſt, permaneat, licet dignior etiam exiſtat, in eoq; magis præſentem amet charitatem, quàm vt eam quam non accepit quærat, nemo qui ſine periculo ſubeſſe poteſt, imperare deſyderet: nec ſubiectioni lex ſoluatur, qua tam terreſtria, quàm cœleſtia ſunt colligata, neq; dominationem multiplicem ſine dominatione faciamus. Vos qui in ſermonibus eius generis verſamini, nolite nimium

confidere ſermonibus, nec in ſermõibus ſapere ſuperflua, nec deſyderetis in omnibus vincere malè, nam quædam ſunt in quibus vinci eſt melius. Date ſermoni ſermonem, facite illum armaturam iuſtitiæ, non doctrinam mortis. Vos milites veſtro contenti ſitis ſtipendio, & nihil præter id quod vobis eſt conſtitutum exigatis, hoc vos nobiſcum iubet Ioannes magnꝰ veritatis præco, præcurſor, vox verbi. Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & dei deo, huic tributum, huic honorem, vos qui reipublicæ curam geritis. Timorẽ autem quũ dico auariciam prohibeo. hæc & ſimilia ille.

Lucæ iij.

Matt. xxij.

In oratiõe de modeſtia ĩ diſputationibus ſeruanda.

Et alibi idem cum oſtẽdiſſet vniuerſum conſtitutum ordine, infert: Ordo etiam in eccleſiis ita ſtatuit, vt alij ſint oues, alij vero paſtores: ita vt hi imperent, illi vero obediant. ſitq; hoc tanquam caput, illud pedes, illud manus: hoc oculi, illud vero aliud corporis mẽbrum, quò omnia rectè inter ſe conueniant, commodumq; tam ad præfectos, quàm ad ſubditos redundet. Et quemadmodum membra in corporibus nequaquã inter ſe diſsident, ſed cuncta corpus vnum ex diuerſis ſunt compoſita, nec idem omnium eſt officium ac vſus ad mutuam neceſsitatis beneuolentiam: neq; oculus graditur, ſed ducit, quemadmodum nec pes cernit, ſed vadit, nec lingua excipit voces, id enim ad auditum pertinet: ſicut nec auditus loquitur, nam linguæ id eſt officium &c. Ita & apud nos, qui commune corpus Chriſti ſumus, omnes enim corpus vnum in Chriſto, ac per vnum Chriſtum inter nos membra

ſumus, hoc enim imperat ac præſidet, iſtud vero obedit & dirigitur. hæc & alia ea de re diuus Gregorius Nazianzenus Paulum apoſtolum imitatus. Qui etiã ad Hebræos ſcribens hæc præcipit: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi ratiõem pro animabus veſtris reddituri. Quę verba expendens CHryſoſtomus, multa hac de re dicit, quæ hic adſcribenda duxi. Nam dic oro, inquit, ipſe tanto periculo tui gratia ſubditus eſt, tu illi obtemperare detrectes in his, quæ tibi vtilia ſunt? Etſi enim ille ſua omnia ritè diſponat, quamdiu tu minꝰ rectè vales, angoris vacuus eſſe non poteſt, cum duplex ab eo ratio ſit exigenda. Iam vero conſydera, quantum periculi ſit, per ſingulos ſubditorum diſcuti, rationemq́ pro omnibus reddere. Quantumuis illi honoris impendas, quantumlibet obſequij deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etſi animam ponas, ipſe hoc pro te iugiter facit: etſi id minus hac in vita facit, ꝙ perſecutionis non adſit tempus, eam tamen periculo æternę mortis exponit. Tu contra neq; ad verba vsq; illi ſubijci vis. Hoc nempe eſt malorum omnium cauſa, ꝙ rectorum autoritas perijt, nulla illis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus. Obedite, inquit, præpoſitis veſtris, & ſubditi eſtote illis. At nunc peruerſa & confuſa ſunt omnia. Neq; iſtud præpoſitorum gratia dico. Quid enim illi de noſtro honore lucrantur, niſi inquantum obtemperantes habebunt, idq; pro vtilitate noſtra? Hi enim licet honorentur, nihil ex eo honore in futurum lucrantur, maioremq́ damnationem inde ſuſcipiunt. Etſi patiantur iniurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt, immo et meritorum illis accedit cumulus, atq; defenſio. Noſtri deniq; cauſa cuncta illi faciunt. Nam ſiue honorãtur à ſubditis, & hoc illis fieri iubet, quemadmodũ dicebat Heli: Aſſumpſi te de domo patris tui: ſiue iniurijs afficiantur, hoc in ſe deus ipſe perpetitur, ſicut ad SAMVelem ait: Non te ſpreuerunt, ſed me. Itaq; illis contumelia lucrum, honor vero onus eſt: Non ergo hæc illorum gratia ſed veſtri cauſa dico: Qui honorat ſcerdotem, deum quoq; honorat: qui vero ſacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, vt in deum ipſum aliquando contumelioſus euadat. Qui vos, inquit, ſuſcipit, me ſuſcipit. Et ſacerdotes, ait, eius in honore habete. Hinc Iudæi deum aſpernare didicerunt, quia Moyſen contempſère, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè ſacerdoti afficitur, longè maiore pietate deum reuerebitur. Etſi enim malus fuerit ſacerdos quiſpiam, attendit deus, ꝙ ſui gratia illum etiam, qui dignus honore nõ eſt, obſequijs foues, ipſeq́ tibi premia exoluet. Si enim qui prophetam in nomine prophetæ ſuſcipit, mercedem prophetæ accipiet: profecto & qui cedit & obtemperat ſacerdoti, mercede ſua nõ deſtituetur. Nam ſi vbi de hoſpitalitate agitur tantum, vbi quem ſuſcipis ignoras, tantum premiorum accipis: ſi ei ſubijciaris, cui imperat deus, non multò magis mercede donaberis? Super cathedram, inquit, Mo-

i Corin: xi. *Hebr: xiij.*

Homil: ij, ĩ ij epiſ: ad Tim.

Animaduerte uerba Chryſoſtomi.

i Regum viij.

Spernens ſacerdotem.

Matt: x.

Malus ſacerdos.

Matt: xxiij. inquit, Mosi sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunq; vobis dixerint facere, facite, secundum autẽ opera eorum ne faciatis. An ignoras quid sit sacerdos? Angelus domini vtiq; est. Non ex seipso loquit, si despicis, non ipsum despicis, sed deum qui illum ordinauit. Sed non, inquies, constat deum fuisse illius odinationis autorem? Nempe nisi tu hanc habeas opinionẽ, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur deus, neq; lauacrum habes, neq; mysteriorum particeps es, neq; benedictiōibus frueris. Non ergo Christianus es.

QVÆSTIO. Quid ergo? deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipse operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominẽ populi causa locutus est, multo magis loquitur per sacerdotem, plebis suæ gratia. Quid enim non agit deus salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per

Matt: vij. Iudam operatus est & per prophetas, quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem, perq; illos, qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per sacerdotes diuino ministerio famulantes operabitur? Namq; si præpositorum vitas discutere pergimus, ipsi doctores nr̃os ordinare contendimus, peruersoq; ordine naturali, quæ supra sunt, infra esse volumus, vt superius pedes, inferius vero sit caput. Audi quid Paulus dicat: Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano iudicio. Et iterum,

Et iterum. Tu quid iudicas fratrem tuum? Si fratrem iudicare non expedit, quantominus magistrum? Nã si quidem hoc statuit deus, benè facis, peccasq; ni facias: sin vero contraria præcipit, noli præsumere, neq; ea coneris quæ super te sunt. Insurrexerunt aduersus Aaron, post vituli formatam effigiem, Core, Dathan, Abiron. Quid ergo? Nonne illi periere? Quilibet, quę ad se pertinent, solicitè curet. Nam si quidem fidei dogma peruertat, etiamsi angelus sit, obaudire noli: sin vero recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Habes PAulum verbis te operibusq; moderantem. Non i Cor: iiij. Rom: xiiij. distribuit pauperibus, inquies, non benè dispensat ecclesiæ res. Vnde tibi id constat? Noli illum culpare, antequam discas. Reatũ caue. Plurima quippe ex simplici suspitione iudicantur. Imitare deum tuum, audi ipsum dicentem: descendens videbo, si secundum cla Gen: xviij. morem suũ consummantur: sin autem, vt sciam. Quod etsi didicisti, & examinasti, & vidisti, iudicem sustine. Noli prępripere Christi iudicis ordinem, illius est munus ista discutere, non tuum. Tu seruus vltimus, non dominus es. Ouis ipse es, pastorem noli curiosè discutere, ne eius quoq; criminis reus tenearis, q̃ illum accusare præsumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit, quod ipse non facit? Non tibi ipse dicit, nam si illi obtemperas, mercede priuaris, Christus hæc admonet. Plus aliquid dicam, ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanũ, sed aplo Christum in se loquentem circumferenti. Non igitur

aliena iudicemus, sua quisque discutiat, vitamque diiudicet suam. At debet ille, inquies, melior esse quàm ego. Cur obsecro? Quia sacerdos est. Et quid non habet ille amplius quàm tu? Non labores, non angores, non ærumnas? Debet esse te melior? Quid ergo? Nisi sit melior, teipsum perdis ac perimis? Sūt verba ista plena arrogantiæ. Vnde enim nosti illum te nō esse meliorem? Furatur, inquies, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti ô homo? cur teipsum per præcipitia impellis? Nempe si quis dixerit, ille purpuram habet, quamuis id scias, aurem obruis? etsi arguere poßis, protinus reticlis, teque scire dißimulas, nolēs gratis subire periculū. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis? Non carent reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quod omne verbum ociosum, quodcunque locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Cur teipsum quouis arbitraris esse meliorem? Cur non ingemiscis magis ac pectus tundis, atque in humum respicis, imitando felicē publicanum? Etsi enim melior sis, hac fœda existimatione tua cuncta perdidisti. Melior es, tace, vt persistas esse melior: quod si loquaris, omnia exinanisti. Si te putas esse, desisti: si non putas, multum sanè profecisti. Si enim qui peccator aduenerat, vbi confessus est, iustificatus descendere meruit: qui peccator non est, & esse se putat, quid oro non lucrabitur? quantum ex ea humilitate suis adijciet commodis? vitam tuam diligentius discute. Fur non es, at rapis, at violas, at innumera huiusmodi perpetras: neque id furtum probem, dixerim, Absit: immo illud valde execror, & eum, qui est huiusmodi defleo: nam dici non potest, quàm sit sacrilegium malum. Sed vobis parco. Nolo enim virtutem vestram alios accusando minuere. Quid, oro, publicano deterius? At cum esset innumeris peccatis obnoxius, pharisæusque id solum diceret: Non sum sicut publicanus iste, omnia perdidit: tu de sacerdote dicis: non sum sicut iste sacrilegus, & nō omnia prorsus amittes? Ista necessario dicere, ac plurimis verbis prosequi cogor, non sacerdotum tantum gratia, sed vestri. Nam vereor ne hac elatiōe virtus exhauriatur vestra, in iudiciumque decidatis. Audi denique quid dicat admonēs Paulus. Opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero. Nam, dic oro, si saucius proficiscaris ad medicum, num ommissa cura vulneris tui, studiose medicum percunctaris, vulnus ille habeat, nec ne? An vero etsi ille sit saucius, vulnus tuum idcirco non curas, dicisque sanum illum esse oportuit, medicus cum sit? Quando vero sanus medicus non est, abscedo, vulnus mecum insanabile referens? Nunquid enim si sacerdos malus sit, inde solatium capiet subditus? Nihil minus. Cæterum dabit quidem ille scelerum suorum debitas pœnas: dabis autem & tu tuorum criminum pœnas. Etenim magister solum iam ordinem implet. Erunt enim, inquit, omnes docibiles dei, neque dicent: Agnosce dominum. Omnes enim agnoscent me à mi-

Lucæ xviij.

Gal: vi.

Simile.

nimo vsq; ad maximum eorum. Cuius ergo rei gratia, inquies, præsidet? Cur præpositus est? Ne, quæso, doctores nostros maledictis impetamus, vti ne nosmet potius lædamus. Nostra, vt dixi, omnia discutiamus, et neminem penitus maledicamus. Reuereamur diem illam, qua illuminati ab illis sumus. Patrem qui habet, etsi mille patiatur incommoda, omnia patris reuerentia conteget. Noli enim, inquit, gloriari in ignominia patris tui, neq; enim tibi tam gloria, quàm probrum est. Etsi sensum amiserit, veniam habe: longè hæc magis in patre spirituali dicenda sunt. Reuerere illum, qui tibi diebus singulis diuina ministrat, scripturas relegi facit, tui gratia exornat domum, propter te vigilat, propter te vota persoluit, pro te deum precaturus, adstat, tui causa preces exoluit, pro te apud illum religio cultusq; & obsequium est, pro te ista omnia. Reuerere hæc ergo atq; consydera, accede ad ea summa cum reuerentia. At malus ille est, & hoc ad te quid? Nunquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & diuina largitur. Absit. Fides enim tua ad omnia valet, neq; tibi iustus quispiam proderit, nisi ipse fidelis sis: neq; nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Per vaccas in arca operatus est deus, cum populum saluare vellet, num enim sacerdotis vita, num virtus tantum conferre potuisset? Non possunt quæ deus ipse largitur, veluti sacerdotali virtute perfici: omnia quippe diuinæ sunt gratiæ. Huius tantum munus est aperire os, cæterum deus cuncta operatur: symbolum iste tantummodo im- *1 Regum vi.*

modo im-

modo implet. Intuere quantum inter Ioannem & Iesum interest, & audi dicentem Ioannem: Ego opus habeo à te baptizari. Et: non sum dignus soluere ipsius corigiam calceamenti. Sed tamen cum tantum interest, descendit spiritus, quem non habebat Ioannes. De plenitudine enim, inquit, ipsius nos omnes accepimus. Prius tamen quàm baptizaretur, non ille descendit, neq; IOannes ipsum descendere fecit. Cur ergo istud fit? vt scias sacerdotem symbolum implere tantummodo. Nemo homo tantum distat ab homine, quantum à Christo Ioannes. Descendit tamen spiritus, vt discas deum omnia operari, deum omnia facere. Volo quiddam adijcere, planè mirabile, & nolite mirari, neq; turbemini. Quid vero istud est? Sacra ipsa oblatio, siue *Oblatio sacra* illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus? Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacrauerat. Quemadmodũ enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoq; pronunciant: ita & oblatio eadem est, eademq; baptismi ratio est, adeò omnia in fide consistunt. Cornelium spiritus repentè repleuit, quia prius ipse alacritatem voluntatis ostenderat, fidemq; plenissimæ deuotionis obtulerat. Et hoc igitur Christi corpus & illud est, qui autẽ hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christũ esse, qui nunc etiam adest, atq; operatur. Ista vobis

non absq;

non absq; certa ratione diximus, sed vt sententiam vestram, sensumq́; corrigamus, cautioresq́; in posterum faciamus. Verum vos ea seruate quæ diximus. Nam si semper audimus, & nunquam audita perficimus, nihil ex his quæ dicuntur emolumenti percipimus. Attendamus ergo nobisipsis quæso diligenter, & quæ dicta sunt, magno studio implere curemus. hęc Chrysosto.

1 Pet. ij. Petrus apostolus seruos vult esse subiectos dominis etiam prauis. Serui, inquit, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, hoc est, difficilibus ac morosis: hęc est em̄, inquit, gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè, id est, in hoc gratia est, si propter deum, qui & tuæ pacientiæ & illorum nequitiæ conscius est, quis iniustè molestias sustinet. Quodsi id serui heris suis etiam malis facere debent, iuxta pręceptum Petri, multò magis in rebus salutem animæ spectantibus, id præstandum præfectis spiritualibus, quippe qui secularibus præstantiores sunt, vt ostendimus, vbi de duplici potestate tractauimus.

OBIECtio ex Hieronymo.

Proferunt aduersarij in partem cōtrariam D. Hieronymum in epistolam diui Pauli ad Titum, qui affirmat apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos et episcopos. Idq; probat testimonio PAuli apostoli ad Philippenses dicentis: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis, gratia vobis & pax, & reliqua. Philippi vna, inquit Hieronymus, est

Philip: i.

vrbs Ma-

vrbs Macedonię, & certè in vna ciuitate plures, vt nūcupantur episcopi esse non poterunt. Sed quia eosdē episcopos illo tempore, quos & presbyteros appellabant: propterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris locutus est. Item ex Actibus apostolorū, *Acto: xx.* vbi scriptum est, q̄ cum venisset apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocauerit presbyteros ecclesiæ eiusdem, quibus postea inter cętera sit locutus: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos pascere ecclesiam domini. Petrus itē in epistola sua loquitur dicēs: Presbyteros ego in vobis *1 Pet: v.* obsecro compresbyter, & testis Christi passiōum. Consuetudine itaq; ecclesiæ, ait Hieronymus, magis quàm dispositionis dominicę veritate, presbyteris episcopi sunt maiores.

Responsio.

Ista quidem est opinio diui Hieronymi, at, vt ostēsum est à nobis, diuersum catholici sentiunt, & ecclesia catholica, cuius iudicio standum est. Licet autem diuus HIEronymus id opinatus sit, non tamen summi pōtificis potestatem damnat, vt verba eius inferius citata demonstrant, tum illa quæ tractantes de summo pontifice in medium adduximus.

DE POTEstate Episcopi et Presbyteri.

In sacramentis administrandis excepta ordinatione, & cōfirmatione nihilo maior est episcopi quàm sacerdotis autoritas, nisi quia ligandi soluendiq; potestas tanto maior est, quanto plus ad eam rem doctrinæ iudicijq; requiritur. Inde illa casuum reseruatio, vt vocant. Quamuis potestas absoluendi quantumlibet

Casuum reseruatio.

criminosos

criminosos in extremis constitutos (quoad forum cõscientiæ) apud quoslibet sacerdotes est. Neq; alius est episcoporum quàm sacerdotum ordo, verum dignitas, vel potius officium maius est episcoporum. Inter episcopos autem honoris quidem est similitudo, verũ discretio potestatis. Cumq; cęteri episcopi vocati sint, in partem sollicitudinis, summus verò pontifex, in plenitudinem potestatis. Habẽt enim illi sibi assignatos greges, singuli singulos, huic vniuersi crediti sunt. Vnde & diuus HIeronymus in epistolam ad Titum ait, vt dissensionum plantaria euellantur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Quapropter contra Luciferianos scribens hęc ait: Salus ecclesię in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schysmata quot sacerdotes. ita Hieronymus docens ibidem quædam fieri ab episcopis, magis ad ordinem sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. De hac materia latius, vbi de summo pontifice tractauimus.

Bernar: ad Eugeniũ lib: ij.

Actiones propriæ episcoporum.

Mart: Peres.

Porro preter potestatem eam, quam habent episcopi cum sacerdotibus communem, habẽt actiões quasdam proprias, quæ illis competere videntur, quatenus pastores sunt. Primo coarctare possunt potestates illas, vel potius vsus earum, minoribus sacerdotibus, iustis de causis, prout vtilitati ecclesiæ suæ conferre iudicarint, non quidem tollendo potestatem absoluendi &c̃. Nam hoc cum sit donum spirit9 sancti, semper eam habent

eam habent sacerdotes, sed tollendo vsum talis potestatis.

Secundo potestatem habent, non solum quantum ad verbi dei prædicationem, sed quantum attinet ad verbi dei declarationem. Docete, inquit CHristus apostolis, omnes gentes &c̃. Non enim ecclesia dei putanda est eo carere, quod olim habuit synagoga, habuit autem illa magisterium sacerdotum summorum, per quod contentiones legis, difficilesq; contentiones terminarentur. Quo & sanctos apostolos vsos fuisse legimus, in quæstione illa de cessatione legalium, visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis. Vnde in septem concilijs generalibus & alijs, episcopi tantum subscripsisse concilijs leguntur, & quamuis imperatores & reges concilijs interfuisse legantur, non tamen de causa fidei iudicarunt, quemadmodum videre est in concilijs.

Mat: vltimo.

Deut: xxvij.

Acto: xv.

Tertia actio episcoporum propria est, quod potestatem habeant super rebellem, & manifestum peccatorem, qua possunt eum excludere à consortio fidelium, & communione sacramentorum. Hac potestate vsus PAulus cum excommunicauit Corinthium fornicatorem, Alexandrum item et Himeneum: huc pertinet & illud Christi: dic ecclesiæ, Si ecclesiam nõ audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.

i Corin: v.

i Timot: i.

Mat: xviij.

Finis autem excommunicationis est triplex: curare rebellem, vt per confusionem ad se reuersus resipiscat. Altero vt communione fratrum abscissus, alios non infi-

Finis excomnicatiõis triplex.

non inficiat. Tertius, vt alij eius exemplo coërceantur.

Quarta actio episcoporum, quod potestas illis sit legũ seu canonum constituendorum ad ædificationem ecclesiæ, idque per synodum, quæ quod in spiritu sancto legitimè congregata decernit, spiritus sanctus decernere videtur, iuxta illud apostolici concilij: Visum est spiritui sancto & nobis, apostolorum exemplum secuta sunt concilia. *Acto: xv.*

Vltra pœnam autem excommunicationis est penes episcopos potestas coactiua, vt est pœnitentia temporalis, & depositio, id quod ex scriptis vetustißimorum autorum, & concilijs colligere licet. *Potestas coactiua.*

Quodsi accusatio presbyteri, tempore apostolorũ, episcopis, cum solennitate testium deferebatur, vt præter cætera colligere licet ex Paulo: aduersus presbyterum, inquit ad Timotheum episcopum, noli accusationem suscipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: argumẽtum clarum est apud illos, eo tempore fuisse iudicium, & autoritatem, qui possent iuxta probata reũ accusatum absoluere, aut damnare. Si ergo damnare poterant, cum non omnia peccata sint æqualia, nec æqualem requirunt pœnam, & damnationem, consentaneum est subinde necessario aliam fuisse in episcopis potestatem coërcitiuam à potestate excommunicãdi. *i Timo: v.*

Iam quòd isti argumentantur: In nouo testamento non dicuntur sacerdotes sed presbyteri, vel ministri, ergo sacerdotium non est: quæ ratiocinatio, si est firma, et hæc firma erit: Nomen personę de diuinitate dictum non inuenitur in sacris literis, quin & ipsum nomen trinitatis, ergo non sunt tres personæ nec diuinitatis, nec trinitatis. Homousios vocabulum non extat in literis sacris expressum, ergo filius dei non est homousios patri. *Solutio obiectionis.*

Quòd Paulus apostolus, & cæteri vtuntur his dictionibus ministerium, minister, seruus, faciunt hoc studio humilitatis, ne vitium arrogantiæ incurrant, qua gentes à se deterrerent. Quodsi Petrus apostolus et Ioannes in apocalypsi, vt superius ostendimus, sacerdotium etiam secularibus tribuunt, cur hoc nomine, ministri sacramentum administrantes appellandi non sunt? Præsertim cum per ESaiam prædixit fore, vt ex gentibus assumeret dominus sacerdotes & Leuitas, qui offerent victimas domino &c. Porro ostensum est superius à nobis, apud Iudæos duplex sacerdotium fuisse, perinde atque apud Christianos. Præterea cum sacrificij mẽtio est in literis sacris, actuum scilicet 14. vt superius à nobis ostensum est, consequens est, vt et sacerdotium ijsdem non improbetur, sunt enĩ hæc connexa inter se, sacrificium & sacerdotium, vt disiungi non possint, vnde & sacerdotum nomen, similatque deletum est sacerdotium Iudaicũ, cæpit mox vsurpari in ecclesia Christiana, id quod scripta grauissimorum, & vetustißimorum scriptorum indicant. *Esa: lxvi.*

Polycrates, vt refert Eusebius, Victori episcopo vrbis Romæ scribens ait: Et Ioannes ille, qui supra pectus domini recumbebat, qui fuit sacerdos dei, pontificale *Euseb: lib: iij, cap: xxxi, histo: eccle.*

id est mytrā. ficale πέταλον gestans,& martyr & doctor optimus a-
pud Ephesum obdormiuit.

Cyprianus martyr sermone 5. de lapsis. Contuma-
i Cor:xi. cibus & peruicacibus comminatur apostolus dicens:
Quicunq; ederit panem & calicem domini indignè,
reus erit corporis & sanguinis domini. Spretis his o-
mnibus atq; contemptis,antè expiata delicta, ante ex-
omologesim factam criminis,ante purgatam consciē-
tiam,sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam pla-
catam indignantis domini, & minantis, vis infertur
corpori eius & sanguini eius. Et apud alios quos
hic recensere longum esset, sacerdotis nomen reperit.

Solutio obiectionis. Aiunt præterea electionem penes populum fuisse:
Non nego id quidem, nam & in veteri lege coram o-
Numeri xx. mni synagoga,iubet deus constitui sacerdotem,id est,
Cyp:epist:iiij lib:i. vt Cyprianus ait,instruit,& ostendit ordinationes sa-
cerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia
fieri oportere,vt plebe præsente,vel detegantur malo-
rum crimina,vel bonorum merita prædicentur,& sit
ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio et
iudicio fuerit examinata. ita Cyprianus, adiungens e-
tiam prædictorū exempla ex actis apostolorum. Hoc
et seculo nostro corruptissimo fieri videmus,vt ordi-
nationes fiant præsente populo,cuius suffragia propt
dissensiones non requiruntur,admonetur tamen is,vt
si quis habeat,quod obijcere possit contra ordinandū,
dicat intrepidus. Quamuis autem electio penes popu-
lum fuerit,non tamen vnquam licuit,vt ipse populus
sibi consti-

sibi constitueret sacerdotem,aut episcopum. Ostende-
bat quidem, quem sibi dari vellet: verum institutio
non fuit, nisi penes episcopos. Aliud autem est elige-
re,ac nominare hominem, qui incipiat esse pastor,aut
episcopus, quod permissum est plebi: Aliud constitu-
ere pastorem,quod proprium est apostolorum,& eo- *Actuū xiiij.*
rum qui ipsis succedunt. Docet scriptura apostolos
per ecclesias constituisse presbyteros. Timotheum itē
et Titum à Paulo constitutos episcopos,Tito manda-
tum ab illo fuisse,vt ipse non vt populus, qui docen-
dus non sequendus est, aut aliquis magistratus profa-
nus constitueret per ciuitates presbyteros. Deniq; ali-
ud est instituere sacerdotium,seu episcopalem potesta
tem,quod proprium est Christi,vt ante ostensum est,
vbi de potestate spirituali disseruimus. Vnde Cypria- *Cyprianus e-*
nus: In ordinandis clericis fratres charissimi,solemus *pistola v,li.ij.*
vos ante consulere,et mores ac merita singulorum cō-
muni consilio ponderare. Sed expectāda non sunt te-
stimonia huiusmodi,cum præcedant diuina suffragia.

Sed instant isti laicos à sacerdotio alienos non esse, *Solutio obiectionis.*
quod diuus PEtrus ad fideles dixerit: Vos genus ele-
ctum,regale sacerdotium,gens sancta. Et diuus Ioan- *i Petri ij.*
nes in apocalypsi: Christus fecit nos regnum,& sacer- *Apocal: i.v.*
dotes deo patri suo. Errant isti non intelligentes scri-
pturas. Hoc enim dictum non quòd omnes sacerdo-
tum potestate (de qua ante disseruimus) sunt præditi,
vt sacramenta conficere possent,non quemadmodum
veri sacerdotes. Sed ꝙ Christiani in baptismo rege-

 nerati,sa-

nerati, sacrificium laudis deo offerre debeant, & iuxta
Roma: xij. Pauli sententiam, corpora sua hostiam viuam, sanctam,
Sacerdotium duplex. deo placentem. Vnde quidam partiuntur sacerdotiũ, in internum, & externum, hoc ordinatis in sacerdotes competit, illud omnibus, qui baptizati sunt: quamobrem & diuus HIERonymus contra Luciferianos baptismum appellat laici sacerdotium.
Laici sacerdotium. De primo itaq; dictum Petri & Ioannis intelligendum, veluti et illud
Exo: xix. in Exodo ad Iudæos. Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & in regnum sacerdotale. De externo verò illud dei ad Moysen: Aaron & filios eius vnges, vt sacerdotio fungantur mihi. Et PAVli ad Timotheum: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ
i Timot: iiij. data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et item: Manus nemini cito imposueris. Et certè si prædicta verba IOAnnis & Petri intelligenda essent, veluti isti putant, illud etiam necessario sequeretur, vt omnes sint reges, quicunq; baptizati sunt, nam qui dicti sunt sacerdotes, idem et regnum & regnaturi super terram. Sed quis hic ordo esset? quem Paulus in ecclesia seruari iubet.

DE CONNVBIO SACERDOTVM.

Post conse-



POST CONSECRATIONEM vt sacerdos vxorem ducat, quod hodie nouatores religionis faciunt, ab apostolorum placitis & consuetudine ecclesiæ catholicæ abest, vt ex vetustissimis Græcis & Latinis liquet. Est canon 27 inter canones apostolorum, de quibus ante diximus. In nuptijs qui ad clerum profecti sunt præcipimus, vt si voluerint, vxores ducant, sed lectores, cantoresq; tantummodo. Vel vt alij verterunt. Ex his qui cœlibes in clerum peruenerunt, iubemus, vt lectores tantum & cantores (si velint) nuptias contrahant. Idem confirmatum canone 6, in sexto concilio generali. Quoniam, loquitur canon, in apostolicis canonibus dictum est, eorum qui non ducta vxore, in clerum promouẽtur, solos lectores & cantores, vxorem posse ducere: Et nos hic seruantes decernimus, vt deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero, post sui ordinationem coniugium contrahere liceat. Si aũt hoc facere ausus fuerit, deponatur. Si quis autem eorum qui in clerum accedũt velit, lege matrimonij mulieri coniungi, antequam hypodiaconus vel presbyter ordinetur, hoc faciat.

Cum autem Paulus apostolus, votum castitatis ad i Cor: vij.
Corinthios scribens approbet, & ad Timotheum, vi- i Timot: v.
duas damnationem habere dicat, quòd primam fidem deo factam irritam fecerint, dum nubere vellent, de quo latè

quo latè egimus ante, vbi de monachatu disseruimus: non video quomodo sacerdotum matrimonium probandum sit, quod post consecrationem, vbi castitatem vouent, contrahunt.

Proferunt aduersarij locos quosdam ex Paulo, quibus id astruere nituntur, verum eos, vt Petrus apostolus ait, indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vnus locus i ad Timotheum 4. vbi Paulus prędixit, in nouissimis temporibus futuros hęreticos, qui nuptias damnarent tanquam illicitas. At hic locus non facit contra ecclesiasticas sanctiones, per quas sacerdotibus, & monasticen professis, matrimonio interdicitur. Sed vt testantur in hunc locum Chrysosto: & Theophilact: Græci, & ex Latinis AMBrosius, AVgustinus quoq; & Hieronymus, facit hic locus aduersus duas hæreses, à Martionistis Manichæis, & Tatiano Encratitarum principe assertas, qui non solũ nuptias, sed cibos quoq; quosdam, quos deus creauit ad vtendum, damnabant. Porro ecclesia nuptias non damnat, immo etiam matrimonium inter sacramenta cõnumerat, alioqui Paulus, qui alibi virginitatem matrimonio prętulit, & votum castitatis approbauit, sibi esset contrarius.

ij Petri iij.

Hiero: libr: i, aduersus Iouinian.

Alter locus est i ad Corinth: 7. Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat. Et ibidem: Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere quàm vri. Ita solent hæretici scripturam truncatim pro arbitrio suo proferre, non animaduersis antecedenti-

antecedentibus & consequentibus. PAulus enim illo capite, vt Græci & Latini docent, & ex ipsis scriptis Pauli colligere licet, ad tria quęsita Corinthiorum respondet. Vnum, num post fidem acceptam continere deberent, & vxores relinquere, quod pseudoapostoli suadebant. Deinde, num virgines suas matrimonio collocare possent, demum, si duorũ ethnicorum altero conuerso, alter infidelis remaneret, num conuersus ab infideli discedere posset.

Ad primum itaq; Paulus respondens ait: Bonum est homini mulierẽ non tangere, hoc est, egregia res esset, si prorsus ab vxoris contubernio abstinere vir posset, citra omne periculum, propter fornicationem tamen vitandam, inquit, vnusquisq; vxorem suam habeat, Græcè ἐχέτω. id est, non relinquat, sed illi adhæreat, illa vtatur. Vnde Hieronymus aduersus Iouinianum lib: i. explicans hunc locum ait: non dixit vnusquisq; propter fornicationem ducat vxorem, sed vnusquisq; vxorem suam habeat, suam, inquit, habeat, sua vtatur, quam habebat antequam crederet. Et Chrysostomus sic explicat, habeat, id est, vtatur sua. Similiter exponunt hunc locum Tertullianus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, & cæteri orthodoxi. Quòd autem PAulus illic loquatur de ijs, qui in matrimonio sunt deprehensi, cum fidem susciperent, indicãt verba Pauli ibidem. Nolite, inquit, fraudare inuicem, id est, nolite debitum negare. Nam quam fraudaret, qui vxorem non duxit? Illud autem: si non se continent, nu-

Tertul: lib. de exhortatione castitatis.

Epiph: hæres. lxxviij.

 bant, me-

bant, melius est nubere quàm vri, ad secundum quæsitum pertinent, de qua re verbosius, vbi de monachatu tractauimus, scripsimus. Verbum autem vri, quod apud apostolum ponitur, non est tentari, vt aduersarij falso intelligunt, sed magis tentationi succumbere. Vri (inquit Ambrosius, tractans hunc locum apostoli) est desyderijs agi ac vinci. Ne vincamur autem in nostra potestate est, per dei gratiam. Quod rectè intelligens Augustinus, super verbo illo apostoli: Vnusquisq; proprium donum habet à deo, vn9 quidem sic, alius verò sic. Vnusquisq;, inquit, iuxta votum suũ donum dei habet, vt si velit ipsius dei nutu possibilitatem consequatur. Est igitur in potestate nostra per gratiam dei non vri. Vnde & PAVlus voti castitatis meminit ad Corinth: & ad Timoth. Non rectè igitur prædictum caput PAVli ad connubium sacerdotum post consecrationem vel monacharũ isti detorquent. Nam quorsum Paulus alibi dixisset, damnationem habituras viduas, quòd primam fidem irritam fecerint, dum nubere vellent? de qua re alibi disseruimus. *i Tim. v.*

Tertius locus est i ad Timot: 3, & ad Titum 1. Vbi apostolus ait, episcopum debere esse vnius vxoris virum. Sed neq; hic locus adigit ad iugum matrimonij episcopos et sacerdotes. Nam hoc, ait Paulus, vt Chrysostomus & AMbrosius inquiunt, & cæteri, ne assumatur, qui alteram vxori mortuæ superinduxerit, q illud suspitione incontinentię non careat. Quòd si cõmodũ inueniatur à seculi hominibus eligere, assumatũ qui fami-

qui familiam benè regere nouit, olim enim crescente ecclesia, cum idoneorum huic dignitati raritas erat, vxorati ad episcopatum accipiebantur. Vult enim Hieronymus si assumantur vxorati, post modum abstinere ab vxoribus, neq; enim vt omnes testantur Græci, vnquam post adeptum sacerdotium vxores duxere. Et Græca scholia sic habent hoc loco: vnius vxoris virum, non hoc iubet, sed si ex secularibus assumi contingat, vt ne sit digamus. Verumtamen sic se contineat, ad episcopatum vocatus, vt illud impleat, qui habẽt vxores, sint tanquam non habentes. Ita scholia Græca. Itaq; Paulus hoc loco non adigit ad iugum matrimonij episcopos, sed bigamos ab episcopi dignitate arcet, quòd qui vnica vxore non esset contentus, argumentum præstitit incontinentiæ.

Aduersarij aiunt impudenter, digamum hic apostolo dici, non qui successiuè plures vxores habuit, sed qui plures simul habet. Ita suis sacerdotibus permittũt etiam decies nubere, si ita res tulerit. Cæterum nulli vnquam Christiano ab initio licuit, plures simul vxores habere, immo nec Romanis legibus, quibus viuebant tum illi, quibus per Timotheum & Titum præscribit legem sacerdotij & diaconij, quamuis ethnicis licita aut vsitata fuerat digamia, aut polygamia eiusmodi, quam hi comminiscuntur, & antiqua poligamię patriarcharum, (quæ pro tempore multiplicandi dei populi causa promissa fuerat, & regibus qui successioni, ac perpetuationi regni, in familia sua studebant) *Expositio aduersariorũ loci Pauli, impia et inepta.* *i Timo: v.*

exempla: etiam apud Iudæos iam tum desueuisse indubitatum est, quorum nullum intra ducentos, trecentos & eo amplius ante Christum annos, nec ex historia sacra, & vlla scriptorum, cuius sit aliqua autoritas proferri possit, adeò vt ne sterili quidem Zacharias superinduxerit alteram.

Quin & ipsius mentem aduersarijs contrariam esse manifestissimè indicat locus apostoli ad Timotheum, vbi præcipit viduam esse debere vnius viri vxorem, quæ ad ministerium ecclesiæ eligenda erat, & eleemosynę ecclesiæ alenda. Nam si, vt isti putant, vnius vxoris viri sunt Paulo, quando de sacerdotibus loquitur, qui simul non nisi vnam vxorem habent, aut habuerunt: eadem ratione vnius viri vxores erunt eidem, quando de viduis loquitur, quales velit eligi ac suscipi ad hospitalitatis publicum ministerium, quæ simul non nisi vnum virum habuerunt, etiamsi decem habuissent successiuè. At cum nunquam fando auditum sit, vt quæ mulier simul duorum virorum vxor esset, frustra & ridiculè cauisset, ne eligeretur huiusmodi, qualis ab initio non fuit, nec vnquam futura est. Quare vt hic vnius viri vxor apostolo est quę bis nupta non est, ita illic vxoris vir, qui semel tantum vxorem duxit. Vnde apud Græcos cæterosq; vniuersos, qui à Gręca adhuc pendent ecclesia, is mos obseruatur, vt hi qui mariti sunt admittantur ad sacerdotium, sed qui semel tantum, eamq; virginem vxorem duxerant. Quodsi cuius, quam antea accepit, vxor obierit, illum

reliquum

reliquum vitæ tempus in sacerdotio cœlibem viuere oportet, æque & relicta sacerdotis post mortem viri, non potest nubere alteri, sed cogitur cum deo dicatis, et religiosis mulieribus in monasterio viuere.

Episcopi autem apud eos nulli eliguntur, nisi ex monasterijs castitatem professi. Quodsi qui inueniantur apud illos mariti fuisse episcopi, ijs aut vxorem iã dudum obijsse, vel communi voto cœlibatum eos coluisse, nihil dubitandum est. Ex apostolica igitur traditione in vniuersam hoc ecclesiam receptum extitit, ne sacerdotibus & altaris ministris liceret vxores ducere: tametsi ante contracto vti sinerentur matrimonio.

Qui igitur hoc tribuunt partim Calixto papę, partim Syricio, partim alijs, falluntur, nam etsi eorum decreta hac de re extent, magis tamen id exactum in illis, quam constitutum decretumq; fuisse intelligendũ est. Vnde in decreto quod citatur 27 distinctione. Calixtus ostendens se non autorem & exactorem eiusdem fuisse. Iuxta, inquit, sacrorum canonum definitionem, non quos ipse fecit, sed quos inuenit. Inijt autem Calixtus pontificatum Romanæ ecclesię circiter annum domini ducentesimum, & martyrio coronatus. Syricius verò circiter annum domini trecẽtesimum octogesimum, hic damnauit Iouinianum ex professo hostem continentiæ,

Iouinianus.

qui inter vitam cœlibem & coniugalem apud deum nullam esse differentiam dixerat, suáq; doctrina plurimos sacerdotũ ex vita cœlibi pellexerat,

lexerat,

lexerat, & exemplo sacerdotum veteris legis persuase=rat vxores ducere. Extat ea de re beati Syricij ad Mediolaneñ ecclesiam (cui tam beatus Ambrosius præsidebat episcopus) epistola, cui diuus Ambrosius cum cæteris episcopis subscripsit, contra eundem Iouinianum scripsit diuus Hieronymus.

Romana & occidentalis ecclesia animaduertẽs prędictam ordinatiõem apostolicã plus in recessu, quàm in superficie habere, & illo decreto, quamuis in illo principio, & in ea fidelium raritate, satis innuisse sacrum spiritum, quid expeteret in ministris sacri altaris, & sacerdotibus, nempe continentiam in omnibus perpetuam, data electionis copia, velut intentioni statuentis, quam verbis magis satisfacere cupiens, maiorem puritatem, à suis sacerdotibus & altaris ministris exegit atq; edixit, vt nec mariti eligerentur, ad præfatos ecclesiastici ordinis gradus, nisi obligatione continentiæ, à proprijs coniugibus, quam continentiam sacerdotibus, immo & diaconibus necessariam esse innuit apostolus, cum episcopos bigamos arcet ab episcopatu, vt ante ostensum est, diaconos item à ministerio.

Hoc autem mox factum fuisse ab initio testatur beati VRBani decretum, quod citatur 32 distinctione. Floruit autem hic Vrbanus circiter annum domini ducentesimum. Lucij item martyris, qui beato Cornelio succesit, cuius decretum citatur 81 distinctione. et conciliorum quorundam decreta, quæ apud Gratianum ci-

tianum citantur.

Neq; solum in Romana, & occidentali, sed etiam ab vniuersa Africana ecclesia, obseruatum fuit, vt non solum nubere illis non liceret, sed nec vti matrimonio contracto ante assumptum ministerium, indicant concilia Carthaginensia. In primo enim concilio hoc decretum legitur: Placuit episcopos, presbyteros, diaconos & subdiaconos secundum priora instituta etiã abstinere à proprijs vxoribus, quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur officio. citatur à GRAtiano 32 distinctione. Et in secundo concilio similia habentur, quæ citantur à Gratiano, partim 31 distinct: cap: episcopos, partim 84 C. Cum in præterito. Vbi docetur nihil tunc in ea re decretum fuisse noui, sed tãtum exacta antiqua traditio, quam ab apostolorum doctrina affirmant traxisse originem.

Concilium sextum generale Constantinopolitanũ canon: 13, qui habetur distinct: 31 decreuit, vt diaconi et sacerdotes tempore oblatiõis tantum abstinerent à complexu suarum vxorum, quasi corrigens, vt ibidem dicitur, quod ea de re fit in ecclesia Romana. Et canon 30 eiusdem concilij tradit, sacerdotes barbaricos, cum ordinantur, vxores relinquere posse. Duodecimus item canon prædicti concilij, prohibet episcopos, cum proprijs vxoribus habitare post ordinationem, non quòd contra quintum canonem apostolorum, vt ibidem scriptum est, id fiat, qui cauet ne episcopus aut presbyter vxorem propriam, sub obtenta religionis

religionis abijciat: Sed vt status ecclesiasticus, in ordinem pulchriorem proueheatur, quin apostoli, vt ibidem docetur, cum fides inciperet, ad fidelium imbecillitatem se magis demittebant, cum autē euangelij prædicatio sit magis ampliata, oportet & pōtifices ad perfectam continentiam vitam suam dirigere ne status ecclesiasticos, vllo probro afficiatur, ita concilium, cuius etiam canon 48 est, vt vxor episcopi post eius ordinationem, monasterium ingrediatur. Cum igitur hęc orientalis ecclesia per synodum decreuerit, quomodo ea in re, occidentalis vituperanda est? Eadem continentiæ lex à sanctissimis, & doctissimis patribus probata est, velut ex institutione diuina & apostolica.

ORIGEnes PAVLI locum tractans, quo docet coniuges abstinere subinde à carnis commertio, vt vacent orationi. Certum est, inquit, impediri sacrificium iuge, aut indesinens, ijs qui necessitatibus coniugalibus inseruiunt. Vnde non videtur, quòd illius solius est offerre sacrificium indesinens, qui in desinenti, & perpetuæ se castitati deuouerit. Ita quoq; diuus Ambrosius. Si plebeis, inquit, hominibus orationis causa ad tempus abstinere præcepit apostolus vt vacent orationi, quanto magis Leuitis & sacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe sibi commissa orare oportet? Ita & orthodoxus ille Hieronymus, aduersus Iouinianum, aduersus quem lib: i, ex verbis Pauli ratiocinatur. Si laicus & quicunq; fidelis dignè orare non potest, nisi abstineat officio coniugali: sacerdoti cui semper pro

officio offe-

officio offerenda sunt sacrificia, semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus & vinum atq; siceram non bibebant, quę libidinem solent prouocare.

Obijcienti autem de Petro, & alijs plerisq; apostolorum, qui vxores habuisse leguntur, respondet eosdē habuisse quidem vxores, sed quas acceperant eo tempore, quo euangelium nesciebant, qui assumpti postea in apostolatum, reliquerunt coniugale officium. hæc ille.

Cui non dissilia scribit beatus Innocentius ad Exuperium Tholosanum episcopum. Nam cum, inquit, et veteribus illis durāte ministerij sui tempore necesse fuerit contineri etiam ab vxoribus proprijs, tametsi ad sacerdotij successionem necessario vterentur coniugio, nec satis mundos dignosq; habuit etiam lex illa carnalior, ad obeunda diuini cultus, & sacri altaris, quamuis vmbratica ministeria, qui non abstinuissent etiam proprijs vxoribus: quanto magis dicet nostros sacerdotes & Leuitas pudicitiam ex ordinationis suæ die seruare, quibus & sacerdotium, & ministerium sine successione est. Nec præterit dies qua vel à sacrificijs diuinis, non illis vmbraticis taurorum, hircorum, vitulorum, sed hic sacrosanctis tremendisq; corporis, et sanguinis domini nostri IesuChristi tractandis mysterijs, vel baptismatis, conferendi vacent officio. hæc ille.

In summa his vniuersa antiquitas consonat, & testimonium perhibet, nunquam licuisse sacerdotibus et altaris ministris diaconibus vxores ducere, idq; ex institutione apostolica, vt ostendimus, & quod in Latina occidentali, & Africana ecclesia nec mariti quidem vnquam assumpti fuerint ad grad9 sacri ordinis, nisi sub sponsione perpetuę continentię etiam ab vxoribus proprijs.

Non desunt tamen, qui contrarium sentiãt, imprudenter affirmantes legem de cœlibatu sacerdotum, & ministrorum altaris aduersari decretis synodalibus, licereq; sacerdotibus nubere, ad quod probandum afferunt decretum Ancyranę synodi, quod sic habet: Diaconi quicunq; cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicẽtes, velle se habere vxores, nec posse se continere hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his episcopus licentiam dederit. Quicunq; sanè tacuerunt, et susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt. Ita decretum, quod etiam à Gratiano distinct: 28. citatur. Ex quo illa quæ aduersarij volunt, probari non posse, quisq; animaduertere potest, loquitur enim hic non de sacerdotibus, sed de diaconis tantum, qui expressè protestati sunt suę ordinationis tempore, q; continentiæ obligari noluerunt nec abdicare libertatem contrahendi matrimonij, qua permissa, si ecclesia opus haberet, & vti vellet, eorum ministerio, altari seruirent.

Producunt item beati Stephani Papæ rescriptum, quod citatur 31 distin. Aliter se habet, inquit Stephanus, orientalium traditio ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanę ecclesiæ. Nam eorum sacerdotes diaconi, & subdiaconi matrimonio copulantur. Ita Stephanus. Vbi ex verbo hoc copulantur, affirmant in Græcanica ecclesia licuisse, & vsitatum fuisse sacerdotibus nubere, etiam quotiescunq; voluerint: modo simul nõ nisi vnam vxorem haberent. Quasi verò matrimonij vinculo non copulentur vir & vxor: quamdiu viuũt vterq;, & constat inter ipsos matrimonium. Et expositor GRAtiani, copulantur exponit, id est copulato vtuntur. Certè si ita vt illi interpretantur, beati Stephani dicta accipienda essent, Pauli apostoli sententię, et apostolicę traditioni (de qua ante disseruimus) contrauenirent.

Quin etiam si Pauli dictum de monogamis episcopis (de quo superius egimus) ad istorum mentem exponendum est, licebit laicis Christianis, plures habere vxores, quod an rectum erit, ipsi viderint.

Proferunt item commentatorem in distinctionem 84. qui affirmat aliquos sensisse q; sacerdotes poterant contrahere matrimonium ante Syricij tempora, quasi ipse primus hanc legem tulerit, quod ex canonib9 ante citatis manifestissimè falsum esse colligitur.

De Niceno concilio quod adducunt, eo non infirmant sententiam nostram, sed confirmant, in quo cum tractaretur, vt morem Romanę, occidentalis, & Africanæ eccle-

canæ ecclesiæ de absoluta sacerdotum,& altaris ministrorum continentia etiam ab vxoribus proprijs,quas ante susceptum gradum & consecratiōem habuissent, vniuersaliter introducerent,& iam in eam partem inclinassent patrum sententię:nisi Paphnutius episcopus Aegypti cœlebs ipse contradixisset,ea pręcipuè ratione,ne ipsis, aut eorum vxoribus occasio ea fornicationis existeret: Hoc disertè explicat Sozomenes docens quæstionem tantum fuisse de coniugibus, quas ante consecrationem duxerant,eo locutionis genere clarissimè significans, ne tunc vllos fuisse, qui iam sacerdotes vxores duxissent aduersus apostolorum decretum, de quo superius tractauimus. Quod isti expendant, qui post consecrationem vxores ducunt, dicentes: satius esse vxore propria vti,quàm scortari. Verum cū hoc factum sacerdotum non sit bonum,vt patet ex his quę et hic & de monachatu scripsimus,non probandū est,immo fugiendum,aduersus hanc scabiem,quæ deformat ecclesiæ faciem,alio remedio opus erat. Restituenda erat publica disciplina ecclesiæ,restituenda sua forma,suus vigor hierarchiæ ecclesiasticæ, quæ super illam vigilet,iuxta constitutiones ecclesiæ, & scripturæ diuinæ. Incontinentes ad alia suæ incontinentiæ pharmaca manum extendere cogendi essent.

Orige: homil: ix in Leuit. Qualia inter cęteros inculcat Origenes. Non auditis, inquit, ex diuinis scripturis quia certamen est inter homines carni aduersus spiritum,& spiritui aduersus carnem? nescitis quia si solam carnē nutriatis,& ipsam frequenti mollicie, & iugi deliciarum fluxu foueatis, insolescat necessario aduersus spiritum, & fortior illo efficiatur? Quod si fiat, sine dubio eum in suam ditionem redactum,suis coget legibus,& vitijs obedire. Si verò ad ecclesiam frequenter veniens, aurem literis diuinis admoueas,explanationemq́ꝫ mandatorum cœlestium capias, sicut cibis & delicijs caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, & sensibus & cupiditatibꝰ robustior effectus,carnem sibi parere coget,ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt,diuina lectio,orationes asiduæ,sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis,nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere: quia volumus, sed non possumus,voluimus continenter viuere, sed carnis infirmitate decipimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carni tuę,tu eam aduersus spiritum tuum armas,& potentem facis, cum eam carnibus facias,vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. Adhæc & eiusmodi remedia vtinam, quibus dictum est,cogerētur manum adhibere sacerdotes,qui ob carnis lasciuiam dicant se non posse continenter viuere. Quodsi cuius vxor graui prolixaq́ꝫ,eaq́ꝫ tali ægritudine teneretur, vt cum ea vir iuuenis, & natura salax, non posit habere carnis commertium, iam huic licere dicent aduersarij,ob fornicationem vitandam secūdam vxorem accipere cōmertio carnis idoneam? credo,vt est dementia,qua putant licere vni plures simul

vxores

vxores habere, vt ante ostendimus, quod tamen nimis impudenter dissentit ab orthodoxa veritate, & communi catholicæ ecclesiæ indubitata, & certissima sententia. Si autem huic non licet ob fornicationem vitandam adulterium committere, quo eidem aduersus fornicationem, necessario quærenda forent remedia alia, ad ea etiam ij qui deo se consecrarunt, ac deuouerunt, confugiant. In coniugali vinculo (inquit Augustinus) si pudicitia seruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali continentia, & virginali excellentia, virtus muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa, & voto deo oblata, iam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam vt hoc demonstraret apostolus, non ait: cum in delicijs egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt, habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. De eo superius, vbi de monachatu egimus.

Neque solum fornicatio sacerdotibus fugienda, sicuti et cæteris Christianis, sed etiam omnis impietas, & secularia desyderia, quæ, iuxta præceptum diui Pauli, abnegantes sobriè & iustè, et piè omnibus viuendum in hoc seculo. Quo igitur modo illa fugient, vt promissioni in baptismo per eos satisfiat, ita & fornicationem. Eius promissionis in baptismo factæ nouatores religionis obliti, quamuis plurimis vitijs madeant, & ad omne opus bonum sint reprobi, voluptatumque magis amatores sint, quàm dei. Optimos tamen se putant Christianos

Titum: ij.

Christianos esse, si sacerdotes eorum vxores ducant, fidemque suam informem iactent, & ecclesiæ autoritate contempta, pro sua libidine viuant. Atqui hoc est, cōfiteri se nosse deum, factis verò negare, formam pietatis habere, virtutem autem eius abnegare, quod futurum nouissimis temporibus apostolus prędixerat, immo iuxta dictum Christi publicanum & peccatorem. Quodsi cui non placet cœlebs sacerdotium, ducat vxorem, cum nemo illum cogit sacerdotem fieri, immo inuitum obligare continentiæ perpetuæ. Abstineat ergo sacerdotio, quod nouit eiusmodi conditionem connexam habere, cui si se vltro subdit & ingerit, quid habet, quocum, quàm secum expostulet?

Titum: I. ij Tim: iij.

Sed inquies volo sacerdos esse, & vxorem ducere. Electionis est hoc ecclesiæ, an te sacerdotem velit, non tui arbitrij. Non vult autem, nisi velis, vitam cœlibem agere, & in cæteris etiam sacerdotio dignus sis. Dices matrimonium esse à deo institutum, & sacramentum esse. Non nego id quidem. Sed & castitas à CHRisto laudata, & scripturis diuinis matrimonio prælata est, quam cum sacerdotes se seruaturos vouent: hoc votū scripturis diuinis approbatum (vt ante ostendimus) infringere non debent. Alioqui damnationem habituri essent, quia primam fidem irritam fecerunt, vt Paulus ait de viduis loquens, quę voto castitatem deo obtulerant. Addes fortasse sacerdotes non debere hoc voto obligari, sed vxores ducere, munusque sacerdotij obire, proferens sacerdotes veteris legis, & Paulum, qui vult

qui vult esse episcopum vnius vxoris virum, quo innuere videtur, matrimonium rebus sacris peragendis nõ obstare. hęc obiectio in prędictis soluta est. Et diuus Hieronymus contra Iouinianum, qui pro suo dogmate episcoporum, ac cæterorum sacerdotum matrimonia allegauerat ex Paulo, huic obiectioni respõdet. Sed & ipsa, inquit, episcopalis electio mecum facit, non enim dicit eligatur episcopus, qui vnam habuerit vxorem, & filios faciat. Sed qui vnam habuerit vxorẽ, & filios subditos in disciplina. Certè confiteris nõ posse esse episcopum qui in episcopatu filios faciat, alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur, aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines, quod mariti, aut si sacerdotibus non licet tangere vxores, in eo sancti sunt, quòd imitantur pudicitiam. Ex cuius verbis colligere licet, eum morem fuisse totius ecclesiæ tam vetustum, tam receptum, vt ex eo tanquam ex re, quæ etiam ab ipso aduersario negare non poterat, ostendit ecclesiam semper cœlibatum coniugio prætulisse, adeoq; decreuisse, vt sacerdotes aut eligerentur cœlibes, aut electi fierẽt, id quod et ipse Paulus innuit, cum bigamum ab episcopi dignitate arcet, scilicet propter signũ incontinentię, vt ostensum est.

Non prætermittenda hic mihi videtur istorum calumnia. Qui affirmant decretis canonicis præcipi, vt qui vxorem non habet, habeat concubinam. Quamuis autem in rubro, vt vocant, ita scriptum sit, tamen ab impru-

dente quodam id factum. Nam & caput 17, concilij Toletani, cui is Titulus prefixus est, diuersum docet quod quidem sic habet: Si quis habens vxorem fidelem, si concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non reppellatur, tantum vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinę (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus, alias verò viuens abijciatur, donec desinat & ad pœnitentiam reuertatur. ita concilium. Quin & concubina hoc loco intelligenda, vt ibidem docetur, quæ cessantibus legalibus instrumentis vnita est, & coniugali affectu asciscitur, hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat. Et ab eodẽ Palea ibidẽ citatur Augustinus qui ait: concubinas non licet habere vobis, etsi non habeatis vxores. Præterea cauetur decretis, vt nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinã indubitanter habere, aut superintroductam mulierẽ. Porro superintroductas mulieres CHrysostomus in sermone πρὸς τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους, hoc est, ad habentes subintroductas, demonstrat eas esse quæ neq; vxores sunt, neq; concubinæ, sed tertium quoddam genus qui sic inquit: Sunt quidam qui puellas innuptas absq; hoc quod opus nuptiarum cum illis exerceant, ducentes domi perpetuo collocant, & vsq; ad supremam senectam secum inclusas tenent, non liberorum procreandorum gratia. Neq; enim aiunt se rem cum illis habere, neq; causa libidinis, siquidem illas se dicunt

Palea.

dist: xxxij.

incorruptas inuiolatasq; seruare. Porro qui huiusmodi virgines in domos suas asciscebant, tales prætexebãt causas, quod videlicet opus esset puellis patrono aliquo aduersus maleuolos, cum maritos non haberent, aut tutores, parentibus etiam sæpe ac fratribus destitutæ. Præterea muliebrem sexum, vel maximè egere subleuatione aliqua, cum ipse potius ad voluptatem spectarent, quæ ex cõuictu mulieris nascitur. Has causas pulchrè refellit CHRysostomus & dehortatur penitus à consuetudine talium mulierum, cum propter offendiculum aliorum, tum ob paratam ad peccandum occasionem. Non pugnant autem sacerdotium & matrimonium, sed pugnant reddere debitum vxori, & reddere debitum deo iuge sacrificiũ offerendo, quod quidem debitum non solum nunc, sed & olim in orientali ecclesia etiam cui per vxorem fuerat remissum, ei fuisse licitum sacerdotio fungi, id quod ex diuo Hieronymo contra Vigilantium cognosci potest. Proh nefas episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen episcopi sunt nominandi, qui non ordinant diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiã, immo ostendẽtes quàm sanctè viuãt, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes viderint vxores clericorum, infantes de vlnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient orientis ecclesiæ, quid Aegypti, & sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini frena permittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia ferueścit, suis hortatibus duplicans, immo extinguent coitu fœminarum: vt nihil sit quo distemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus scriptum: Equi insaniẽtes in fœminas facti sunt. Ante vnusquisq; in vxorẽ proximi hinniebat, hoc est, quod loquitur Dauid: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. hæc Hieronymus.

Idem scribit SOCrates Græcus tripartita histo: Si quis, inquit, in Thesalonia clericus factus cum vxore, quam ante clericatum legittimè duxit, dormierit, abdicator, cum omnes qui præclari sunt, in oriente abstineant, præcipuè verò Thessalonia Macedonia & Helade.

Et EPIPHAnius contra Catharos cum citasset illa verba Pauli, oportet episcopum esse irreprehensibilẽ, vnius vxoris virum, ait: Reuera non suscepit sancta dei prædicatio post CHristi aduentum eos, qui à nuptijs mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certè sancta dei ecclesia cum synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, diaconũ et presbyterum, & episcopum, & hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi, inquit idem Epiphanius. Omnino in quibusdã locis ad-

Digamiatio.

locis adhuc liberos gignere, presbyteros & diaconos, et hypodiaconos. At hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem cum non inuenitur ministerium. Nam quod decentius est, id semper ecclesia per spiritum sanctum benè disposita, videns statuit apparare, vt cultus diuini indistracti deo perficerentur, & spirituales necessitates, cum omni beniuola conscientia peragerentur. Dico autem quòd decorum est, propter repentina ministeria ac necessitates, vt presbyter, et diaconus, & episcopus deo deditus sit. Si enim etiam populo præcipit sanctus apostolus dicens: vt ad tempus vacent orationi: quanto magis sacerdoti idē præcipit? vt indistractus sit inquam ad vacandum secundum deum sacerdotio, quod in spiritualibus necessitatibus ac vsibus perficitur. hæc Epiphanius.

DE MATRIMONIO.



VI MATRIMONIVM SAcramentum esse negant, apostolo contrauenient, qui matrimonio nomen sacramēti tribuit: Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem, & matrem, et adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Chro

Ephe: v.

et in ecclesia, id est, sub hac matrimonij institutione mysticè Christi & ecclesiæ, latet vnanimis & indissolubilis coniunctio. Sicut enim patrem & matrem relinquit homo, vt vxori adhæreat, sic quodam modo patrem homo factus, dereliquit Christus, sicut ipse ait: Exiui à patre & veni in mundum, non per desertionē diuinitatis, sed humanitatis assumptionem, & matrem synagogam, cui quatenus Iudæus suberat, dereliquit, vt vxori suæ, id est, ecclesiæ gentiū adhæreret. Si itaq; matrimonium referatur ad mysterium Christi, & ecclesiæ signum est non tam efficax rei, cuius imaginem gerit. Sin verò ad politicam conuentionem verba illa contrahentium referantur, longè absunt à sacramenti ratione, tum quòd nō sint sacræ rei signum, tum quòd non sint de numero illorum, quæ etiam si non sunt signa, bona tamen sunt & digna, quę euangelio probentur, vtpote mutuo consensu conciliantia, qua sunt natura coniugibilia, virum scz. & fœminam, inter quos coniugium contrahitur. Est tamen aliquid in matrimonio CHristiano, ad quod naturæ leges non attingunt, nec Mosaica lex vnquam præscripsit, & hoc est, propter quod matrimonium sacramenti ratiōem potest habere, quia sola Christi institutione verba contrahentium illud significant & efficiunt. Est autem hoc tam sacrum fœdus, & arcta coniunctio, vt neutri coniugium liberum sit vtroq; viuente alterum deserere, aut noui coniugij accessione priorem coniugem, vel minima sui iuris (quod par est vtrisq;) portione

fraudare: habet autem matrimonium suas promissio-nes, non tantum ad vitam corporalem pertinentes, sed etiam gratię dei salutem spectantes. Saluabitur (inquit Paulus apostolus) mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & doctrina, & sanctificatione, cū sobrietate. Hæc autem promissio cum sit salutis, sine gratia dei efficax esse non potest. Vnde alibi ait apostolus, honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, porro carere macula nō potest quispiam, nisi adsit gratia dei.

i Timot: ij.

MATRIMONIVM NON ÆQVANDVM VIRGINITATI.



MATRIMONIVM AEQVARE virginitati, dogma Iouiniani est, olim ab ecclesia damnatum, vt paulo ante diximus. Eo aliud est longè peius recentiorum, qui impudenter affirmant diabolicæ doctrinæ accusandum & damnandum, qui castitatem seruare conetur. Quod falsissimum esse & impium, præter cæteros liquet ex ipso PAVlo apostolo, qui cœlibes præfert coniugibus. Qui, inquit, matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit melius facit. Et paulo post de vidua quæ non nupserit: Beatior autem erit, si sic permanserit secundū meum consilium, puto autem quòd & ego spiritum dei habeam.

i Timot: vij.

dei habeam. Quamuis isti aiunt virginitatem à Paulo laudari, non ideo quòd iustificet, sed quia sit expeditior, & minus distrahitur occupationis rei familiaris in orando, docendo, de quo PAVLus: Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Virgo cogitat, quæ domini sunt. Hanc tamen expositionem alienam esse à mente Pauli, vel ex ipso Paulo colligere licet, cum enim dixisset eodem capite: Nolite fraudare inuicem nisi forte ad tempus, vt vacetis orationi. Et iterū: Reuertimini in idipsum &c̄ subiunxit. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Quæ verba OECumenius Græcus exponens ait: Non enim quemadmodum τὸ non occides, non mœchaberis: sic etiam istud: Nolite fraudare: prę-ceptum aliquod est, neq; qui id perficit laude dignus est, tanquam si legem seruauerit. Ideo secundum indulgentiam (inquit Paulus) hoc dixi infirmitati vestræ condescendens. Præterea ibidem ait virginem esse sanctam corpore & spiritu, quod ad iustificationē pertinet. Et IOannes in apocalypsi ostendit quod-dam glorię decus peculiare virginibus tribui, cum diceret: Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centū quadraginta quatuor millia, qui erupti sunt de terra, hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocunq; ierit. Quin & CHristus ipse dixit, esse eunuchos qui se castrauerunt

Apoc: xiiij.

ſtrauerunt propter regnum cœlorum, ad idq; inuitãs ait: Qui poteſt capere capiat. Et Paulus: Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum, ſczt in continentia, vt exponit Theodorit9 Græcus. Cum quo ſentit et Oecumenius. Virgo, inquit, erat Paulus, & quum dicat: Volo vnumquemq; eſſe, ſicut ego ſum, intelligit manere virginem. Porro ſentire Chriſtum, aut Paulum ad diabolicam doctrinam homines inuocaſſe, ſummæ impietatis cenſendum eſt.

Proferunt iſti locum Pauli ad Philippen: 4. Rogo et te germana compar. Ex quo colligunt Paulo fuiſſe vxorem. Id & ſanctus Clemens affirmat, citans hunc locum Pauli, vt Euſebius refert, cui conſentit beatus Ignatius in epiſtola ad Philippen: Theophilactus tamen diuerſum ſentit, affirmãs ſi de vxore intellexiſſet Paulus cum diceret: γνήσιε σύζυγε, id eſt, germane compar, vtrunq; genere fœminino poſuiſſet. Sed contra Theophilactum inſtant quidam affirmantes apud Græcos more Attico genus maſculinum pro fœminino poni. Cum Theophilacto ſentiunt alij non pauci Græci & Latini. Sed eſto ſane quod Paulus habuerit vxorem, conſtat tamen eum illam non circumduxiſſe, nec eius commmertio vſum, vt ad prædicationem euangelij expeditior eſſet. Alioqui cur ad Corinthios ſcripſit: velim omnes homines eſſe, ſicut ego ſum. Quę quidem verba Pauli de continentia intelliguntur, vt proximè diximus, & ex contextu epiſtolæ liquet.

Euſeb. lib: iij cap: xxx. ecleſia: hiſtor.

Iam quod iſti probare volentes virginitatem non

eſſe mundiciem aut ſanctitatem magis quàm coniugium. Producunt Paulum affirmantem ſanctificari virum in coniugio, propter vxorem fidelem, ineptiunt: loquitur enim Paulus de illo genere ſanctitatis & mũdiciei, quod ſecuram reddit vxorẽ, ne infidelis & idololatræ viri cohabitatione ſe pollutam & immundam exiſtimet. Qui etiam eodem capite aliam ſanctitatem veriorem, nempe corporis & animi tribuit virginib9, et innuptis, quàm coniugium. Præterea afferunt canones concilij Gangrenſis. vnum: Si quis ex his qui virginitatem propter dominum ſeruãt, extollitur aduerſus coniugatos, anathema ſit. Cæterum hoc canone ſuperbia tantum virginum reprimitur, non damnatur virginitas, aut eius votum, quod in eodem concilio laudatur. De ſecundo canone diximus, de monachatu tractantes,

Auguſtinum item de bono coniugali capit: 12, qui non audet virginitatem Baptiſtæ, præferre coniugio Abrahę, atqui Auguſtinus res ipſas inter ſe apertè docet diferre, non perſonas. Nam ponit ABRahamum non minorẽ caſtitatem in animo habuiſſe, ſed dei iuſſu contraxiſſe, quàm Ioannes, qui eius etiam ordinationi non contradixit. Vnde capi: 23 eiuſdem libri ſic ait: Res ergo ipſas ſi comparemus, nullo modo dubitandum, meliorem eſſe caſtitatem continentiæ, quam caſtitatem nuptialem, cum tamen vtrunq; ſit bonum, homines verò cum comparamus, ille eſt melior qui bonum aliquod amplius quàm alius habet. Iam &

canon concilij Gangrensis, quem isti pro se adducunt, non facit pro illis, canon sic habet: Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, & despicit eos, qui cum reuerentia birris & alijs communibus, & solitis vtuntur: anathema sit. Cæterum hoc nō de castitate, sed veste tantum dicitur. Nam in eodem concilio laudatur virginitas, cum humilitate, & continentia, quæ cum castitate & religione suscipitur, approbatur. Neq; vestis sed abusus eius damnatur, vt ex verbis canonis liquet, & ex eodem concilio. Nam ibidem scriptum est: habitum simplicem ac vestem viliorem pro corporis diligentia infucatum laudamus. Sicut etiam solutas ac fractas in vestibus processiones reprobamus.

Cucullæ mentionem facit D. Ambrosius sermone 94 de baptismo Augustini. Nouum Christianum, inquit, hoc est, Augustinum, nouis vestimentis, cuculla nigra induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus. Et Hieronymus in vita Hilarionis Eremitæ. Omnes, inquit, diuitias ei derelinquens, euangelium scilicet, & tunicam sacceam cucullam & pallio-lum.

DE EXTREMA VNCTIONE.



Extrema




EXTREMA VNCTIO, QVÆ IN extrema desperataq; humanitus ęgritudine, pro ægrotantis spirituali inprimis salute, deinde etiam corporali. Vbi eandem illi expedire dominus iudicauerit, adhibetur fidelibus, à catholica ecclesia inter sacramenta cōnumeratur, astruiturq; ex cap: 6 Marci, vbi dicitur de apostolis: Exeūtes vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. Non erant medici apostoli vt vnctionibus, aut malagmis curarent, quod in nomine Christi Iesu poterant solo verbo sanare, quod & sæpius fecerunt, sed voluit CHristus huiusmodi miraculis commendari hominibus vnctionem, quę futura erat postea symbolum gratiæ. Item ex epistola Iacobi: Infirmatur quis in vobis, inquit ille, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, ea oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eū dominus, etsi in peccatis sit remittentur ei. Ita Iacobus. Vbi cernis signum sensibile, & effectum diuinæ in nobis operationis gratiam. Huius sacramenti mentio est apud Tertullianum ad Scapulam præsidem Carthaginensem, apud CHRYsostomum lib: iij de sacerdotio, Theophilactum cæterosq; orthodoxos.

Hæc quam descripsimus, fuit CHristi fidelium orthodoxorum toto orbe de sacramētis septem nouæ legis fides, & erga eadem pia religiosaq; obseruatio.

 De nume-

DE NVMERO SACRAMENTORVM.



NOVATORES RELIGIONIS tantum tria sacramenta esse aiũt, baptismum, cœnam domini, absolutionem, tametsi nec his omnes conueniunt, sed quidam eorum duo tantum priora sacramenta percipiunt. Quodsi illi, vt solent, ea tantum credunt, & tenent, quę in scripturis canonicis expresse habentur: certè & hæc duo illis sacramenta non erũt, nusq; enim in scripturis sacris expresse scriptum extat vbi hæc duo sacramenta vocentur. Quin hac ratione matrimonium censendum esset sacramentum, quod illi hoc nomen tribuat Paulus apostolus, vt ante ostẽdimus. Id tamen isti inter sacramenta non connumerant. Si itaq; isti sua autoritate illa quatuor septem expungunt ex albo, nunquid præ illorum autoritate apud pios non præualebit ecclesiæ autoritas? quam nos et ipsi se credere fatentur.

Augu: de doctri: christia. lib: iij, cap: ix. epist: cxviij.

Non desunt qui Augustinum proferant, quòd de doctrina Christiana dicit, ipsum dominum, & apostolicam disciplinam tradidisse pauca quædam signa, hoc est, sacramenta pro multis (veteris legis scilicet) eademq; factu facilima, & intellectu angustissima, & obseruatione castissima, sicuti est baptismi sacramentum, et celebratio corporis domini. Cęterum id propterea ab Augustino dictum opinor, non quòd reliqua non censuisset

censuisset esse sacramenta, nam alia præter hæc duo sacramenta nominat, vt ostendimus, eorumq; exempla & testimonia, ex literis sacris, & scriptoribus grauissimis produximus, sed propterea, quòd ea in singulis necessario ad salutem requirantur, præsertim baptismus, cætera non item, maximè si necessitate summa quispiam sine cõtemptu illis caruerit, tum ꝙ inter initia nascentis ecclesię, cum nondum omnia erant ordinata hæc inprimis exigebantur.

Definitio sacramentorũ.

Adhæc quasi sacramentorum definitio vetus illis non placeat, docet sacramẽta esse ritus qui habent mãdatum dei, & quibus addita sit promissio gratiæ. Atqui hoc modo (vt ipsi sui quasi obliti, suam definitionem euertentes aiunt, oratio, eleemosynæ, & alia id genus, quæ signa sunt, quibus deus promissiones addidit, quæ tamen inter sacramenta, & ipsi soli non connumerant.

Aug: cap: iij, libr: ij, de euchar.

Sacramenta veteris legis negare esse præstantiora sacramentis nouæ legis est contra omnium fidelium sententiam, qui affirmant hæc cõferre gratiam, quam veteris legis sacramẽta promiserant, idq; efficacia passionis Christi, vt Augustinus in psal: 73 docet, & cæteri. Si enim similia essent vetera sacramẽta nouis, quare eis noua superordinanda essent, nulla ratio extaret. Quid hac ratione dignius consuluisset Christus, quam Moyses, filius dei in domo propria, quam seruus in aliena? Si autem vmbram vmbra mutaret, nec compleret, quando vel à quo veritas veteribus sacramentis,

figurata & promissa complenda esset, si ille qui veri-
Hebr. x. tas est, non veritatem, sed vmbram pro vmbra daret?
Sunt autem sacramenta signa eatenus efficatia, quate-
nus illis nunquam deest effectus diuinæ propitiatiõis,
idq; habent non ex se, sed quia is qui promisit, non po-
test fallere, nec committere, vt sacramenti pignore,
quod ipse interposuit, exhibito, quicquid pollicitus est
non præstet.

Vituperant aduersarij sententiã quorundam theo-
logorum, qui opinantur sacramenta ex opere opera-
to, vt dicunt, sine aliquo bono motu animi, in suscipi-
ente conferre gratiam, non ponenti obicem ipsi gra-
tię. Quam opinionem nihil habere incommodi testa-
tur fides, & doctrinæ catholicæ ecclesiæ in paruulorũ
baptismo, quibus sine bono motu cordis seu fide con-
fertur ea gratia, quæ per baptismum significatur, nem-
pe ablutio ab originalis peccati reatu, & remissio da-
mnationis. Quodsi obiecerit quispiam, sacramen-
ti virtutem inniti, totius ecclesię fidei generali vel spe-
ciali, patrinorum, vt vocant. Nihilominus tamen ob-
tinebitur, infantem illum consequi gratiam, sine bono
motu suscipientis ex opere operato sacramenti, hoc
est, non propterea, quod suscipiens quicquam agat er-
ga sacramentum, sed propter id, quod sacramentum
efficit in suscipiente. De opere operato ante diximus.
Præterea hæc opinio theologorum, eatenus suscepta
est ab ecclesia, quatenus cum docet sacramenta confer-
re gratiam ex opere operato, omne meritum excludit
ab efficien-

ab efficientia sacramenti, cuius gratiam non dari no-
bis propter merita nostra, sed propter pactum dei,
quod pepigit per Christum cum ecclesia, ordo theo-
logorum sentit. Quamobrem intentio, aut quiuis aliq
bonus animi motus, etiam dum necessarius est, ad su-
scipientis potius dispositionem pertinet, aut qualitatẽ,
quàm ad sacramenti virtutem & efficaciam. Sed &
aduersariorum quidam, fidem à merito secludunt, nõ
solum in sacramentis, verum etiam in cunctis, quibus
fide intercedente iustificamur, aut quoquo modo me-
remur, dicunt enim fide nos iustificari, quia fides quic-
quam mereatur, sed quia promissio ipsa, qua iustifi-
camur, non potest esse efficax sine fide, vt fidelitas sit
potius conditio suscipientis seu dispositio, quàm eius
rei quæ accipienda est meritum. Theologi vero quã-
uis humana merita alias non euertunt, in sacramento-
rum tamen efficacia quadam, quæ illis est peculiaris,
et propria, nullum locum meritis nostris relinquunt,
quantum ad necessitatem, tametsi docet gratiam ma-
iorem vel minorem in ipsis etiam sacramentis contin-
gere posse suscipienti, quo maiore fide cum pietate ac-
cesserit ad sacramenta: nam si nihil tribuatur meritis
suscipientium sacramenta, non videtur vnde posit il-
lis contingere disparitas gratiæ, quam suscipiunt. Se-
cludunt igitur Theologi fidem à præcedenti merito
gratiæ sacramentalis, sed non ab actu, aut certè non ab
habitu. Nam quis vnquam adultus modo sui compos
esset, sacramentum sine fide suscepit? Obex igitur
sacramentorum

ſacramentorum omnium primum eſt, veræ fidei carentia, deinde vnicuiq; ſacramento, id quod eius effectui primario eſt, planè contrarium, vt verbi cauſa in baptiſmo, ſi adhuc in nobis peccatum viuat, mortuo oppreſſoq; ſpiritu. Si cor ſuum quiſpiam immundo ſpiritui inhabitandum præbuerit, fruſtra confirmationis aut manuum impoſitionis ſacramentum accipiet. Sacramenti ordinis effectui primario, per peccata obex non præſtatur, ſed vnam ille fidem requirit, & perſonam idoneam. Ita quoq; in reliquis ſacramẽtis, ad ſuum quodq; modum eſt.

Atq; hactenus de ſacramentis, ex traditione orthodoxorum & ſcriptura diuina egimus.

Supereſt vt de reliquis diſſeramus.

DE IVSTIFICATIONE FIDEI ET OPERVM.

OPInio quorundam.
Aug: ca: xiiij



PINIO HAEC (VT DIVVS Auguſtinus in libro de fide & operibus ſcribit) temporibus apoſtolorum fuerat exorta: ad ſalutem æternam obtinendam ſufficere ſolam fidem, etiamſi quis benè viuere, bonisq; operibus viam dei tenere neglexerit,

neglexerit, contra quam, ait, epiſtolas Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, maximè dirigere intentionem, vt vehementer aſtruant fidem ſine operibus nihil prodeſſe. Quæ autem occaſio fuerit opinionis huius, indicat idẽ AVGVStinus, eamq; confutat in libro quæſtionum, lxxvi quæſtione. Quoniam Paulus apoſtolus, inquit, prædicans iuſtificari hominem per fidẽ ſine operibus, non benè intellectus eſt ab eis qui ſic acceperũt dictũ, vt putarent cum ſemel in Chriſtum credidiſſent, etiãſi malè operarentur, et facinoroſè flagitioſèq; viuerent, ſaluos ſe eſſe poſſe per fidem. Locus iſte huius epiſtolæ eundem ſenſum Pauli apoſtoli, quomodo ſit intelligendus exponit, ideoq; magis Abrahæ vtitur exemplo, vacuam eſſe fidem, ſi non benè operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus apoſtolus vſus eſt, vt probaret iuſtificari hominem ſine operibus legis. Cũ enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum apoſtolum non ita per Abraham docere iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, vt ſi quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari, ſed ad hoc potius, vt nemo meritis priorum operum bonorum arbitretur ſe peruenire ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc enim ſe gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præferre cupiebãt, quòd dicebãt ſe meritis bonorũ operũ, quæ in lege ſunt, ad euangelicam gratiam perueniſſe, ideoq; ſcandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quòd incircumciſis gẽtibus Chriſti gratia traderetur.

Occaſio opinionis.

Vnde apostolus PAulus dicit posse hominem sine operibus legis se præcedẽtis iustificari per fidem. Nam iustificatus per fidem, quomodo potest nisi iustè operari, quamuis antea nihil operatus iustè ad fidei iustificationem peruenerit, nõ merito bonorum operum, sed gracia dei, quę in illo iam vacua esse non potest, cũ iam per dilectionem benè operatur. Quodsi cum crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia peruenit, nec consequẽtibus, quia in hac vita esse non sinitur. Vnde manifestum est quod Paulus apostol9 dicit: Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus, nõ tamen ita intelligendum est, vt accepta fide si vixerit, dicamus eum iustum, etiamsi malè vixerit. Ideo exemplo Abrahæ & apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus legis quam non acceperat, per fidem iustificatus est. Et Iacobus, quia fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus apostolus prędicauit. Nam qui putant istam Iacobi apostoli sententiam, contrariam esse illi Pauli apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco: Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Et alio loco: sed fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum: Si enim secundum carnem vixeritis moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

NOTA.

Pauli Iacobi sententia non est contraria.

Roman: ij.
Gala: v.
Roma: viij.

Quę sint

Quæ sint autem facta carnis quę operibus spiritalibus mortificanda sunt, alio loco manifestat dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immundicię, impudicitia, simulachrorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, et his similia, quę prędico vobis sicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. Et ad Corinthios ait: Nolite errare, neq; fornicatores, neq; idolis seruiẽtes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum dei possidebunt. Et hęc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati in nomine domini nostri Iesu CHRisti, & in spiritu dei nostri. Quibus sententijs manifestissimè docet, non eos præterito bono opere ad fidei iustificationem peruenisse, nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit: Et hæc quidem fuistis, sed cum dicit: qui talia agunt, regnum dei non possidebunt, satis ostendit iam ex quo crediderunt benè operari debere. Quod & IAcobus dicit, et multis omnino locis idem apostolus Paulus satis aperteq; prædicat, rectè viuendũ omnibus, qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perueuiant. Quod & ipse dominus commemorat dicens: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorũ, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Et alibi: vt quid dicitis mihi

Facta carnis
Gala: v.

i Corin: vi.

Matt: vij.

Luca vi.

citis mihi domine domine,&non facitis quæ dico vobis. Et omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti,qui ædificauit domum suã super petram,&c. Et qui audit verba mea hæc & non facit ea,similabo eum viro stulto,qui ædificauit domũ suam super arenam, &c̃. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum apostolorum sententiæ, Pauli & Iacobi, cum dicit vnus iustificari hominem per fidem sine operibus,&alius dicit inanem esse fidem sine operibus,quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedũt, iste de his quæ fidem sequuntur, sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit. Hæc ibi Augustinus.

Cõcordantia locorũ Pauli et Iacobi apo. Roman: iij. Iacobi i.

Et in lib: de fide & operibus capi: 14. Illam fidem, inquit, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat,vt dicat: Si habeam omnẽ fidem ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam,nihil sum. Vbi autem hęc fidelis charitas operatur, sine dubio benè viuitur: plenitudo enim legis charitas. Vnde euidenter in secunda epistola PEtrus, cum ad vitæ & morum sanctitatem hortaretur, mundumq; istum transiturum prænunciaret, cœlos vero nouos & terram nouam expectari quæ iustis inhabitanda tradetur,vt ex hoc attenderet qualiter eos oporteret viuere,vt habitatione illa digni fierent, sciens de apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententijs nonnullos iniquos accepisse occasionem,vt tanquam securi de salute quæ in fide est, benè viuere non curarent, commemorauit quædam ad intelligẽdum difficilima esse in epi-

i Cor: xiij. Rom: xiij. PETRVS.

stola eius, quæ homines peruerterent, sicut et alias scripturas,ad proprium suum interitum: cum tamen & ille apostolus de salute æterna, quæ nisi benè viuentibus non daretur,eadem sentiret, quæ cæteri apostoli. Sic itaq; Petrus. His ergo,inquit,hominibus pereuntibus,quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes ad præsentiam diei domini, per quam cœli ardentes soluentur, & elementa ardore ignis decoquentur: nouos vero cœlos & terram nouam secundũ promissa ipsius expectamus,in quibus iustitia habitat. Quapropter charissimi hęc expectãtes satagite inuiolati & immaculati apud eum reperiri in pace,& domini nostri patientiam salutem existimate: Sicut & dilectissimus frater noster PAulus secundum eam quæ data est illi sapientiam scripsit vobis,vt &in omnibus epistolis,loquens in eis de his, in quibus sunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti & instabiles peruertunt sicut cæteras scripturas ad proprium suum interitum. Vos igitur amantissimi præscientes, cauete ne in falsorum errore seducti decidatis à corroboratione vestra:Crescite verò in gratia & intellectu dñi nostri Iesu Christi: ipsi gloria & nunc, & in die æternitatis. Iacobus autem vehementer infestus est eis qui sapiunt fidẽ sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonib9 comparet dicens. Tu credis quoniam vnus est deus, benè facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Quod verius, breuius,vehementius dici potuit, cum et in euan-

Difficultas Pauli. ij Petri iij. Pauli episto. Iacobi ij.

et in euangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum filium dei confiterentur, & ab illo corriperentur, quod in Petri confessione laudatum est. Quid proderit, ait Iacobus, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousq; igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur? Hæc ibi & plura Augustinus.

Gagneius in argumẽto epistolæ ad Roa.

Iustificari duobus modis accipitur.

Quidam recentiorum catholicorum, ab Augustino non dissentientes de iusticia fidei & operum hæc scribunt. Iustificatio in scripturis duobus modis sumitur. Primum iustificari est ex impio fieri iustũ, quod fit in momẽto, absq; vllis operum meritis, immo absq; nostro præcedente opere. Attende autem quod dicitur præcedente. Nam vna cum huiusmodi iustificatione, motus necesse est accedat liberi arbitrij in Iesum credentis, & veteris vitæ pœnitentis, in eum quidem motum diuinitus attracti & pulsati. De hac iustificatione intelligendus est Paulus, quoties hominem sine operibus & iustificari asserit, & saluari, quam nulla opera nostra mereri nemo neq; veterum, neq; recentium theologorum negauit. Et de hac loquitur ad Romanos apostolus ostendens nulla opera siue naturæ, siue legis iustificationem impij meruisse, adeoq; & Iudæos & gentiles quantum ad eam rem attinet, peccatores esse, illosq; de lege, istos de naturalibus frustra gloriari. Est ergo iustificatio quædã et salus inchoata, cum ab in

cum ab infidelitate & peccato ad gratiam resurgit homo, quam nullis operibus suis meretur, sed non sine tamen bono opere ac motu cordis voluntatis, qui illi gratis à deo infunditur.

Iustificatio alia.

Est & alia iustificatio, qua iam accepta fide in iusticia proficimus, & iam per fidem gratis iustificati, rursum iustificamur, id est, amplius iusti efficimur, de qua apocalypsis 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, sanctus, sanctificetur adhuc. Et ecclesiastici 18. Ne verearis iustificari vsq; ad mortem. Et i Ioan: 3. Qui facit iusticiam iustus est. Ad hanc iustificationem exiguntur opera: & per hæc iustificamur secundo modo, non ex dignitate operum nostrorum in se, sed ex illis cum fide & dei gratia coniunctis. Vnde illud diui Iacobi. Vis autem, inquit, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus ociosa est? ABRaham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consumata est? & suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham deo et reputatum est illi ad iusticiam, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operib9 iustificatur homo, & non ex fide tantum. hæc diuus Iacobus. Qui, vt vides, apertissimè docet ex operibus hominem iustificari iustificatione, secunda scilicet.

Quomodo iustificamur operibus.

Iacobi ij.

CONciliatio locorũ Pauli et Iacobi.

Non sunt itaq; sibi cõtrarij Paulus & Iacobus, cum ille asserit Abrahamum iustificatum ex fide non ex operibus, hic autem ex fide & operibus. Nam Paulus loquitur de

loquitur de prima iustificatione, Iacobus de secunda, id quod & patres in concilio Tridentino iudicarunt cap: xi. PAulus enim in epistolis suis & præcipuè ad Romanos & Galatas hoc agit maximè, vt persuaderet cunctis, neq; Iudæos propter opera legis, neq; gentiles propter bona opera venisse ad gratiam euangelicam, sed per fidem & gratiam Christi, atq; ideo omnia opera à iustificatione excludit. IAcobus vero cum fidelibus agens, vt ex Augustino ante ostensum est, qui ad salutem æternam existimabant sufficere solam fidẽ, ideo ex operibus iustificari homines asserebat, quia nõ tantum vtilia, sed prorsus necessaria sunt ad perseuerãdum & proficiendum in accepta gratia, & ipse per bona opera profectus iustificatio quædam est, & plenioris iusticię acquisitio. Et videre hic licet, ait Andreas Vega in concilium Tridentinum, ac par est omnes admirari atq; exosculari benignissimam & propensissimam in nostram salutem prouidentiam dei. Duo quidem necessaria fuit fideles scire. Primum est iustificationem primam nemini contingere ex merito suorum operum, & ad eum homines posse peruenire nonnunquam per fidem vel solam, vel certè absq; operibus exterioribꝰ, & hæc nobis clarè explicuit per Paulum. Alterum est ad iustificatiõem secundam necessaria esse bona opera etiam exteriora, si vita aliquando longior sit, & eam posse nobis ex merito bonorum operum contingere. Et hac per IAcobum sumus à deo edocti, vt infideles ad fidem allicerentur, neq; desperarent de sua

Andr: Veg: li: x; cap: viij.

Fidelibus necessaria scitu.

rent de sua

rent de sua salute, quantumcũq; grauibus essent obruti peccatis, iustificationem per fidem absq; operibus cõtingere, annunciauit deus per PAulum. Ne vero qui receperant fidem, & iustificati non erant, audientes ex PAVlo per fidem se iustificatos fuisse absq; operibus torpescerent, & segnes fierent ad exercitia virtutum, putantes satis sibi esse fidem: per IACobum exposuit nobis idem deus necessitatem bonorum operum, & obiter etiam insinuatum est augmentum iustificationis, quod acquiritur per illa, vt vel huius premij spe incitarentur homines ad opera. Et PAulus nunquam exclusit à iustificatione opera ex gratia dei facta, de quibus potissimum locutus est IACOBVS, sed cum fide quæ est opus dei, videtur ea adnumerasse. Hæc ille, & plura ea de re illic cognitu digna, de quibus hic inquiri possit.

Recentiores quidam, ne tacendo victi esse videantur, multa hic comminiscuntur, inter alia dicentes: apud Iacobum in prædictis verbis, & apud PAulum: Non auditores sed factores legis iustificabuntur: Iustificari, non significare ex impio iustum effici, sed vsu forensi, iustum pronunciari. Quasi vero Augustinus cum alijs hoc non animaduertisset, aut apostoli Christi de iusticia humana disseruissent. Atqui Paulus cõfidenter clamat: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano iudicio: qui enim me iudicat, dominus est. A' Christo ergo & in eius iudicio pronũciantur iusti legis factores, id quod locus ipse PAuli declarat,

Opinio recentiorum refellitur.

Roman: ij.

i Cor: iiij.

declarat, cuius verba sunt: Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabūtur. Vide eodem loco iustificari non pro iustum pronunciari, sed pro esse iustum accipi, idq; apud deum, quando sola coniunctiōe aduersatiua interposita, quod negatur auditoribus legis, factoribus tribuitur, nempe esse iustos. Et CHRistus ipse apud Matthæum capite quinto operibus iusticiam tribuit, cum dicit: Nisi abundauerit iusticia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Vbi non de ciuili aut quauis alia iusticia nos instruit, sed de ea quæ pertinet ad ingressum regni cœlorum, cuius abundantiam legis operibus tribuit modo legitimè seruētur, quod scribarum & pharisæorum hypocrisis non est assecuta. Et cap: 6 ait: Attendite ne iusticiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Quæ autem sit hæc iusticia docet ibidem nempe ieiunia, eleemosynæ, preces &c̄. Quodsi quispiam hanc iusticiam aliam esse dicat à iusticia fidei, habeat ille eam sibi, nobis sufficiat hęc, pro qua Christus promisit vitam æternam, & quam iudicaturus exiget. *Math: xxv.*

Solutio obiectionis. Aiunt præterea opera non iustificare, sed ab eo qui iamdudum sola fide fuerat iustificatus, fieri. Si igitur verum est homines sola fide iustificari, quod isti asserunt, falsum erit aut iniquum dei iudiciū, quod factores legis iustificat, vt Paulus ait, & non sola fide. Qui quidem Paulus alibi mortificationem nostram Christi morti connectit in iustificatione, quemadmodum Christus *Romano: vi.*

Christus ipse sæpissimè nostras suæ cruci pręcipit adiungi dicens: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et alia multa in hanc sententiam. Quid aliud est vnumquemq; nostrum crucem suam tollere post Christum, quam ipsi fidei bona opera quibus efficiendis detrectante natura, & cupiditate etiam reluctante, acerbissimè cruciamur adiungere? Si sola fides sufficeret ad iusticiam, sufficeret & sola crux Christi, quæ fidei nostrę mysterium continet, vt sanguinis eius testatur consecratio. Nunc cum etiam nostræ cruces postulentur, nullus relictus est ambiguitati locus: quin opus sit etiam operibus nostris vt iustificemur. *Tollere crucē quid.*

INsuper soli fidei iustificationem assignant, q̄ illa appręhendamus & teneamus misericordiā dei. Quasi vero non idem de spe & charitate loqui fas sit, quibus et ipsis deum amplectamur, nos sua bonitate iustificantem, nosq; suis donis ornantem. Sunt enim illa ab eodem autore profecta: fides tua te saluam fecit. Spe salui facti sumus. Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Adhæc quemadmodum de fide dicitur, per illam deum in cordibus nostris habitare: ita de charitate qui in illa maneat, eum in deo manere & deum in illo. Et Christus ipse inquit: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Deinde vt credentibus dicitur: Qui credit in filium, habet vitam æternam: ita & de operantibus: Et prodibunt qui bona fecerunt in *opinio recentiorum.* *Lucæ vij. Matt: ix. Romano: viij. Ephes. iij. i Ioan: iiij. Ioan: xiiij. Ioan: iij.*

cerunt in resurrectionem vitæ. Adhæc condicionaliter ad credentem quidem: Si confessus fueris, & credideris dominum Iesum, saluus eris. Ad operantem aũt: Si uis ad vitam ingredi serua mandata dei. Non tantũ igitur fidei, sed spei & charitati, & aliis bonis operibus remißio peccatorum, & bona alia offeruntur.

Roman: x.
Matt: xix.

Solutio obiectionis.

Quod si dicat quispiã, prius illa omnia fidei offerri, eiusq; primam illorum esse aprehẽsionem. Sed fidem veram, spes & charitas subsequuntur necessario, neq; quod aliquis prior est in ordine aliquo, ideo qui eum sequuntur, ex eo ordine secluduntur, immo ratio ordinis exposcit, vt in eo sit prius & posterius. Quod autem dicunt fidei promißionem diuinam vita æterna factam esse, id quoq; à charitate alienum esse non videtur: cum deus & parauerit res nec oculis visas, nec auribus auditas, nec à corde cogitatas, & promiserit coronam vitæ, iis à quibus fuerit dilectus, quemadmodum promisit vitam æternam credentibus in se.

i Cor: ij.
Iaco: i.

Opinio recentiorum.

Iam cum fidem iustificare aiunt, non propter se, sed propter veritatem promittentis, quia iuste exigatur promissum, si fides sit habita promißioni, atq; adeo fidem solam facere, vt ego iuste repetam, quod mihi sponte ab aliquo promisum: certe ob eandem causam etiam charitas & eius opera simul cum fide iustificant, q: mercedis iustificatio, vt ipsi dicunt, innititur promißioni. Quare cum ratio debiti atq; adeo iusticiæ oriatur à promißione: Si ego tibi cras ad me venturo talentum auri mea sponte promisero, nunquam auferes aurũ

res aurum etiamsi mihi fidem habueris, nisi constituto inter promittẽdum tempore aduenias, nec sola tibi fides habẽdi aurum ius conferet, sed tempestiuus etiam aduentus, cuius interposita conditione fuerat à me facta promißio. Nequit igitur homo promissam mercedem assequi, nisi promittendi causa, & promißionis conditio intercedat. Promißionis diuinæ causas continet fides, conditiones prestat charitas, promisit enim deus coronam vitæ diligentibus se. Et Paulus patientia nobis opus esse vt voluntatem dei faciẽtes, reportemus promißionem. Nempe quod, vt alibi pronunciat, pietas promißiones habeat vite que nunc est, & futuræ. Pietatem autem, charitatem & eius opera interpretatur Ambrosius.

Iacobi i.
Heb: x.

Opinio recentiorum.

Neq; verum est quod aiunt, mediatorem tantũ apprehẽdi per fidem, cum & desyderio etiam apprehendatur, id quod exemplo hoc monstrari potest. Si qua in rebus humanis controuersia transigenda est mediatore, oportet vt dißidentium vterq; velit controuersiam finire, nec velit modo, verũ statuat intra se, nihil reiicere eorum que mediator & interpres iudicauerit alterutri necessaria ad litem dirimendam. Hæc omnia voluntatis sunt opera, quibus accedat necesse est fides, qua vterq; fidat illi quem sibi delegerint mediatorem, et credant tam bonum esse iudicem, tam æquum et iustum, vt neutrum sit grauaturus. Hæc notißima sunt experimento, ex quibus constat q: mediatorem non sola fides apprehendit, sed fides & amor finiendi litem, et proposi-

FIDEs & amor apprehẽdit mediatorem.

et propositum vna exequendi quicquid mediator in-dicauerit necessarium. Quod cum ita sit, facilè colligi-tur iustificationem mediatoris, fide, & eorum qui iu-stificandi sunt operibus obtineri, & non sola fide.

Solutio obiectionis.

Dicet fortasse quispiam ea quę fidei addidimus ne-cessaria esse, vbi mediator non est per se sufficiens ad leniendum alterum illorum quos reconciliat, nec ad placandum vt ignoscat alteri à quo est offensus, Christus autem mediator dei & hominum à patre nobis ꝓpositus, non ab hominibus electus, potens est, in eo in quo passus est ipse & tentatus, & eis qui tentantur auxiliari, idq́; vt ait Paulus, vt repropiciaret delicta populi. Idicirco non est opus ad huiusmodi reconciliationem operibus nostris aut electione. Verum est, non fuit opus nostris operibus, vt ipse pro nobis intercederet, aut mediator fieret & pontifex, quemadmodum opus est inter homines, vt quem mediatorem aut arbitrum opponere in causa volueris, bonis operibus antea præuenias, & illum promerearis officijs, nec est etiam opus vt illũ prece aut pretio ad intercedẽdũ inuites, quod fieri solet inter homines, nihil horum opus fuit nobis, vt Christus pro nobis non solum mediator verum & propiciator intercederet. Quis enim prior dedit illi, vt retribuatur ei? Quis sibi talem promereri mediatorem potuisset? Quis illum vel prece vel affectu saltem interpellasset ad intercedendum pro nobis, nisi deus illum vltro proposuisset, vt ait Paulus, propiciatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionẽ iusticiæ

Roman: x.

Roman: iij.

iusticiæ suæ? Totum hoc iuxta eundem PAulum donum dei est non ex operibus, vt ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit deus, vt in illis ambularemus. Verumtamen cum eius reconciliatio conuersio et iustificatio nostra sit, non reconciliat nisi conuertamur, tametsi gratiæ sit eius ꝙ conuertimur: Non reconciliat nisi volẽtes, quamuis ipse dederit vt velimus. Iam conuerti non tantum credere est, quoniam auersio non tantum incredulitas est, sed peccatum, quo voluntas malorum non adiuuante deo, auertit se ab eo. Ad eundem modum iustificatio non est tantum fides, sicut nec iniusticia tãtum est infidelitas, sed omnis iniquitas, quod & ipsa ratio nominis præsefert. Intercedit ergo mediator pro his quorum nulla opera præcesserunt, vt reconciliarentur, quiq́; non priores dilexerant vt redamarentur, sed eius intercessio facit, vt amemus, & hac maximè ratione reconciliatio dicitur. Conciliatio enim mutuarum voluntatũ solet esse complexus. Hæc nostra conuersio est, hæc nostra satisfactio, hoc est ex iniustis fieri iustos, ex inimicis amicos, quis enim seiunget iustificatiõem ab amicitia, aut quis negabit nihil aliud nobis esse iustificari, quàm ex inimicis amicos fieri? Porro amicitia non fidei tantum, sed præcipuè charitatis est, à qua sola nominis varietate discernitur. Quamobrem vt iustificatio sine amicitia, ita sine charitate fieri nequit, charitatem vero affectus continet, opera præstant. Vos amici mei estis, si feceri-

Eph: iij.

Ioan: xiij.

ibidem. ſi feceritis quę ego præcipio vobis. Et iterum: Si præcepta mea ſeruaueritis manebitis in dilectione mea. Et Paulus: Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil ſum. Quonam igitur iuſtus, ſi nihil eſt? De hoc latius inferius, vbi agimus de fide &c̃.

i Cor: xi.

Solutio obiectionis. Quod verò apud Paulum frequenter recurrit iuſtificari nos fide, aut per fidem in Chriſtum: Et ſcriptura tribuit vitam fidei, vt illud Chriſti: Qui credit in me habet vitam æternam. Et iterum: Qui credit in me etiamſi mortuus viuet. Illud item: per fidem Chriſtum habitare in cordibus noſtris, & fide purificari corda: eo fit vt omnis gloriandi nobis occaſio adimatur, dum conſyderamus nullis nos pręcedentibus meritis, nullis operibus iuſtificari, ſed ſola Chriſti gratia per fidem: addo etiam ex ſententia doctorum, ſola fide ad iuſticiam eſſe perductos. Iuſticia vero non eſt ſola fides, nec ei ſoli ineſt, alioquin iuſticia perduceremur ad iuſtitiam, ſed eſt pietas quæ fidem præcipuè continet & charitatem. Harum virtutum prior eſt fides, maior charitas teſte Paulo, de quo poſt, fides perducit ad charitatem, ait Ambroſius, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Non autem quòd ſola fides ad vitam vel iuſticiam ſufficiat, velut ex ſuperioribus liquet. Vnde & concilium Tridentinum PAuli apoſtoli dicta, iuſtificari hominem per fidem, in eo ſenſu intelligenda eſſe approbauit, quem perpetuus eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit, & expreſsit, vt

Eph: iij.

Concil: Tridenti. ca: vij.

preſsit, vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, et radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere deo, & ad filiorũ eius conſortitum peruenire.

Nec putandum eſt his dictis fidei virtutem reſtringi ad ſola iuſtificationis initia à catholicis, vt quidam calumniantur. Eſt ab illa initium, incrementum, & complementum iuſticiæ, & illa nos inſerimur Chriſto triumphatori mundi, atq; ideo & victoria eſt, quę vincit mundum, vt Ioannes ait, tantum cauendum ne quod commune cęteris virtutibus eſt, vt oſtendimus, in ſolidum vni vendicetur. Non negant catholici, fidei etiam eſſe tribuendos ex parte progreſſus, & conſummationem iuſticię. Quis enim radici germinationem abroget bonorum fructuum? Quis fundamento domus gloriam neget vel faſtigij? Itaq; cum fidem catholici dicunt ſalutis humanæ initium, aut fundamentum, ſeu radicem iuſtificationis, non ei alias eximias eius prærogatiuas negarunt: ſed cum de prima iuſtificatione agerent, explicare voluerunt cauſam aliquam ac prærogatiuam eius ſingularem, ob quam ei merito frequentius vita, ſalus, ac iuſticia noſtra tribuitur. Etſi benè expendatur verius multo & ſolidius fides laudatur à catholicis, cũ dicitur ſola nos fide coniungi Chriſto & ipſius dona recipere, ſed & operibus aliarũ quæ et ipſa germinat & idonea ac potentia ad id obtinendum cum adiutorio facit. Vnde Auguſtinus: Ex fide ideo dicit apoſtolus iuſtificari hominem non ex operibus, quia

Diluitur calumnia.

Aug: cap: vij. de pdeſt: ſan.

ribus, quia ipſa prima datur ex qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. Et quoſdam hæreticos ſic redarguit. Et dicitur à vobis fides eſt, à nobis cætera à domino ad opera iuſticiæ pertinentia, quaſi ad ædificium, inquam, nō pertineat fundamentum. Et ſtatim imprimis et maximè fidem petendam à deo dicit. Et in ſermone quodam de tempore ita ait: Ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primo omnium fides neceſſaria eſt, ſicut apoſtolica docet autoritas, dicēs: Sine fide impoſſibile placere deo. Conſtat ergo neminem ad veram peruenire poſſe beatitudinem, niſi deo placeat, & deo neminem poſſe placere, niſi per fidem: fides namq; eſt bonorum omnium fundamentum: fides eſt humanæ ſalutis initium: ſine hac nemo ad filiorum dei conſortium peruenire poteſt, quia ſine ipſa neq; in hoc ſeculo quiſq̄ aſſequitur iuſtificationis gratiam, neq; in futuro vitam poſſidebit æternam. Et ſi quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad ſpeciem beatæ viſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, hæc ibi Auguſtinus et alibi ſimilia ſæpius.

ſmo: xxxviij

Et Origenes in verba hæc Pauli: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem. Vbi fides non eſt, quæ credentem iuſtificet, etiamſi opera quis habeat, ex lege tamen, quia non ædificata ſupra fundamentum fidei, quamuis videantur eſſe bona, operatorem ſuum iuſtificare non poſſunt, ſi eis deeſt fides, quę eſt ſignaculum eorum qui iuſtificabuntur à deo.

AMBroſius in principio primi libri de ſacramentis. In Chriſtiano viro prima eſt fides. Idem de vocatione gentium cap: 9. Fides qua iuſtificatur impius, niſi ex dei munere nō habetur, eaq; nullis meritis pręcedentibus tribuuntur, ſed ad hoc donatur, vt principium poſſit eſſe meritorum: & cum ipſa data fuerit non petita ipſius iam petitionibus bona cætera conſequantur. Et in illa verba apoſtoli: Fundamentum dei firmum ſtat, fundamentum dei fides eſt, quæ continet quæ promiſit deus.

HIEronymus in verba PAuli: In quo habemus fiduciā & acceſſum in confidentia per fidem eius, fiduciæ atq; acceſſus ad deum principium atq; origo fides in Chriſto eſt. Ab ijs non diſſentiunt Cyrillus, Baſilius, Chryſoſtomus & cæteri.

TESTIMOnia autorum citata ab aduerſarijs.

Producunt recentiores autorum eccleſiaſticorum teſtimonia, quo ſuam opinionem aſtruant, bona opera ſczt non iuſtificare, ſed fieri à iuſtificatis, vt Auguſtini illud præter cætera capite 27 de ſpiritu & litera. Neq; enim, ait Auguſtinus, cōtra ſeipſum diceret Paulus quod dicit: factores iuſtificabuntur: tanquam per opera, non per gratiam iuſtificentur: cum dicat gratis hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, nihilq; aliud velit intelligi in eo quod dicit: Gratis, niſi quia iuſtificationem opera non præcedunt. &c̄.

Auguſtinus.

Pręterea illud Ambroſij in 3 caput epiſtolę ad Romanos. Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operātes, neq; vicem reddentes, ſola fide iuſtificati ſunt dono dei. Et

Ambroſius.

in caput quartum: Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittũtur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum vt credant.

Hilarius. Item illud Hilarij in Matthæum: Mouet scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Christo contuebantur, & remissum ab eo quod lex laxare non poterat, fides enim sola iustificat.

Et Origenis qui libro 3 in caput tertium ad Romanos ait, latronem sola fide iustificatum. Aliorum item.

Responsiones ad præcedẽt. Cæterum sciendum est, dum doctores ecclesiastici secuti in speciem apostolum Paulum (quanquam ille non addit fidei, particulam sola) fidei soli iustificationem tribuere, & necessitatem aliorum operum negare videntur: non sic intelligendi vt opera ex gratia & auxilio dei facta, quæ scriptura ad salutem impiorum

I. *Andreas Vega in conciliũ Tridentinũ.* exigit, illis verbis excludant. Excludunt verò aliquando sola opera exteriora, & hoc volunt duntaxat pro certo statui, non esse opus exteriore sacramentorum susceptione, vbi eam articulus necessitatis excludit.

II. Ac quandoq; tantum ad opera ceremonialia vel iudicialia veteris legis, quæ propriè legalia dicũt, sermonẽ referũt, & ea sola affirmãt necessaria ad iusticiã

III. non esse. Et nõnunq; agunt de operibus ante fidẽ, vel certè de opibus, vel per legẽ, vel per naturã sine gratiæ præuenientis auxilio: & illa duntaxat, vt ad iustificationem parum vtilia reijciunt.

IIII. Interdum etiam hoc vnum eis verbis explicare volunt, non præcedere iustificationem

ficationem aliqua opera, quæ sint propriè ipsius merita, quibusq; ipsa verè debeatur.

V. Vel quia fides, sicut dicit Chrysostomus, per seipsam plena est operibus, & vbi primum credimus, nisi nos eam impedierimus, simul & operibus eam ornamus, fide omnia complectũtur quæ ipsam sequunt̃, quæq; ipsa præscribit necessaria ad iustificationem.

VI. Et fide sola aiunt nos iustificari, vt intelligamus non iustificari nos nisi illis quę ipsa in nobis & efficit & præstituit.

VII. Et aliquoties fidem non operibus, sed nefarijs infidelium & hæreticorum sectis opponunt: & dicẽtes tantum fidem nostram saluare, tantundem exprimunt, ac si apertius dicerent, in nulla alia secta vel religione posse quempiã saluum fieri, sed solummodo in fide Christi, & extra illam nemini posse salutem contingere. Hæc autem ita illos intellexisse, scripta eorum indicant.

Augustinus. Nam Augustinus, vt ex scriptis in mediũ ante prolatis liquet, opera consequentia fidem non excludit ab operibus. Et super psalmum 31 tractans illa verba Pauli: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Noli, inquit, de operibus præsumere ante fidem. Noueris quia peccatorem fides te inuenit, etsi te fides data fecit iustum, impium inuenit quo faceret iustum. Et ibidẽ dicit Abrahamum iustificatũ, etsi fidem, ait opera non præcesserunt, tamen secuta sunt.

Ambrosius. Et Ambrosius in illum locum Pauli ad Galatas: In CHristo Iesu nec circumcisio aliquid valet neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur: explicat quo-

cat qnomodo accipiendum est quod dixit. Nec præputium, inquit, valet quicquam nec circumcisio, sed sola fide opus est in charitate ad iustificationem, fides enim charitate fraterna debet muniri, vt profectio sit credentis. Et citatis verbis Christi Matth: 22, imperfecta sunt itaq; cætera, quando in his duobus mandatis perfectio continetur. Porro illa verba Ambrosii in caput quartum ante citata, intelligenda sunt de his qui per baptismum iustificantur, quod verba AMbrosii indicant, quę ibidem sequuntur. Quemadmodum autem ad pœnitentium personam potest pertinere cum dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, cum constet pœnitentes labore & gemitu remissionem peccatorum acquirere, aut quomodo martyrio congruit, quod dicit: Beatus vir cui non imputabit dominus peccatum: cum sciamus gloriam martyrij passiōibus & pressuris acquiri? Propheta autem tempus felix præuidens in saluatoris aduentu, beatos nuncupat, quibus sine labore, vel aliquo opere per lauacrum remittuntur, & teguntur, non imputantur peccata. hæc Ambrosius: vbi vides eum dixisse acquirere remissionem peccatorum non mereri.

Expositio verborum Ambrosii.

Hilarius vero propterea dixit solam fidem iustificare, quia absq; illa lex nunquam prædare potuit iusticiam. Et hoc nimirū videtur ille dixisse quod Theophilactus in illa verba Chri: Coram te comedimus, minus scrupolosè & aliquanto apertius sic dicit: Non sufficiebat Iudęis ad iustificationem cultus ille per sanguinis effu-

Expositio verborū Hilarij.

guinis effusionem non accedēte fide quæ iustificat impium. Vnde & ipse & Hilarius ne libertatem ab alijs præceptis videri posset docuisse capite 10 subdit: fides vestra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intenta est. Et in illa verba Christi: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine nonne in nomine tuo prophetauimus &c̄ ita inquit: De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandum'q; est aliquid ex proprio vt bonum velimus, malum omne vitemus totoq; affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, ac talibus officijs cogniti deo simus, agamus'q; potius quod vult, quàm quod potest gloriemur. Hæc Hilarius. Qui cum dicit proprio & nostro, non excludit gratiam, sed quia nostra etiam fiunt quę gratiæ. Facit enim gratia vt nos faciamus, iuxta illud Pauli: Abundantius illis omnibus laboraui, non ego aūt sed gratia dei mecum. Particula igitur hæc, sola, cum dicitur, intelligendum quia nihil sine illa. Quæ ergo ante fidē sunt, aut ab illa aliena excluduntur à iustificatione. Et cum dicitur soli merito Christi confidendum, ita exponendum, nullo quod non ex eius merito sit in nobis: nec meritum Christi excludit virtutes, nec virtutes meritum Christi, sed coniūcta sunt: Paulus ad Romanos 5 de CHristo. Per quem, inquit, habemus accessum per fidem in gratiam istam. Semper coniungit Christum & fidem, & fidei charitatem: veluti ad Galatas 5. Neq; circumcisio aliquid valet, neq; prępuțium, sed fides quæ per charitatem operatur, charitas vero con-

i Cor: xv.

Particula sola.

Ioan. xiiij. vero coniuncta opera habet docente Christo. Si quis diligit me, mandata mea seruabit. Vnde AMbrosius in caput secundum epistolæ primæ ad Timotheum: fides est quæ dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed & oberit: fidei etenim gratia hanc habet potestatem, vt deuotis sibi diuinam infundat medelam, indeuotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat. hæc Ambrosius. Cui non dissimilia sunt verba seruatoris apud Lucam: Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.

NOta Ambrosii uerba

Luca xij.

Quamobrem idem Ambrosius, quamuis 45 sermone felicitatem explicat latronis, qui meruit à Christo audire: hodie mecum eris in paradiso, ita scribit: sed hanc tantam gloriam, vt non in alterum diem differatur, sed eadem die qua paradisus deum suscepit, susciperet et latronem, fides latroni præstitit: fides enim est quæ peccata cooperit, vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. Et paulo post addit: Sicut suffecit Iudæ ad scelera Christum deseruisse, ita suffecit latroni ad innocentiam domino credidisse. Tamen ibidem in latronis iustificatione non excludit opera interiora procedentia à fide. Nam 44 sermone, ne putaretur nomine solius fidei exclusisse confessiōem latronis, quę actus fidei est, aut dei dilectionem, aut alios animi affectus, quos ille habuit in cruce, expressè dicit, eum plus amasse in cruce Christum, quàm Iudas amauerit in

LATRO.

uerit in cœna. Et cum Iuda pacis blandimenta fuerint credita, à latrone crucis vulnera constanter prædicata, de quo ibidem ait: Reminiscens scelerum suorum et pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur: potius enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Inde & Origenem manifestum est nō exclusisse per illud verbum, sola, opera ex fide procedentia, vczt dilectionis, confessionis, orationis, aut pœnitentiæ interioris, sed exclusisse duntaxat opera exteriora vel legalia Mosaicæ legis. Nam vt sola fide monstraret posse iustificari homines sine operibus legis, inducit exempla latronis et Magdalenæ, & vtrumq; dicit sola fide iustificatum, cum tamen ex Luca constet & latronem suorum peccatorum pœnituisse, & Magdalenæ dimissa esse peccata, quod dilexit multum. Et certè si sola fides nuda ab omnibus bonis affectibus prorsus aliena ad iustificationem suffecisset, certè & dæmones essent iusti. Nam, vt Iacobus ait, credunt & contremiscunt. Vnde apud Matthæum clamant: Quid nobis & tibi Iesu fili dei? venisti huc ante tempus torquere nos?

Origenes.

Luca xxiij.
Luca vij.

Matt: viij.

Necessarij itaq; ad iustificationem primam, de qua dictum est, præter fidem etiam affectus seu opera bona interiora saltem ex fide procedentia. Ad secundam vero si vita prorogetur, exteriora etiam. Neq; vox exclusiua additur à Paulo fidei, quæ si adderetur, cætera oīa non excluderet, quando non potest excludere gratiam.

Particula sola non omnia excludit.

gratiam. Cum igitur operibus iustificari negamur, excluduntur cum præcedentia merita, tum Iudaicæ legis opera, illa etiam quibus sine fide videbatur obtemperari decalogo: ipsa vero iustificatio dum fit, vt non sine fide, ita nec sine charitate esse potest. Proinde & Paulus docens sine operibus iustificari homines, addit legis, propter quæ Iudæi credebant se dignos iusticia euangelica. Et quod idem ait: Corde creditur ad iusticiam, Non soli fidei tribuit iustificationem, hoc est, non pronunciat hoc duntaxat hominem iustum, qui credit etiamsi tam solidè vt posset etiam montes transferre sua fide: tantum dicit opus esse fide ad hoc vt iustificemur vera legis obseruatione, quę sine fide obseruari non potest, nec seruata, quod Iudæi pertinacissimè contendebant, iustificare. Hoc non magis est iustificationis summam soli fidei tribuere, quàm si dixeris armari aliquem ad victoriam, esse victoriæ summam in arma sola conferre: Fit autem intentio PAuli perspicua ex eo quod addit: ore autem fit confessio ad salutem: oris confessionem non tantum eam quæ lingua profertur, sed quodlibet signum, quo pietatem exterius profitemur appellauit. Inter quę præstant proculdubio opera verbis. Quoniam qui dicit se nosse deum & mandata eius non custodit, mendax est. Expressius ergo, &, vt ita dixerim, ineffabilius opera fidē confitentur, quàm verba, tametsi oris confessio specialiter ad sacramenta referatur, quibus fidei adiunctis, gratia nobis datur. Fidei ergo necessitatem significat hoc dicto

Roma: x.

i Cor: xiij.

Oris confessio qd apud Paulum.

i Ioan: ij.

hoc dicto Paulus, non tamen solius eius sufficientiam.

Sed perstant isti obijcientes Paulum dicentem, gratis iustificari hominem per gratiam. Si autem gratia, ait Paulus, iam non ex operibus. Alioquin gratia, dicente eodem, iam non est gratia. Non negant catholici id, gratis tamen ideo aiunt dici apud Paulum, quia nihil eorum quę iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Quis enim prior dedit deo, ait Paulus, & retribuetur ei? Non tamen quia nostra nulla requiratur dispositio ad iustificationem, Nam si ea non est opus prorsus, cur non iustificantur & saluātur omnes ethnici? Gratis itaq; ideo iustificari dicimur, quia nulli operum nostrorum præcedenti iustificationem, neq; ipsi fidei debetur iustificationis gratia, veluti ipse Paulus ait: Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Non autem, q non disponamus, aut præparemus nos ad illam, fide nostra, spe, et charitate. Quare enim diceremur à Paulo iustificari per fidem vel ex fide? Quare Christus dixisset Magdalenæ, & æmoroissę: fides tua te saluam fecit? Et PAulus: Spe salui facti sumus? Et PSAlmographus: Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eū, quoniam cognouit nomen meum? Dilectio autem apertè asseritur causa remissionis peccatorum, cum dicitur, remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Neq; probandum est, quod quidam hic aiunt, dilectionem

Solutio obiectionis.

Roman: xi.

Concilium Tridētinū ca: viij

Roman: xi.

DISPositione nostra opus ē ad iustificationem.

Roma. iiij.

Roman: iij.

Roma: viij.

Psal: xc.

Lucæ vij.

Solutio obiectionis.

ctionem poni pro fide per synechdochem. Non enim Christus statim quęsiisset vter duorum debitorũ plus crederet fœneratori, sed vter plus diligeret, neq; satis consequenter intulisset ex hac parabola: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quod aũt conuersus ad Magdalenam dixit: Fides tua te saluam fecit. non hoc fecit, vt indicaret se accepisse dilectionẽ pro fide, fontem indicare voluit flagrantissimæ charitatis, quæ illius oculos in tantum imbrem lachrymarum adegit. Vnde alibi dixit: Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Et item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansiõem apud eum faciemus. Fidem autem & alias virtutes esse donum dei testis est præter cæteros Paulus: Vobis donatum pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed vt etiã pro illo patiamini. Vnde AVGustinus epistola 105. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidẽ præcesisse, in qua esset meritum gratię, quid meriti habebat homo ante fidem vt acciperet fidem? Quid enim habet quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit? vt Paulus ait. Hæc Augustinus & alia similia alibi disputans contra Pelagium, cuius hi errores fuêre: prim9 per solas arbitrij vires possumus nos præparare ad gratiam. Secũdus gratiam omnem concurrentem ad nostram iustificationem antecedunt

Ioan: xiiij:

Philip: i.

Augustinus.

i Cor: iiij.

Pelagij errores.

tecedunt bona opera per solum liberum arbitrium facta, & causæ sunt participationis illius gratię. Tertius opera bona per solum liberum arbitrium facta meritoria sunt iustificationis & remissionis peccatorum. Vnde & in concilio Palestino tria inter cætera, referẽte Augustino, coactus est anathematizare. Primum gratiam dei atq; adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atq; doctrina. Secundum, gratiam dei secundum merita dari. Tertiũ pœnitentibus venia non datur secundum gratiam & misericordiam dei, sed secundum meritum et laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. Ignorabat enim Pelagius gratiam præueniẽtem, qua præparemur ad gratiam. Præterea credebat bona opera, quibus deus promisit gratiam, esse ex iusticia merita ipsius gratiæ. Quem errorem AVgustinus in multis locis damnat, qui in epistola 106 hæc inter cætera dicit: Neq; à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, boni aliquid quisquam accipere meretur, nisi accipiendo quod non meretur. Et ideo non dei iusticiæ, sed dei potius misericordię imputandum docet, quod ex massa generis humani corrupta (id quod nesciuit Pelagius) faciat deus vasa quædam in honorem, quia nulla iusticia gratiã dei pręcesit. Et cum sibi obijceret: Si ex fide iustificati, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quàm donatur? in hunc modum respondit. Non dicat ista homo fidelis, quia cum dixerit vt merear iustificationem,

Cõcil: Palest.

Gratia præueniens ignota Pelagio.

Solutio obiectionis.

stificationem, habeo fidem, respondetur ei. Quid non habes, quod non accepisti? Ibidem etiam probat veniam dari pœnitentibus secundum gratiam & non secundum merita eorum, quia pœnitentia domini dei est. Ita Augustinus.

Venia secūdū gratiā datur pœnitentibus

Vnde & apostolus Paulus iustificationem appellat creaturam: quia sicut nemo mereri potuit, vt crearet, nemo valuit officio præuenire creatorem: ita nemo potuit mereri vt iustificaretur, hoc est, nemo propiciatorem officio preuenire, sed ipse suapte sponte propt nimiam charitatē qua dilexit nos, dignatus est causam nostram agere apud patrem, cuius voluntate etiam fiebat. Gratia, inquit Paulus ad Ephesios, estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu, in bonis operibus quæ preparauit deus, vt in illis ambularemus. Hæc Paulus. Vnde canon .i. concilij Tridentini. Si quis dixerit hominem suis operibus quę vel per naturę humanę vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Christum Iesum gratia posse iustificari corā deo, anathema sit. Et 2. Si quis dixerit, ad hoc solam diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumq;, sed ægre tamen, & difficulter possit, anathema sit. Tertius item: Si quis dixerit sine præuenienti spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, sperare,

IVSTificatio cur à PAulo dicitur creatura. Ephes: ij. Gal: vi.

Ephe: ij.

Concil: Trident: canones de iustificatione.

dere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei gratia iustificationis conferatur, anathema sit.

DE ACCEPTIONE FIDEI IN LITERIS SACRIS.



ET QVIA FIDEI VOCABVlum multipliciter in scripturis diuinis accipitur, proinde ea de re, & ratione iusticiæ, tum, quatenus à nobis dependet, dicamus, ex quo causa hæc manifestior erit.

Ratio ordinis in sequētibus.

FIDES in scripturis significat aliquando conscientiam, vt in illo Pauli: Omne quod non est ex fide peccatum est, contra propriam persuasionem, animiq; sententiam, ac repugnāte conscientia fit, peccatum est: neq; enim putandum est, omnes infidelium actiones in specie studiosas, quas moraliter bonas vocant, statim esse peccata, neq; infidelem in eo q naturali affectione eleemosynam indigenti largitur, peccare. Est & fides constantia in præstando quod quis promiserit, vt idem Paulus. Quid enim si quidam eorum non crediderunt, nūquid infidelitas eorū fidem dei euacuauit? Est & fides vsitatiore scripturæ ecclesiasticorumq; scriptorum more, secundum quam Christi fideles dicimur, nempe is habitus animi, quo certo & absq; vlla hæsitatione assentimur his, quæ à deo, salutis nostræ causa ec

Fides pro cōscientia. Roman: xiiij.

Fides constātia in præstādo. Roma: iij.

Fides catholica.

causa ecclesiæ suæ reuelata sunt: seu scripto illa seu viuę vocis oraculo, viuaq; traditione Christi, aut apostolica eadem acceperit: & velut per manus à patribus in filios, magno ad nos consensu perduxit. Cui & de scriptis & de non scriptis ea in re credimus. Hæc fides ab orthodoxis appellatur catholica, de qua Paulus: sine fide impossibile placere deo. Et Christus cum certam damnationē non credentibus denunciat. Quę de habitu illo non actu fidei, certum est intelligi, cum sine actu fidei deo placere nos posse seu dormiētes seu aliquid agentes, indubitatum sit.

Heb: xi.
Ioan: iij.

Fides acquisita et infusa.

Est autem huius generis fides duplex acquisita et infusa, vt scholę dicunt. Prima est, quę ex nobis est & à nobis exigitur. Altera, quæ illi à deo superfunditur. De priore illud PAuli ad Romanos intelligendum, vbi docet: gratiarum dona cuiq; dari secundum rationem fidei. De altera vero ad Corinth: 12. cum fidem numerat inter dona gratuita dicens: Alijs datur fides in eodem spiritu. De qua & apostoli cum orarunt dominum dicentes: Auge in nobis fidem. Hanc deus largitur ad mensuram illius prioris fidei, pro vtilitate ecclesiæ & suæ voluntatis beneplacito. Neq; est hæc ea catholica omnibus membris Christi corporis necessaria, sed quibusdam secundum voluntatem dei datur.

Roman: xij.

Catholicæ fidei differētiæ seu qualitates.

CAтholicæ fidei differentiæ seu qualitates sunt in scripturis occurētes, secundum quas quędam infirma, quędam sana, quædam modica, quædam magna, quędam perfecta, quędam mortua, quędam viua fides dicitur. In

citur. Infirmam quandam esse fidem apostolus ostendit cum dicit: Infirmantem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Quodsi est infirmitas, est sine dubio & sanitas fidei: sicut in alijs idem ostendit apostolus cum dicit: Increpa illos acriter, vt sint sani in fide. Sana itaq; fides dicitur, quę perfecta potest capere omnia, nec in vllo dei verbo scādalizatur. Modicę fidei sæpe arguūtur & accusantur à Christo apostoli, & singulariter Petrus, cum eius mandato super vndas ambulans dubitare cœpisset, & ipsa cum dubitatione mergi. Magna fides prædicatur Centurionis, de quo Christus: Amen dico vobis, ne in Israël tantam fidem inueni. Et item mulieris Chananeę: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Mortuam fidem Iacobus pronunciat frigidam, torpentem, & quę charitatis fructibus destituta est. Vnde econtrario viuam eam fidem dici oportere, quę per dilectionem operat̄.

Roman: xiiij.
Titum i.
Matt: viij.
Matt: xiiij.
Mat: viij.
Mat: xv.
Iacobi ij.

Fides catholica quam isti in voluntate esse aiunt, etsi rationis propriè virtus videatur, eam nempe perficiens, dirigensq; in finem proprium, & regula illi existens, qua verum à falso discernat. Vnde illud Pauli: De ecclesia captiuāte omnem intellectum in obsequium Christi fide nimirum cogente credere quod non videtur. Et illud de incredulis: Quod tenebris habēt obscuratum intellectum. Et apud Isaiam fides appellatur noticia, quę est intellectus. Nihilominus tamen, magna ex parte à libera nostra voluntate dependet. Primum, quia humilitatis germen est, qua suę quis rationis ad

Albertus Pighius cōtr: ij.
ij Cor x.
Eph: iiij.
Fides non solius rationis sed voluntatis est.

tionis ad inueuienda & comprehendenda ea quæ ad illam vitam beatam sunt necessaria, imbecillitatem intelligēs, intellectum suum deo prorsus subijcit sibi derogat, illi vero attribuit honorem veritatis infallibilis nihil dubitans verum esse, quicquid ab ipso reuelatum fuerit, etiāsi seu sensibus, seu rationi non videretur, captiuans vezt eandem in obsequium fidei. Deinde, quia huic fidei & ratiōis mentisq; assensui, quò perfecta fides dici poſsit, adiuncta esse debet etiam animi certa quędam firmaq; fiducia, qua dei verbo veritatiq; ita innititur fidelis anima, vt absq; vlla hæsitatione quicquid illud sit, velut si manibus teneret, certum habeat. Qua nihil dubitaret, si deus iuberet, vel super vndas & maris fluctus currere. Quæ non est æqualis in omnibus, etiā ijs, quibus illa rationis fides æqualis est.

ij Cor: x.

Huius exiguitatem reprehendit Christus in Petro super vndas ambulāte cum diceret: Modicę fidei quare dubitasti? Ei opponitur propriè fluctuatio quædā seu timiditas aut diffidentia animi. hanc eandem vbiq; dominus requirebat ab ijs quos gratia sanitatis impartijt. Vt illud: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Eadem hæc est, quæ efficacem orationem facit, & quam Christus & Iacobus in oraturis exigunt. Ille cum dixit: Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes accipietis. Hic vero: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Eadem quoq; est, cui virtus miraculorum in sacris li-

Fides fiducia cui opponitur timiditas et diffidentia animi.

Matt: xiiij.

Matt: xviij.

Iacobi i.

in sacris literis tribuitur. Amen dico vobis, inquit Christus, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis non solū de ficulnea facietis, sed etsi mōti huic dixeritis, tollere & iacta te in mare, fiet. Et Paulus ad Corin: docēs hanc fidem sine charitate nobis inutilem ad salutem, affirmat, si habuero omnem fidem, ita vt mōtes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Matt: xxi.

i Cor: xiij.

Et quanquam ista fides, hoc est, illa certa animi in dei verbum fiducia, diuersa res sit ab illo assensu mentis & rationis in veritatem credibilium, vtramq; tamē velut partes sui quasdā in se complectitur fides catholica, qua vniuersa anima, non sola ratio, diuinæ veritati firmiter innititur, & vtraq; pars totius, hoc est, fidei simpliciter nomenclaturam obtinet. Tametsi hæc eius pars quæ animum, hoc est voluntatem in eandem firmat, fiducia inquam hæc in plerisq; non ita fortis sit, sed infirma & modica: in alijs autē perfecta. Nam hac maxima sui parte incrementa fides suscipit cum altera illa quæ rationis est, ferè sit ęqualis in omnibus, vt per quam vniuersis à deo reuelatis fideles omnes credim9, et ęqualiter credimus, quia certo et firmiter credimus.

De perfecta vtraq; hac sui parte apostolus se loqui significans, inquit: Si habuero omnem fidem. Omnem dicit, hoc est, vtraq; sui parte perfectam, & non solum illum rationis assensum credibilium, sed etiam hanc animi fiduciam aut confidentiam in dei veritatem, cui maximè virtus miraculorum tribuitur. Proinde & hanc illi, maioris etiam significationis causa, adiungit

i Cor: xiij.

et copulat, ita vt montes, inquit, transferam.

Fides catholica à spe & charitate distinguitur.

Hanc fidem catholicam etiam vtraq; sui parte perfectam, atq; omnem à spe & charitate distingui, vt proprie earundem rationes per se euidenter loquuntur, ita vbiq; distinguunt sacræ literæ. Nam fide veritati dei firmiter assentitur et innititur vniuersa anima. Spe, ob consyderatam perpensamq; ex fide eius bonitatem et misericordiam, sperat etiam sibi, quamuis peccatori fore propitium. At charitate, illum iam prosequitur amore debito, atq; in eo proximos. Itaq; Petrus.

i Pet: i.

Vt fides, inquit, vestra, & spes esset in deo, animas vestras castificantes in obedientia charitatis. Fides primum est, quam sequitur spes, quę & alteram quandam

SPES.

fiduciam nobis dat ab illa quam fidei partem diximus, nempe reuertendi ad piissimum dominum etiam post offensam grauissimam. Cui demum nos coniungit charitatis obedientia, qua nostras animas sanctificamus deo, illi dedimus, atq; addicimus, gratumq; habitaculum facimus, quod non facit ipsa per se fides, nō spes nata ex fide bonitatis dei & erga nos misericordię, qua reuerti audemus ad eum, quem tam grauiter offendisse, nobis sumus conscij, sed charitas, & quę ex ea nascitur, humilis & sollicita erga deum obedientia, vt Petrus his verbis clarissime significat. Et Paulus Timotheo scribens:

ij Timot: ij.

Iuuenilia, inquit, desyderia fuge, sectare iusticiam, fidem, spem, charitatem. Et ad Corinthios.

i Cor: xiij.

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas. Tria ponuntur di-

stincta. Et paulo superius fidem à charitate non solum distinctam, sed plane seperabilem demonstrat etiam illam quam exposuimus perfectam & constantem suis partibus. Si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt mōtes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Quæ isti videant, qui fidem à charitate non distinguunt, quiq; eam absq; operibus satis putant. Nihilo tamen minus de hac ipsa fide, nonnunquam loquuntur scripturę, non vt nuda in se, secundum illam suam rationem propriam, sed vt charitatis feruore viuente actuosa ac fructificante, quę, vt alibi apostolus ait, per dilectionem operatur, atq; ita quædam soli tribuuntur, quæ soli in se non conueniunt, vt alibi ostenditur.

OBSeruandum autem hoc loco fidem à charitate separatam esse veram, licet non viuam. Vnde canon 28 concilij Tridēt: Si quis dixerit ammissa per peccatum gratia simul & fidem ammitti, aut quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui veram fidem sine charitate non habet non esse Christianum: anathema sit.

Cum autem verum dicatur duobus modis: Primo, quòd actu est ac speciem suam retinet. Secundo, quòd vim habet ac energiam, hoc est, efficaciam & perfectionem, quam iuxta speciem suam potest habere, iuxta priorem modum cōcilium dixit verā fidem in peccatoribus, quia idē omnino vel actus vel habitus fidei in eis potest residere, qui erat dum erant in gratia.

Fides quædā aut confidentia quæ ex syncero et familiari dei amore nascitur.

Recurrit preterea & altera quedam huius fidei que à fidendo deducitur, hoc est, fiduciæ aut confidentiæ singularis acceptio, pro ea quæ ex syncero, ardenti, & familiari, mutuoq; dei amore nascitur, quam in eo collocamus, quem syncere diligẽtes nihil dubitamus, nos vicissim ab ipso amari, illi nos esse curę, etiam quomodocunq; hic agatur nobiscum. Est autem hæc fiducia diuersa ab ea quam includit, & in se etiam complectitur illa fides catholica, & cui præcipue miraculorum virtus adiuncta erat, vbi & quamdiu ea potestas pro assertione veritatis doctrinę euangelicę necessario data erat eiusdem præconibus apud infideles, quibus ea argumenti loco erant, q; deum autorem haberet. Nam illa dei veritatẽ propriè pro obiecto respicit: hæc dei bonitatem magis, vt iam per mutuum amorem quodam modo nostra facta est. Illa præcedit dei amorem et ab eo separabilis, adeò vt affirmet apostol9 omnem se eius generis fidem habere posse etsi charitatem non habeat, hæc sequitur charitatem, atq; eius germen est. Illa esse potest in operarijs iniquitatis, de quibus Chri-
Matt. vij. stus. Multi, inquit, dicent mihi in illa die: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in noĩe tuo virtutes multas fecimus? Et ego, inquit, tunc confitebor illis quia nunq; cognoui vos. Discedite à me operarij iniquitatis. Potest ergo illa fides etiam omnis ac perfecta in operarijs iniquitatis esse. At ista iustorum tantum et sanctorum est, qui animas suas per obediẽtiam charitatis iamdudum sanctificauerunt deo, iuxta supra dictam Petri sententiam. Est ergo hęc, dei amore, nempe sua causa posterior. Vnde etiam manifestum est, vt sit hæc fides diuersa ab ea quę spei coniungitur, & ex ea proximè nascitur, qua, de diuina misericordia sperantes pœnitentibus nobis peccatorum, quibus maiestatem tantam offendimus, & ad eandem suppliciter recurrentibus fore propitium. Nam illa necessario præcedit, sicut ea quam diximus, necessario sequitur, iustificationem nostram. Et hæc de acceptionibus fidei quæ in scripturis reperiuntur.

Nunc de iusticię ratione dicendum.

DE RATIONE IVSTICIAE.



Insticia ĩ creaturis.
Albertus Pighius controuersia II.

NPRIMIS HOC IVSTVM À doctis in creaturis dicitur, quod exactè respondet suę regulę: et iusticiam, exactam ad suam regulam correspondentiam. In deo autem est iusticia non
in Deo. hæc relatiua (neq; enim aliam extra se regulam habet, cui conformari debeat) sed per essentiam.

In hominibus duplex consyderari potest iusticia, sicut duplex inuenitur regula, cui conformari debeãt.
coram hoĩbus Altera, qua iusti sunt coram hominibus, aut inter homines, nempe respondentes legibus, quibus constat iustum, inter homines: vt neminem afficientes iniuria, immo be-

immo beneuolentia cæterisq; officijs persequētes proximos, omnibus in omni ordine reddentes quod suū est. Altera est iusticia, qua iusti sunt coram deo.

Coram Deo.

Iusticia hoīnum corā deo trifariam potest intelligi.

Id autem trifariam intelligi potest, vel q̄ nostra iusticia cum diuina conferatur, & velut in contentiōem reuocetur, iusticia. Sic non iustificatur in conspectu eius vlla creatura, iuxta illud Iob: Nunquid homo dei comparatione iustificabitur? Et item: Cœli non sunt mundi in conspectū eius.

p̄ cōtentionē. Iob iiij. Iob xv.

Vel intelligitur homo iustificari coram deo, hoc est, coram tribunali diuini iudicij, dum regulę diuinę iusticiæ qua parte ipsum respicit exactè respondet, regula autem illa intelligenda lex diuina. Porro & hæc dupliciter intelligi potest: Vel in sua illa absoluta perfectione, secūdum quam hoc mortis corpus adhuc ferentibus nobis, velut scopus quidā in quem perpetuo collimare debeamus, ad quem semper conari, et nos exercere quò accedamus vicinius, magis proponitur, quàm sub obligatione exigitur, tunc consummāda cum euacuabit quod ex parte est, præsertim in illo primo omnium & maximo mandato, quo deus nobis diligendus ex toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus proponitur. Ipse enim nouit figmentum nostrum, nec ignorat quoniam puluis sumus, & proinde nostræ fragilitati prorsus impossibilia à nobis non exigit, pius pater est & misericors dominus, non rigidus exactor eorum, quę vires nostras quas ab ipso accepimus, planè superant.

p̄ correspondentiā ad suam regulam.

Vel illam absolutissimam & perfectissimā

Vel, prout

Vel, prout illa ipsa diuinæ iusticiæ lex & regula nos respiciens, nostrę infirmitati aptata condescendit et conuenit. Primo modo in conspectu dei non iustificatur omnis viuēs, et mortale adhuc corpus, quod aggrauat animam circumferens: immo & iusticię nostræ hoc pacto iniquitates inueniuntur, & velut pannus menstruatæ: plurimumq; deficere ab exacta illa absolutaq; iusticia non solum diuina in se, quæ nos nō respicit (neq; enim ille tam aut stultus aut iniquus est, vt infinitæ iusticiæ suę puritatem, in corruptibili & infinitis infirmitatibus obnoxia sua creatura exigat) sed etiam ea parte qua nos respicit: atq; inuenitur multominus habere.

Vel ad illam quatenus nostræ infirmitati obtemperata est.

Sed & secundo modo, si regulam illam diuinæ iusticiæ, etiam quatenus infirmitati nostræ attemperata est, intelligas ex voluntatis humanę in constantia, et inclinatione quadam ad carnis desyderia, quę ab illa lege diuinę iusticiæ nos deflectere, & ad se attrahere, ac sollicitare nunquam cessat, adhuc inuenire non est iustum quenquam coram deo inter filios Adę. Siquidem iusticia hęc est ad suam regulam, etiam nostrę infirmitati attemperatam exacta correspondentia, & commensuratio in actionibus nostris omnibus. Totū enim vniuersumq; hominē denominans iusticia hæc, secundum omnes eius partes, & omnes singularū partium actiones, vt illi regulæ suę respondeat, & in officio suo constet, necesse est, cuicumq; hæc iusticia conuenit. Neq; enim, qui partem vnam aliquam legis ser-

 uauerit,

uauerit, præuaricator in cæteris, hic iustus est, immo quicunque inquit Iacobus, totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit & Non occides. Quodsi non mœchaberis, occides aût, factus es transgressor legis. Proinde scriptũ est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Significante hoc diuino spiritu, iusticiam esse exactam, & secundũ omnes suas partes ad regulam diuinę iusticię nobis pręscriptam correspondentiam. Quodsi verum est illud Ioannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: Item illud: Non est iustus quisquam, Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Omnes peccauerunt: & egent gloria dei.

Iacobi ij.
Deute: xxvij.
Psal: xiij.
Roman: iij.

Cum itaque nemo mortalium proferre possit suam iusticiam, qua rectitudini diuinæ legis exactè respondeat, sed iniusticię potius ab ea ipsa conuincatur, & proinde maledicto, atque irę diuinæ (cui subiecti sunt legis transgressores) inueniatur obnoxius. Auersatur enim dominus omnem iniusticiam. Certissimaque est illa apostoli sententia: Iniqui regnum dei non possidebũt: constat planè, quę de nobis omnibus foret sententia, si deus voluisset districto nobiscum iudicio agere, si non misericordissimè nobis succurrisset in filio, & nostra iusticia vacuos, eius innotuisset iusticia. Quod verissimè intellexit ille, qui ait: Si iniquitates obseruaueris domine,

Deut: xxv.
i Cor: vi.
Psal: cxxix.

ris domine, domine quis sustinebit. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vnde illud Augustini: Væ hominum vitę quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur. Nam quod non in operibus nostris, non in nostra iusticia, sed in vna ignoscente iniquitates nostras misericordia per CHristum sit spes salutis nostre à deo assequendæ, docet Paulus ad Romanos, testimonio Dauidis: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Non dicit: Beati qui ex operibus suis iusti coram deo sunt. Vnde Paulus: Si per legẽ iustificatio ergo Christus frustra mortuus. Et alibi: Notum vobis sit viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annũciatur ab omnibus à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. Item: Quoniam deus erat in Christo mundum recõcilians sibi, nõ imputans hominibus sua delicta. Eum qui peccatum non fecerat, pro nobis fecit peccatum, hoc est, hostiam peccati expiatricem, vt nos efficeremur iusticia dei in ipso. Et alibi: Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatoris constituti sunt multi, ita & per vnius obeditiõem iusti constituentur multi. Ad Corinthios præterea: Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu qui factus est nobis sapientia, & iusticia, & sanctificatio, & redemptio, vt (quemadmodũ scriptum est) Qui gloriatur in domino glorietur.

Psal: cxlij.
Augustinus.
Roman: iiij.
Galat: ij.
Actuum xiij
ij Cor: v.
Roman: v.

Vbi animaduertẽdum est CHristum dici nr̃am iusticiam,

CHristus nostra iusticia quomodo.

sticiam, non quod ipse sit nostra formalis iusticia, sed quia per illum iustificamur meritoriè & efficienter. Vnde Ambrosius in hæc verba, ideo Christum esse à deo nobis iusticiam &c̄. quia per ipsum verè sapientiam discimus, & sanctificati, hoc est, ab opere carnis, et idolorum immundicia purgati, & iustificati ac redempti sumus. Plerumq; enim prædicatio identica pro causali in sacris literis ponitur per auxesim, vt in illo Christi: Ego sum resurrectio & vita. Quæ verba dominus dicens, inquit Cyrillus, vim suam viuificam & resuscitatiuam euidentius expromens dixit.

Locutio scripturæ.

Proinde in concilio Tridentino sic declaratum est, ex sententia scripturæ & orthodoxorum, vnica formalis causa est iusticia dei, nō qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iusticiam in nobis recipientes vnusquisq; secundum suam mensurã, quam spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusq; dispositiōem & cooperationẽ. Quæ manifestum est iusticiæ Christi non posse conuenire, cum hæc iustificatio non posit inhærere, sicut illa qua iusti fiunt, vt ibidem docetur. Quanquam, inquit concilium, nemo posset esse iustus, nisi cui merita pasionis Christi Iesu domini nostri communicantur. Id tamen in hac impij iustificatiōe fit, dum eiusdem sanctissimæ pasionis merito per spiritum sanctum charitas dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atq; ipsis

Conciliũ Tridentinum.

Formalis causa iustificationis.

atq; ipsis inheret. Et tandem sub anathemate hoc idem statutũ in canōe 10. Si quis dixerit homines sine Christi iusticia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustificatos esse, anathema sit.

Canon concilii Trident.

Cur autem per mediatorem CHristum deus salutẽ amissam nobis reddidit. Eam rationem nobis aperit apostolus, vczt vt iusticiam ipse suam demonstraret. Nam cũ nostri misertus nollet nos deserere perditos, et iusticiæ suæ ratio non admitteret iniustos admittere, ac recipere in intimam illam amicitiam, beatitudinisq; consortium: Et in nobis post expẽsa omnia, nullam inueniret iusticiam, sed contra potius reos omnes peccati & iniusticiæ: quò & iusticiæ suæ sibi constaret ratio, et misericordia erga nos locum haberet, hoc inuenit infinita sapientia consilium, vt gratis nos sua iusticia impartiretur in Christo, quẽ dedit nobis, quo salua iusticia sua posset nos ex iniustis factos iustos, beatitudinis suę consortes facere. Omnes, inquit Paulus, peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quę est in Christo Iesu, quem proposuit deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iusticiæ suæ, propter remisionem præcedentium delictorum, in sustentatione dei, ad ostensionem iusticiæ eius in hoc tempore vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu CHristi.

QVÆSTIO.

Roman: iij.

Roman: iij.

Exigebat sanè diuinæ iusticiæ atq; bonitatis ratio, vt nostra tam grauis erga creatorem nostrum inobedientia &

dientia & offensa, non sine condigna aliqua satisfactione remitteretur, ne non magnopere displicere sibi crederetur à nobis iniquitas et malicia, si inulta remitteretur tam facile. Sed cum ad satisfactionem eiusmodi nostra infirmaretur imbecillitas, nec vniuersa nostra possibilitas aut facultas sufficeret, sucurrit miseris hominibus diuina bonitas, & quod nobis erat impossibile, id illa se satisfacturum recepit. De qua re preter cæteros apostolus hæc ait: Nihil ergo damnatiõis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui nõ secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. *Roman: viij.*

DE CAVSA DISPOSITVRA
AD IVSTIFICATIONEM.



D HANC IVSTIFICATIONIS et salutis gratiam ex deo & CHRISTo mediatore nihil deesse cuiquam, docet apostolus: Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, *i Timot: ij.*

peruenire, vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ex hominibus ergo oportet deesse quòd non omnes iusticiæ & salutis in Christo participes efficiũtur. Inprimis itaq; quò quis eius fiat particeps, fidem habeat: Nam non credentibus certam damnationem Christus denunciat: Qui non crediderit, inquit, condemnabitur. Et alibi: Qui non credit iam iudicatus est. Et Paulus affirmat impossibile esse sine fide placere deo: Fidem autẽ hic intelligo secundum rationem propriam, secundum quã à spe & charitate distinguitur, vt quæ veritatem dei adæquare respicit, et per quam illi mente & animo firmiter assentimur, de quo paulo superius dictum est. *Mat: vltimo. Ioan: iij. Heb: xi.*

Porro hæc fides multipliciter prodest: Primum, ꝙ fide intercedente, CHristus confert illis vim vt legem ad quam humanæ vires non attingebant, obseruẽtur. Ad hoc enim in similitudine carnis venit, vt quod impossibile erat legi perficere, iustificatio legis impleretur in his qui non secundum carnem ambulant, sed secũdum spiritum. Secundo, quòd ipsa legis obseruatio quantumlibet perfecta, qualis vix reperitur, inefficax esset ad æternam felicitatem, nisi per Christum, cuius membra nos facit fides, æternitatem quandam obtineret in merendo. Hinc enim fit, vt quod momentaneum est, et leue tribulationis nostrę supra modum in sublimitate æternę glorię pondus operetur in nobis. Tertio quòd cum capessentibus æternitatem hanc, in via qua *Vtilitates fidei. Roman: v. Roman: viij. ij Cor: iiij.*

Psal: cxli. via qua ambulamus (vt ait propheta) absconderint superbi laqueum nobis tam multiplicem, vt nemo queat euadere, quin aut corruat, aut cadat, aut hæreat, aut cespitet, Christus semper credentibus adest, vt iacentes erigat, errantes dirigat, cadentes subleuet, labantes sustineat, hærentes expediat. Nam dominus soluit *Psal: cxlv.* compeditos, dominus illuminat cœcos, erigit elisos, dñs diligit iustos. Quos iustos, nisi quos soluendo, illuminando, erigendo, dirigendo, trahendo iustificat? Quarto, ꝙ eadem fides, vt cadentes collisi, & obruti facinoribus, non desperemus de Christi misericordia, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quiq; per prophetas suos clamat: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hæc gemina conuersio est, quæ hominem iustificat, hominem quodam modo deo componit & æquat.

Prima ergo & ante omnia necessaria vera synceraq; fides est, sine qua nihil subsistere sequentium potest: *Heb: xi.* vnde à Paulo appellatur fundamentum, ex qua velut radice quadam, quicquid non procedit, quantumuis alioqui per se bonum videatur, adeò nihil ad salutem valere certum est, vt gloriosus Christi martyr et pon- *Cyp. tract: iij.* tifex Cyprianus aduersus Nouatianum affirmare non *☞ Sine catholica fide neminem saluari.* dubitet: Cum deo, inquit, manere non possunt, qui esse in ecclesia dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flãmis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis gloriosus exitus, sed desperationis interi-

onis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. hæc Cyprianus loquens de hæreticis & schismaticis. A' quo non dissentit Augustinus lib: iij, cap: 5. contra duas epistolas Pelagianorum. Nostra fides, inquit, hoc est, catholica fides iustos ab iniustis, non operũ sed ipsa fidei lege discernit. Quia iustus ex fide viuit. Per quam discretionem fit, vt homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei vllius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus vsq; ad continentiam ab omni omnino concubitu, etiam coniugali, eleemosynarum largissimus, iniuriarum patientissimus, qui, non solum non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiã venditis omnibus suis, erogatisq; in pauperes nihil suum proprium possideat, cum suis tamẽ istis velut laudabilibus moribus, si non in deum fidem rectam & catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat: alius autem habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamen ita vt ille benè moratus, incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, coniugij carnalis debitum reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verumetiam voluptatis, quamuis cum sola vxore concumbit, quod coniugatis secundum veniam concedit apostolus, iniurias tamen nõ patiẽter accipit, sed vlciscendi cupiditate fertur iratus, quamuis vt possit dicere: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, rogatus ignoscat, possidet rem familiarem, faciens idem quidem eleemosynas, sed non

NOTA uerba Augustini *NOTA.* *i Cor: vij.* *Matt: vi.*

tam largas quàm ille, non aufert aliena, ſed quamuis eccleſiaſtico iudicio, non forenſi tamen repetit ſua, nẽpe iſte qui moribus illo videtur inferior propter rectam fidem, quę illi eſt in deum ex qua viuit, & ſecundum quam in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus operibus bonis deum laudat, ſibi tribuẽs ignominiam, illi gloriam, atq; ab ipſo ſumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, et in conſortium cum Chriſto regnaturorum, recipiendus emigrat. Quare niſi propter fidẽ? Quæ licet ſine operibus neminem ſaluat, ipſa enim eſt non reproba fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipſam etiam peccata ſoluuntur, quia iuſtus ex fide viuit. Sine ipſa vero etiam quę videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim quod ex fide non eſt, peccatum eſt. hæc & alia ibidem Auguſtinus. Habet itaq;, qui fidem orthodoxam & catholicam habet id, ſine quo deo nemo placere poteſt.

Fides sola nõ sufficit ad iustificatiõem.

Sed fidem hanc ſolam non ſufficere nobis etiã quantumcunq; in ſuo genere perfecta ſit ad iuſtificationem, paulo ſuperius oſtendimus ex Paulo & alijs. Sicut enĩ in ædificatione domus, vbi ſolum fundamenta iecerimus, adhuc longè abſumus à complemẽto domus, aut ædificij: & quamuis illud primum ſit, & ante omnia neceſſarium, vt ſine quo non ſubſiſtunt cætera, haud tamen propterea eſt totius ædificij præcipuum, operoſiſſimum & perfectiſſimum: Ita & fides licet fundamentum continet ſpiritualis ædificij, quemadmodum

eam Pau-

eam Paulus ad Hebræos appellat fundamentum, eſt tamen charitas ea excellentior. Vnde Paulus i Corinthiorum 13, docens charitatem reliquis ſpiritus ſancti donis præſtantiorem eſſe, hęc ait: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil ſum. Et paulo poſt: Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas, maior autem horum eſt charitas, de qua re latius ſcripſimus in aſſertiõe noſtra, qua docemus præſtantiorem eſſe charitatem fide. *Aſſertio.*

Ad iuſtificationem igitur quantum à nobis dependet, præter fidem requiritur ex fide procedens pœnitentia, & deteſtatio vitæ veteris, deinde & ſpes veniæ ac fiduciæ in dei bonitatem ac miſericordiam. Sed omnium conſummatio charitas, quam vinculum perfectionis appellat Paulus ad Coloſſeñ: qua etiam iuſti differunt ab iniquis, quos ſæpe contigit fidem habere, vt ex ante dictis patet. *Coloſ. iij.* Per hoc cognoſcent omnes, ait Chriſtus, quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem ſeruaueritis mutuam. *Ioan. xiij.* Hanc charitatem conſummationem legis dicit eſſe apoſtolus, non æmulari, non agere perperam &c̃ omnia credere, omnia ſperare, ac ſuſtinere. *i Cor. xiij.* Hanc vero eſſe viam ad deum reuertendi his qui ſe ab eo elongarunt, intelligẽt clarius, qui motus illius formam in ſe paulo diligentius expẽderint. Nec eſt quòd quiſpiam dicat hæc longiſſimum tempus requirere: *OBIECTIO.* Nam cum nihil mente humana eſt velocius, hæc citiſſimè homo animo perſequi poteſt, maximè ad illam primam iuſtificationem aſſequendam, de qua ante dictum eſt.

ctum est. Vnde capit: 7 concilij Tridentini scriptum habetur: Fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neq; vnit perfecte cum Christo, neq; corporis eius viuum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidẽ sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo Iesu neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium, sed fidem quę per charitatem operatur. Vbi etiã definitum iustificationem esse non solum remissiõem peccatorum sed & sanctificationem & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptiõem gratię & donorum. Hæc de dispositione seu præparatione ad iustificatiõem diximus, hoc est, ea de re vel ijs rebus, quas dum habemus iusti sumus, quandiu non habemus iniusti: non quod eis mereamur iustificatiõem, sed quod illis nos adulti, velut dispositionibus aut medijs quibusdam ad susceptionem eius disponamus, eisdem tamen nõ sine gratia Christi perpetratis. Nemo enim iusticiam hanc vllis operibus præcedentibus, promereri potest, sed gratis per Christum homini datur, vt ante ostẽdimus, tametsi contingat hominem se ad eius susceptionem disponere quibusdam operibus præcedentibus saltem interioribus, illis tamẽ non absq; gratia peractis. De causis alijs iustificationis in Scopo Biblico nostro egimus.

Concilij Tridentini canones. Doctrina hæc de iustificatione in concilio Tridentino approbata. Cuius quidẽ concilij canon nonus est: Si quis dixerit sola fide impium iustificari, vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequen-

consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suę voluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit. Et xij. Si quis dixerit fidem iustificãtem nihil aliud esse quàm fiduciã diuinę misericordię peccata remittentis propter CHristum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit. Siquidem hæc fiducia obtinendæ vel obtentæ misericordiæ diuinæ potest esse in peccatoribus, & in hæreticis, non tamen iusti & salui esse possunt, vt ostensum est. Et quamuis hæc fiducia est necessaria ad iustificationem, tamen à fide distinguitur à catholicis, & ab ipso Paulo apostolo. In CHRisto, inquit, habemus audaciam & accessum in confidentia per fidem eius. *Ephes. iij.* Et canon 24 eiusdem concilij: Si quis dixerit iusticiam acceptam non obseruari, atq; etiam non augeri coram deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solum modo & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.

DE MERITIS BONORVM *OPERVM.*



HACTENVS DE IVSTICIA fidei & operum diximus, nunc ostẽdendum nobis est, mereri nos operibus bonis vitam cœlestem, & alia bona, non ex dignitate operum nostrorum

strorum in se, sed ex illis cum fide & dei gratia coniũctis, ex benignitate dei ita nobiscum paciscentis, inter opera autem primo est charitas, & post illam cæteræ affectiones, quę obtemperant veritati. Testantur hoc Pauli verba dicentis, quosdam qui legem non habuerant, ipsos sibi fuisse legem, ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis. Porro legis opus charitas est, vt & finem legis alibi Paulus exponit: hæc cum verè inest opere esse dicitur. Diligamus, inquit Ioannes apostolus, non verbo & linqua, sed opere & veritate. Est tertium genus bonorum operum, nam de illis duntaxat loquimur, quæ prorsus sunt externa, vt ieiunium, eleemosyna, & cætera quibus aut iuuamus proximum, aut carnis moderamur affectus, aut pietatem et obedientiam eximia quapiam exercitatione prestamus. Quamuis & fides ipsa, opus dicitur: hoc est opus dei, inquit Christus, vt credatis in eum quem ille misit. Verum non in hoc sensu nunc accipitur opus, nisi quatenus à fide distinguit, ita vt idem fides nobis quod philosophis theoria, hoc est, speculatio. Opus vero, quod illis praxis, id est actio, quarum altera est, in intellectu, altera in affectu, nempe voluntate, cuius aut motu, aut imperio operamur. de hoc superius, vbi de fide egimus.

Roman: ij. *i Tim: i.* *Roman: xiij.* *i Ioan: iij.* *Ioan: vi.*

Opinio recentiorum.

Aiunt quidam recentiorum opera bona iustorum mereri retributionem, & aliqua bona in vita æterna, sed tamen non mereri vitam æternam, nec ipsam esse eorum operũ mercedẽ: sed id scripturę diuinę apertè repugnat.

repugnat. Cum enim Christus apostolis dicebat: Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Quis potest credere, de alia mercede eum locutum, quàm de vita ęterna, id quod antecedentia declarant. Pauperibus enim spiritu regnum cœlorum promisit, mundis corde visionem dei. Equidem cum dixisset: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Nõ contentus ijs statim adiecit: Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis: vt intelligerent apostoli non vtcũq; se consecuturos regnum cœlorum, sed via meriti, Nam merces correspondet merito. Et hac ratiõe cum explicuisset per obseruationem mandatorum vitam æternam esse possidendam, roganti Petro, quod igitur premium reliquum esset eis qui omnia propter ipsum reliquissent, respondit: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim tribus Isra'el. Ac vt ostenderet omnibus ipsam ætenam vitam fore mercedem bonorum ac alia præmia accidentia, continuo adiecit: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hæc est illa merces sæpius per scripturas promissa, propter opera bona. Et per Ioannem dicit: Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuiq; iuxta opera sua. Et sapientię 5. Iusti in perpetuum viuent, apud

Matt: v. *Mat: xix.* *Apoca: xxij.*

uent, apud dominum merces eorum. Et Esaię 4. Ecce dominus deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo. Merces autē correlatiua est meriti. Adhęc Christus in sententia ferenda in die iudicij explicuit opera bona se allegaturum pro causa renumerationis bonorum. Sunt igitur illa causa & merita ipsius. Venite, inquit, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi mãducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & cooperuistis me &c. Et alibi ait: Non quisquis dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Ibidemq; affirmat se operarijs iniquitatis, qui etiam per nomen eius miracula faciebant, dicturum: Nunquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Apud Ioannem item ait: Prodibunt qui bona fecerũt in resurrectiōem vitę, qui vero mala, in resurrectionē condemnationis. Quin & tota scriptura respectu vitę æternę perinde loquitur ac de malis ratiōe condemnatiōis æternę. Quare si de malis nō dubitatur, quin sint causa damnatiōis, nec de bonis ambigi debet, quin sint aliqua causa beatitudinis. Etsi sunt causę ipsius, erũt & merita. Quippe cũ non potest fungi hic aliqua ratio causę, nisi meritoria. Idq; vel eo magis sentiẽdum, φ dignitatem iustorũ respectu tanti premij exprimit scriptura diuina. Tẽtauit, inqt, iustos, et inuenit eos dignos se. Et Paulus ait: dignos nos fecit in partem

Matt: xxv. *Matt: vij.* *Ioan: v.* *Dignitas iustorum.* *Sapien: iij.*

in partē sortis sanctorũ in lumine. Et Thessalonicẽ testatur pati tribulatiōes, vt digni habeantᷓ regno dei.

Quin et meriti vocabulum quod recentiores auersantur, summis viris placuit, et in sacris literis inuenitᷓ.

Tertullianus lib: iiij contra Marcionem: Peccatoris, inquit, pœnitentia secundũ creatorē meruit veniã.

Ambrosius sermone de eleemosyna: Neq; promereri misericordiã domini poterit, qui misericors ipse non fuerit. Et addit operationibus iustis satis deo fieri, et misericordię meritis peccata purgari. Et in alio sermone: In cruce, ait, latro confitens, non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum. Et in illa verba: Quorum fidem vt vidit dixit: homo, remittũtur tibi peccata tua. Magnus dominus, inquit, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alijs misericordiam probat, alijs relaxat errata. Cur apud te ô homo collega non valeat, cum apud deum seruus, & interueniẽdi meritum, & ius habeat deprecandi. Et alibi sæpius.

Hieronymus in 2 aduersus Pelagianos: Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam saluatoris.

Augustinus epistola 89. Et quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdide, mortuus apud inferos torqueretur, tamen si pauperis vlcerosi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Atq; in verba illa Psalmographi: Incerta

ij Tessa: i. *Vocabulũ meriti.* *Lucæ v.*

et occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Niniuitæ pœnitentiam egerunt, & certam miſericordiam meruerunt. Nec diſsimilia inueniuntur apud cæteros orthodoxos exempla.

Meriti uocabulum in ſcriptura canonica.

In ſcriptura vero canonica ꝙ reperiatur hoc vocabulum meriti exemplum eſt Eccli 16: Omnis miſericordia faciet locum, ſecundum meritum operum ſuorum. Et apud Paulum: Beneficentiæ autem & communicatiõis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur deus. Quamuis autem in Græco ſit in eccleſiaſtico: κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, id eſt, opera ſua. Et verbum εὐαρεστεῖται quo vſus eſt Paulus, placatur & demeretur verti poſsit, tamen ſenſus idem eſt ſecundum opera, & ſecundum meritum operis. Ad eum modum Mathæi 16 Chriſtus locutus eſt: Filius hominis veniet in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum facta ipſius. Græcè κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, ſecundum actionem ipſius.

Heb: xiij.

OBIECTIO. Ephæſ: ij.

Sed obijciunt iſti Paulum dicentem non ex operibus ſaluari homines, & catholicos autores in partem contrariam, vt præter cæteros illud Bernardi ſermi: 1. de annunciatione B: Mariæ. Neceſſe eſt primo omnium credere, ꝙ remiſsionem peccatorum habere non poſsis, niſi per indulgentiam dei. Deinde quod nihil prorſus hahere queas boni operis, niſi hoc dederit & ipſe. Poſtremo ꝙ æternam vitam nullis promereri, niſi gratis detur & illa. Ita Bernardus.

Solutio.

Cæterum ſciendum eſt, cum ſancti videtur negare merita

merita operum ratione beatitudinis, ſciendum eſt non negare illos meritũ aut debitum ex gratia, & promiſsione diuina, ſicut dictum eſt, ſed merita ex libero arbitrio & viribus noſtris, ſicuti ſenſit Pelagius, vt diximꝰ. Vnde Paulus: Non ſunt condignæ paſsiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et hæc ſunt merita, quæ nos vult obliuiſci AVGuſtinus, vt dona Chriſti toto pectore amplectamur. Accipitur enim meritum dupliciter: Primo ſtrictè, vt eſt actio libera, cui debetur ex iuſticia præmium aliquod ſeu merces. Secũdo modo meritum largè acceptum dicitur actio libera, acceptata ad aliquod præmium, vel ex debito, vel ex pacto ſeu conuentione, aut ſimpliciter ex gratia et generaliter, quodcumq; opus quod impetrat apud aliquem mercedem aliquam vel prçmium, & cauſa eſt ipſius collationis. Primo modo catholici omnes negarunt gratiam ex meritis reddi, & damnarunt vbiq; opinionem Pelagij, aſſerentis gratiam ſecundum merita dari, & verbum gratis docuerunt, aduerſari meritis. Secundo vero modo nõ negant opera bona promereri iuſtificationem ſecundam, & vitam cœleſtem, vt dictum eſt: & AVGuſtinus alijq; aiunt, fidem aliquo modo promereri iuſtificationem. In qua opinione fuit etiam aliquando Lutherus, qui in cõmentarijs ad Galatas expreſſè fatetur fidem promereri gratiam vt daretur ſpiritus ſanctus. Vnde meritum dicitur à doctoribus aliud ex condigno, aliud ex congruo. Ad primum requiritur vt & opus ſit dignũ tali præmio, et lex ſit

Meritum accipitur dupliciter.

Andreas Vega in concilium Tridenti.

LVTHErus.

et lex ſit ſtatuta de ipſius conſecutione, ad ſecundum vero ſaltem alterum horum neceſſarium.

Quomodo intelligẽda particula gratis.

Quomõ igitur ęternam vitã dari gratis intelligendum? vt docti aiũt: Primo quia deus nulli debitor eſt, et ab eo nihil niſi gratis datur. Secundo gratis, comparatione eius quod à nobis pro æterna remuneratione fit, vt à nobis eſt. Tertio gratis, quia omnia merita noſtra dona eius ſunt. Cum igitur illa gratis dentur, in illis ſimiliter ipſa beatitudo gratis datur. Hæc omnia beatus Bernardus in loco prædicto expreſsit. Sic eñ dicit: Nec enim talia ſunt merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut deus iniuriam aliquam faceret, niſi ea donaret. Ecce primum quod diximus. Sequitur, Bernar: Nam vt taceam ꝙ merita omnia dona dei ſunt, & ita propter ipſa magis homo deo debitor eſt, quàm deus homini. hoc eſt tertium quod diximus. Iam addit et ſecundum. Quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam, & prius illud Pauli citauerat: Nõ ſunt condignæ paſsiones huius temporis. Vbi rurſus aduerte ꝙ & bona opera & merita Bernardus confitetur apertè, ſed omnia ex gratia. Idem facit ſermone de gratia & libero arbitrio. Confirmat hoc cõcilium Arauſicanum capit: 18. Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant, neminem, niſi deo miſerante ſaluari.

Et quamuis aliquando nomen meriti vſurpari ſolet, vbi nulla ratio meriti, nec ex condigno, nec ex congruo: tamen vbi aliquid nos dicimur obtinere noſtris actionibus

actionibus liberis, minimè prohibet eas eius præmij eſſe aliquo modo meritorias, cum merces quam deus promiſit, eſt relatiuum meriti. Et certè ſi Chriſtianorum opera non eſſent meritoria, nihil differrent ab operibus ethnicorum. Cum vero Chriſtiani ſunt Chriſto inſiti per fidem, ab eo vim quandam & efficaciam communicatam habent operibus quæ faciunt. Vnde ſi ethnicus quiſpiam eadem opera æquè perfecta faceret atq; fiunt ab egregijs fide et pietate catholicis, haud propterea vita illi deberetur æterna, quę tamen Chriſtiano, modo fidei & charitati non deſit, iure conuentionis euangelicę debetur. Siquidem bona opera pręter hoc ꝙ à fide proficiſcuntur & charitate, ſunt velut chirographum, quod niſi fidei autoritate firmetur, nullius eſt ponderis apud deum, qui ſola gratuita ſpõſione fidei debitor eundemq; ratum habet, Chriſti Ieſu nomine per fidẽ intercedente, cuius meritis iuſtè redditur, quicquid miſericordię fuit homini promiſſum, vt miſericordiam & iudicium ſimul cantare non minus frequens ſit, quàm familiare prophetis. Iuſtè, inquam, redditur, quod fuerat vltro promiſſum, ſi fidem et charitatem habeat erga promittentem, quia coronã vitæ promiſit deus diligentibus ſe, & eſt etiam inefficax promiſsio, niſi adſit in exigendo conditio, quę interceſſerat promittendo.

Simile.

Psal: x.

Iacobi i.

Vt autem hæc res fiat dilucidior & clarior datur à doctis hęc ſimilitudo. Fingamus eſſe regnum aliquod, cuius princeps gratuito largiat̃ vniuerſa ciuiũ vſibus neceſſaria,

Alfonſus Viruesius.

necessaria, ita tamen, vt ne ciues segnicie torpescant, non eis arma sed ferrum, aut calibem: non panes, sed frumentum: non deniq; pecuniam, sed æs duntaxat ex quo possit fieri donet: ita vt non minus prouidus sit in suis ciuibus omnium rerum commercio & sedulitate exercendis, quàm munificus in ditandis. Hinc si frustulum æris mercatori pro re quapiam, quæ in ei9 taberna prostet venalis, obtuleris, iure te derideat atq; respondeat: suas merces non lapidibus aut metallo venire, sed præmijs. Quodsi tantundem æris principis sigillo publico percussum produxeris, faciet tibi pro rata collatione valoris mercãdi copiam quicquid volueris. Nihil est in rebus humanis quod diuinas vsquequaq; possit imitare, & ad exemplar, quod aiunt, exprimere, quando nec mente quidem eas homo valet, quandiu mortalis est, assequi, tantum abest vt vllis aut verbis, aut rerum similitudinibus queant explicari. In hac tamen similitudine relucet vtcunq; species quædam Christianę reipublicę, cuius caput et princeps est Christus, qui dedit quosdam quidem apostolos, quosdam prophetas, alios vero euangelistas, alios pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, secundum cuius mensuram vnicuiq; nostrum data est gratia, hanc oportet non inesse nobis rudem ac inertem, sed sedulam & officiosam, quò possimus eiusdem verba Pauli dicere: Gratia dei sum, id quod sum, gratia tamen eius in me vacua non fuit. Alioquin princeps ille

ceps ille paterfamilias qui suos domesticos non fert, nec socordia, nec segnicie torpere, cum vsuris exiget, quod in ecclesię vsus & commertia distribuerat. Nam seruus desidiosus audit: Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtiq; exegissem illam. Quantum ergo, vt similitudinis vis ostendatur, discriminis est in humana republica, inter informem materiam vilem alioquin, & eandem in nummos conflatam: tantum in Christiana hierarchia interest inter opera illa, quę moraliter bona dicũtur, & eadem fidei & gratię charactere signata: Illa princeps non agnoscit, quia sine fide impossibile est placere deo: hæc vero probat & eorum commertio ampliora promittit: quin qui fidelis est in modico, supra multa constituitur. Adde etiam si vis in collatione, quòd sicut in humana republica, nihil tibi prodesset principis sigillum per tabernas ostentando circumferre absq; metallo: nec si metallum sine principis charactere ostentes quicquam proficies: Ita in Christi hierarchia, æque propemedum, inutilis est fides sine operibus, atq; opera sine fide, verum vtraq; simul, præciosi numismatis instar habentur, quo euangelica nobis est comparãda margarita, hoc est, æterna felicitas, cuius commertio Christus simile prædicat regnũ cœlorum. In huiusmodi commertio sita est ratio iusticiæ nostræ, quæ dei misericordiam minimè secludit, quinimo eidem prorsus innititur, & in ea perpetuo versatur: quippe quod fateamur dei esse gratuita munera, bona

nera, bona quæcunq; siue naturæ sint, siue gratiæ, quę possidet homo, quibus si legitime fuerit vsus, vt etiam munus hoc dei esse crediderit, ampliora sibi multo cō-parabit. Porro similitudo hæc (ne interim aduersarij nasum adducto supercilio producāt) robur & virtutem accipit à Christi parabolis & doctrina, qui decem millium talentorum debitorem facit eum qui decalogum peccando fuerat transgressus. Et numismatis symbolo vtens, admonet redděda esse quę sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt dei deo, hoc est, vtriq; iuxta sui characteris notam petendum esse tributum. Quingentorum præterea denariorum debito plura, quinquaginta vero pauciora peccata, Lucas significauit. *Lucæ vij.*

Nec est cur quispiam hoc seruile esse ducat & mercenarium: ꝙ scilicet operibus nostris mercedem speremus: Nam id non fit operibus nec mercede, sed animo operantis: Nec est à mercede prorsus alienū, quod isti docent de fide, quæ vt promissis innititur, ita rerū quæ promissa sunt auiditate & expectatione maximè incitatur. Et mercedis affectus nunquam euangelio damnatur, quin illum in nobis frequentissimis ostentationibus & pollicitationibus & pactionibus identidem excitat. Pactus est pater ille familias cum operarijs, se quod iustum foret illis esse daturum, & finita opera, Voca, inquit, operarios, & redde illis mercedem. *Mat: xx.* Et Christus ait: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Dauid item dicit, se inclinasse cor suū ad custodiendas iustificationes dei, propt retributionem.

retributionem. Faciunt hic quidam duplex meriti genus: Liberale, quale est in officijs & beneficijs: Et seruile, quale est pacto & conuento pro certa mercede exhibetur. Hoc genus meriti nō habet locum inter deum et homines, cum illum nobis debitorem nulla possimus ratiōe constituere, vt cuius est vniuersum, et quod sumus, & quod facimus, & quod possumus. Priori vero illi generi vtiq; locus est. Siquidem pijssimus dominus, etsi bonorum nostrorum nō indigeat, etsi ei ex nobis nihil posit accedere, tamen sui similes cupit nos euadere, quia bonus est: & ad hoc ipsum propositis præmijs inuitat.

Quamuis igitur gratuita à deo in Christo confertur nobis iustificationis & salutis gratia, non tamen confertur quibuslibet, nisi fidelibus per dilectionem operantibus, vt ostensum est. Quorum quidem opera efficaciam & dignitatem habent à CHRisto in illis manente. Omnem, inquit, enim palmitem in me non ferětem fructum tollit pater meus, & omne quod fert fructum purgat, vt fructum copiosiorem afferat: manete in me & ego in vobis. *Ioan: xv.* Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi manseritis in me. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multū, quia sine me nihil potestis facere.

Iam & hac ratione opera, iræ dei opponi possunt, quod quidam recentiores negant. Nam quemadmodum si iudicis iræ opposueris diploma tua manu con-

fectum, subscriptum tamen principis manu, & eius sigillo firmatum, nõ tuum sed principis opus iudici opposuisti: ita & viri iusti non modo noui verum & veteris testamenti, quibus fide & experimentis nota erat Christi, tametsi venturi virtus, humana opera ausi sunt opponere iræ dei, vt hic: Memento domine Dauid, et omnis mansuetudinis eius. Et hic: Memento domine, inquit Ezechias, ꝙ ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Et Hierem: Recordare ꝙ steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro ijs bonum, & vt auerterem indignationem tuam ab eis. Rursus Dauid, Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius ne disperderet eos. Deniq; Dauid, Niniuitæ, Petrus apostolus, Maria Magdalenæ, & alij quorum pœnitentia describitur in sacris literis, lachrymas, eleemosynas, preces, ieiunia, opponebant irę dei. Quid autem mirum si homines irato deo humana opera opposuerunt, cum ipse deus Sodomę & cæteris ciuitatibus iratus, pollicitus sit fore, vt vel propter decem iustos ciuitatem non euerteret? Quin & seruata est Segor ciuitas, ad quam Lot iustus confugerat. Quod vero est apud Lucam illud Christi: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus: Eo docetur, ꝙ non oportet extolli in bono quopiam opere, immo, neq; omni mãdatorũ impletione agnoscenda hæc gratia. Apostolus cum dixisset

cum dixisset nullius culpæ sibi conscium, subiecit: sed in hoc iustificatus non sum. Ergo & nos non à nobis laudem exigamus, nec præueniamus iudiciũ dei. Quidam tamen hæc verba accipienda esse aiũt iuxta illud Psalmographi: Dixi domine deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges, ita & nos cum benè facimus, inutiles esse deo, cui nihil commodi, nihil vtilitatis accedit de nostris operibus: Eadem tamẽ opera vtilia esse nobis quibus secundum opera se CHristus retributurum esse promittit: quod etiam in fide competere possit, ꝙ inutilis sit deo, vtilis vero nobis. Quamuis partis contrarię qui sunt, hanc expositionem cauillantur tanquam Sophisticam. At nullum est Sophisma, scripturam sacram per collationem locorum interpretari, cum tamen magis Sophisticum est scripturam intercipere, euertere. Itaq; (vt concludamus doctrinam de operibus, concilij Tridentini approbatione) nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem constitutum esse, hæreditatemq; consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, vt & conglorificetur. Nam & Christus ipse, vt inquit Paulus, cum esset filius dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Propterea & apostolus ipse monet iustificatos dicens: Nescitis ꝙ hi qui in stadio currunt, omnes quidẽ currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non

Concil: Trid. cap: xi.

 quasi

non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, et in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item princeps apostolorũ Petrus: Satagite vt per opera bona certam vestrã vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Vnde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt, iustum in omni bono opere saltẽ venialiter peccare, aut quod intollerabilius est, æternas pœnas mereri. Atq; etiam eos qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc vt inprimis glorificetur deus, mercedem quoq; intueantur æternam, cum scriptum sit: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. Et de Mose dicat apostolus, q respiciebat ad retributionem. Ita concilium ex scripturæ diuinę doctrina, cuius etiam canon 25 hic est: Si quis in quolibet bono opere iustum saltẽ venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atq; adeò pœnas æternas mereri, tantumq; ob id non mereri, quia deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit. Et 26: Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quę in deo fuerant facta, expectare et sperare æternam retributionem à deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsq; in finem perseuerauerint, anathema sit. 31 quoq;: Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æter-

ij Pet: i.

Psal: cxviij.

Heb: xi.

intuitu æternę mercedis benè operatur, anathema sit. Hęc doctrina est concilij de operibus contra insanum quorundam recentiorum dogma, quo alij quidam imbuti, opera, vt ipse audiui, bona, quę à quadraginta annis, vel pluribus etiam, egerunt, vno solido vendunt.

DE CERTITVDINE GRATIÆ DEI.



ASSERERE, QVOD QVIdam faciũt, peccatum esse, si quis ambigat se esse ĩ gratia dei, est ab orthodoxa doctrina alienũ: quamuis enim nemo de misericordia dei & CHristi meritis desperare debet (imitatus Caimum dicentem: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear, et Iudam traditorem, quem, vt ait Augustinus, non tam scelus quod commisit, quàm indulgentię desperatio, fecit penitus interire. Vnde hoc peccatum, desperatio scz de misericordia dei, vnum inter illa recensetur, quæ in spiritum sanctum dicũtur, quia directè pugnant contra principia remissionis peccati, et consequendę venię & gratiæ dei, quæ spiritui sancto peculiariter tribuuntur. Quin & symboli articulus est vnus, remissionem peccatorum credere) Non tamẽ ea fiducia audaci & temeritate quispiam esse debet, vt dum seipsum suamq; propriam infirmitatem et

Augu: in lib: de utilitate pœnitentiæ.

dispositionem perspicit, de sua gratia non formidet, et non timeat, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam dei consecutum, vt in concilio Tridentino declaratum & traditum est.

Concil. ca. ix.

Neq; dubitat de dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia, vt isti aiunt, qui dubitat se habere gratiam: sed hæsitat de proprijs dispositionibus, quas ostendimus esse necessarias ad iustificationẽ. Vbi vero duarum causarum concursus necessarius est ad aliquem effectum, haud quaquam sufficit certitudo applicationis vnius causæ, vt certitudo habeatur de existentia illius effectus.

Vnde certitudo duplex esse perhibetur: altera ex parte rei siue obiecti: altera ex parte intellectus siue subiecti. Prima est cum aliqua ita vera sunt, & secundum se certa, vt in assentiendis his nemo possit decipi. Altera cum aliquibus firmiter & citra vllam ambiguitatem assentimur: & illa dicuntur esse quo ad nos, quę talia esse nobis sunt cognita, aut certe credita, vt in eorum assensu nulla possit deceptio subesse. Et quoniam sæpe contingit ex propensione, vel imperio voluntatis, aut ex probabili, vel leui persuasiõe, aliqua nos certo credere, quæ non perinde sunt certa, & indubitatè in re sunt: Et contrario, aliqua esse in se incerta, minimeq; dubia, et tamen nos vel ex ignorantia, vel ex malicia voluntatis nostrę ea vel non credere, vel falsa, aut dubia, aut incerta existimare: non continuo autem cẽsenda sunt

senda sunt certa, quę à nobis certo creduntur, neq; incerta habenda, quæ nobis incerta sunt. Huius rei sunt exempla non pauca in scripturis. Certo videtur Pharisæus apud Lucam credidisse, se esse iustificatum, cum suæ iusticię persuasione inflatus, orabat dominum his verbis: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cęteri hominum: Et tamen iudicio diuino, vbi omnia sunt nuda & aperta, non iustus erat, sed superbus. Contra vero publicanus descendit certo iustificatus, cum incertus suæ iustificationis, & à longè stans, neq; ausus oculos ad cœlum leuare, percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Certi videbantur fuisse de sua iusticia Iudei, de quibus Paulus dicit: Aemulationem dei habent, sed non secundũ scientiam, ignorantes iusticiam dei, & suam statuere volentes, iusticiæ dei non sunt subiecti. Atq; ea quę Gabriel prædicebat Zachariæ de natiuitate & excellẽtia Ioannis Baptistæ, certa quidem erant, & tamen quòd non perinde credebantur à Zacharia, mutus factus. Hæretici item & schismatici credũt se certo tenere rectam salutis viam, cum tamen inde decipiuntur, vt à nobis ante ostensum est. Et Gedeon & Manue pater Samsonis signa exegerunt apertiora, vt crederent, quę reuelabantur, deusq; petitionibus acquieuit. Ex quibus cõsequitur neminem teneri certo credere, nisi illa pro quorum certitudine, grauia habet, & omnino sufficientia argumenta. Non rectè igitur sentiunt, qui fiduciam propriam iactantes, et in ea sola quiescentes, ita se gratiam

gratiam dei consecutos autumant, vt ea in re nulla ratione se decipi posse affirment. Quod quidem scripturæ diuinæ repugnat: Ecclesiastes 9: Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu dei, et tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniant, iusto & impio. Et Ioel 2. Cum hortatus fuisset populum conuerti ad dominum in toto corde, subiecit: Quis scit si conuertatur & ignoscat deus? In quę verba Hieronymus: Ne forsitan magnitudo clementiæ nos faceret negligentes. adiunxit: Quis scit si conuertatur, & ignoscat deus? Ego, inquit, hortor, quod meum est ad pœnitentiam & deum ineffabiliter noui esse clementem dicente Dauid: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam: Sed quia profundum diuitiarum sapientię, et scientię dei nosse non possumus, senténtiam tempero, & opto potius dicens: Quis scit si conuertatur & ignoscat? hæc ille. Et Petrus apostolus Simonem magū exhortatus est ad pœnitentiam hisce verbis: Pœnitētiam age ab hac nequitia tua, & roga deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis. Nec abhorrent ab ea sententia verba Ecclesiastici: De propiciato peccato noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas: Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorū meorum miserebitur: Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Quæ verba, vt docti aiunt, non in hunc sensum accipienda sunt, *Ecclesiasti: v.*

pienda sunt,

pienda sunt, quasi propter peccata posteriora deus etiam imputet priora, & reuocet misericordiam exhibitam, atq; ideo de peccatis remissis debeamus esse securi, hoc enim absurdum esset: Sed eo admonet verendum esse, ne deus qui priora peccata cōdonauit, nouis irritetur offensis, vt ob tanti beneficij ingratitudinem, posteriora non condonet.

HAnc præterea incertitudinem gratiæ apostolus Paulus ostēdit, cum diceret: Nihil mihi conscius sum, in hoc tamen iustificatus non sum. Fieri enim potest, inquit quidam Græcus referente Gagneio, vt nullius mihi culpę sim conscius, aliqua tamen peccata lateant. Et Ambrosius in hæc verba Pauli similiter: Apertum est, inquit, quia conscientiam puram habens solicitus de se non erat, sed humiliat se et loquitur, vt homo qui possit peccatum incurrere nescius. Diuus item Hieronymus aduersus Pelagianos: Qui hoc dicebat, nullius vtiq; peccati sibi conscius erat, sed quia legerat, delicta quis intelligit? Et sunt viæ quę videntur viro iustæ, nouissima autem eorum respiciunt in profunda inferni. Et iterum: Omnis vir videtur esse sibi iustus, deus autē hominum cor dirigit, idcirco temperat sententiam, ne fortè per ignorantiam deliquisset, maximè cum scriptura testetur: Est iustus qui perit in iusticia sua. Et alibi: Iustè quod iustum est sectaberis, ne opinione veritatis à iusticia declinemus, recordantes Saulis, & Acham. hæc Hieronymus. Ab his non dissentit & Chrysostomus, qui in 4 caput epistolę i, ad Cor: *i Cor: iiij. Hier: lib: ij.*

Rrr hæc scri

hæc scribit inter cętera: Qua ratione si res meas nõ satis exploratas habeo, aliena potero dijudicare? Quodsi Paulo hæc contingebant, longè magis & nobis. hæc Chrysostomus. Et alibi similia.

Non desunt tamen ex recentioribus, qui aliter exponãt: Alij em̃ dicunt, non asseruisse Paulum se nõ esse iustificatum, sed non esse iustificatum in eo ꝙ nihil sibi conscius erat, namq́; iustificatus erat vna CHristi gratia, & non proprio iudicio, sed deus est qui iustificat. Verum quid opus erat tam ineptam opinionem refellere? Quis ita poterat desipere, vt ignorantię illi, seu inscientię virtutem iustificandi tribueret? Neq; ad rem quam agebat hoc pertinebat, neq; antecedentia et consequentia huic sensui conueniunt. Lutherus affirmat Paulum hic docuisse nullum iustificationis argumentum sumi ex operum qualitate & probitate. Et alij aliter. Atqui Paulus non solum dixit ex hoc, ꝙ nihil sibi conscius esset, sed simpliciter iudicium de sua iusticia à se remouit, & in deũ transtulit, et ita se non posse iudicare explicuit, vt alij neq; poterant, neq; debebant eum iudicare, ac tãdem admonuit, vt ab his arcanis iudicandis, vsq; in diem iudicij abstineremus. Itaq;, inquit, nolite ante tẽpus iudicare, quoadusq; veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à deo. Quibus verbis indicauit se non de fideli tantum dispensatione locutum, vt quidam putant, quę extrinseca erat & manifesta, sed de iustificatiõe sua absolutè, quę

solutè, quæ erat occultissima. Ideo autem eius meminit, cum tantum de fidelitate dispensationis quæri videretur, quia & aliorum iudicia & quęstiones eo se extendebant. Confirmant hunc sensum, quæ alibi apostolus dicit: Qui gloriatur in domino glorietur: Non enim qui seipsum commẽdat ille probatus est, sed quẽ deus cõmendat. Quodsi ex fide id nobis tribuere contendamus, non esset opus expectare iudicium diuinũ. Neq; idem ad Romanos dixisset: Tu fide stas noli altũ sapere, sed time: si em̃ deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Et ad Corinthios: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Ad Galat: itẽ: Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Et profectò qui fidei certitudine se putat iustũ, nõ aliquid tantum, sed magnum quid se esse existimat, licet se hoc habere credat ex dei gratia. *Rom: xi.* *i Cor: x.* *Gal: vi.*

Quamuis autem, vt docti tradũt, potest à nobis haberi citra reuelationem diuinam certitudo coniecturalis de nostra gratia, potest item & à viris perfectis haberi certitudo moralis, quæ est aliena ab omni metu & formidine, de quibus certitudinibus sæpe loquũtur autores catholici: Sed non potest haberi certitudo fidei, cui non posit subesse falsum, nisi ille reuelet, de quo dicitur: Est deus in cœlo reuelans mysteria. De hac re est caput 9 concilij Tridentini. *Daniel: ij.*

Quamuis autem necessariũ sit credere, neq; remitti, neq; remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduci-

am & certitudinem remisiõis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse, dicendum est: cum apud hæreticos & schismaticos posit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra ecclesiam catholicam contentione prædicetur hæc vana, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neq; asserendum est, oportere eos qui verè iustificati sunt absq; vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum & iustificatum esse, atq; hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit de dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de dei misericordia, de Christi merito, de sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dũ seipsum suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam dei esse consecutum. Ita concilium. Cuius etiã ea de re canon 13: Si quis dixerit omni homini ad remisiõem peccatorum assequendam necessarium esse, vt certo & absq; vlla hæsitatiõe propriç infirmitatis et indispositiõis peccata sibi esse dimissa credat, anathema sit. Et 14: Si quis dixerit, hominẽ à peccatis absolui aut iustificari ex eo ꝙ se absolui aut iustificari certo credat, aut neminem esse verè iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem et iustificationem

stificationem perfici, anathema sit. Et 15: Si quis dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum posse certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit. 16 item: Si quis magnum illud vsq; in finem perseuerantiç donum, se certo habiturum absoluta & ineffabili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit. Et 17: Si quis iustificatiõis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocãtur vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. Vnde & doctrina de iustificatiõe in illo concilio hisce verbis conclusa est: Quia in multis offendimus omnes, vnusquisq; sicut misericordiam et bonitatem, ita seueritatem et iudicium ante oculos habere debet, neq; seipsum aliquis etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare. Quoniam omnis hominis vita, non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed dei qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus vnicuiq; erit à deo, qui, vt scriptum est, reddet vnicuiq; secũdum opera sua. Ita concilium. Quod non Iudaicam aut Pharisaicã tradit doctrinam, cum docet neminem posse hic citra dei reuelationem certum ex fide esse de sua gratia, neq; perplexos & ambiguos, semperq; de sua iustificatione nutantes facit homines, neq; pacem & lætitiam conscientiarum aufert, neq; quç legi timoris magis, quàm quç legi amoris conueniant tradit, vt perperam quidam obijciunt. Sed

Concil: Trid. cap: xvi.

ciunt. Sed ea hominibus persuadere nititur, quæ humilitatem decent Christianam, quæq; doceant omnes sobriè sapere, & à pharisæi supercilio contineant, eaq; ratione & confidentiores eos, & magis lætabundos, & in veriori tutioriq; pace conscientiæ constituat, cum timore enim & tremore salutē nos operari monet Paulus apostolus. Vnde vnum inter peccata in spiritū recensetur, præsumptio nimiæ confidentiæ de misericordia dei, qua hoc seculo plurimi laborant, adeò vt quamuis à peccatis sibi minimè temperent, dicere tamen non vereantur, deum oportere illos saluare, propter eorum nescio quam temerariā fiduciam. Et certè gratiæ certitudinē qui asserunt certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, similes sunt Catharis, qui se mundos asserebant, vnde & nomen sortiti sunt. Qui enim se iustos & in gratia audent asserere velut certū certitudine fidei, vtiq; & mundos se credunt, diligit enim deus omnes iustos, & neminem immūdum amore prosequitur. Neq; Begardi & Beguinæ mulieres Germanię asserentes tantum gradum perfectionis in hac vita hominē acquirere posse, vt redderetur penitus impeccabilis, vt amplius in gratia proficere non valeret, quin, vt dicebant, si quis semper posset proficere, posset aliquis CHRisto perfectior inueniri. Non, inquam, sectatæ fuissent errores pestilentes de libertate ab humana obedientia & exercitijs virtutum & ceremonijs in ecclesia cōsuetis, si credidissent nemini posse esse certam ex fide suam iusticiam, aut perfectionem.

Opinio autem hæc de certitudine gratiæ huic errori innititur. Fides sola sufficit ad iustificationem, quam superius confutauimus.

DE LEGE.



Eos qui fidem habent in CHristum, liberos esse ab omni lege, veluti Lutherus docuit, & sequaces eius, vt ante ostēsum est: dogma est Aëtij & Eunomij eius discipuli, vt Augustinus scribit de hæresibus, quod dogma, vt paulo superius ostendimus ex eodem Augustino, etiam temporibus apostolorum viguit. Quodsi ita esset, vt isti opinantur, quorsum Christus præcepisset discipulis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quę mandaui vobis. Quod autem Christus præcepisset mandatorū obseruationem testis est Matthæus cap: 7. vbi non solum non occidere, non mœchari, sed ne verbo lædere proximum, nec mulierem aspicere ad concupiscendum præcepit. Quin et inimicos diligendos, & alia id genus, hæc in fine capitis addens: Estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et Matthęi 19 idem adolescenti dixit: Si vis ad vitam ingredi serua mandata dei. Et 22 apud eundem, in duobus mandatis dilectione dei

Mat: ultimo.

et proximi vniuersam legem & prophetas pēdere di-
Rom: xiij. xit: Vnde & Paulus: Nemini, inquit, quicquam debe-
atis, nisi vt diligatis inuicem, qui enim diligit proxi-
mum, legem impleuit. Et paulo post: Plenitudo legis
est dilectio. Et Ioannis 15 Christus ad apostolos: Ma-
nete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis,
manebitis in dilectione mea. Et item: Vos amici mei
estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Et 14 capite
docens probationem dilectionis esse exhibitionem o-
peris, ait: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est
qui diligit me. Proinde & Iacobus in epistola monet:
Estote autem factores verbi dei & non auditores tan-
tū, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est ver-
bi & non factor, hic comparabitur viro consyderanti
vultum natiuitatis suæ in speculo, consyderauit enim
se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. hæc Ia-
cobus, docēs eum qui auditor verbi tantum est, omnē
euangelij fidem teneat, mysteria omnia nouerit, nequa-
quam autem ad euangelij normam viuat digna fide o-
pera faciens, eum proculdubio similem illi, qui natiuā
suam faciem in speculo inspicit tantum, non solicitus
næuos abstergere, aut maculas alluere, atq; ideo quia
de curanda facie non cogitauit, nec maculas absterge-
re studuit, statim vt se inspexit, abijt, ac mox oblitus
qualis fuerit: Sic qui auditor tātum est verbi, vultum
quidem natiuitatis suę spiritualis, qualis esse debet in
euangelij verbi speculo videt quidem, sed videt tantū,
nec ad illius normam per bona opera studet sese com-
ponere. Ta-

ponere. Talem Christus apud Matthęum similem di- Mat. vij.
cit viro stulto, qui ædificauit domum suam super are-
nam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flaue-
runt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, &
fuit ruina illius magna. Contra audiētem verba Chri-
sti & facientem ea, viro sapienti ædificanti domum
suam super petram.

Cum igitur à pręcepto fidei nullus credatur esse li-
ber, quantumcunq; perfectus, neq; ab alijs credendus
erit esse liber. Qui enim dixit: qui verò non credide- Ioan: iij.
rit condemnabitur, dixit etiam: Nisi quis renatus fue-
rit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in re-
gnum dei. Et iterum: Nisi pœnitentiā egeritis, omnes Lucæ xiij.
similiter peribitis. Et similia alia non pauca.

Sed instant aduersarij producentes in partem con-
trariam testimonia sacræ scripturæ, vt illud PAuli ad
Corinthios: Vbi spiritus domini, ibi et libertas. Et ad
Timotheum: Iusto non est lex posita, sed iniustis & nō
subditis. Ad Galatas item: Si spiritu ducimini, iam nō
estis sub lege.

Cæterum Paulus his & similibus verbis, non cre-
dendus est libertatem docuisse à præceptis naturalib9
et diuinis & moralibus. ait enim ad Romanos: Ira, &
indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam Rom: ij.
hominis operātis malum. Item: Legem ergo destrui-
mus per fidem? absit, immo legē statuimus. Et ad Ga-
latas, opera carnis, quę illic recenset, facientes, regnum Gal: v.
dei non possessuros affirmat. Et alibi sæpius. Ad Ro-
Ss manos itē

manos item scribens vult nos etiam legibus hominis subesse, non solum propter iram, hoc est, diuinam vltionem, sed etiam propter conscientiam, ad id scilicet nos exhortantem. Et ad Titum: Admone, inquit, illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, omnem mansuetudinem ostendentes ad omnes homines. Cui similia scribit Petrus apostolus: Subiecti igitur estote omni humanę creaturę propter dominũ, siue regi quasi pręcedenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictã malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas dei. Sed volebat cunctos deo seruire in spiritu libertatis, non pœnæ scẓt metu, sed virtutis & gloriæ dei amore, proinde incitatis testimonijs hoc agit, vt omnes edoceat nihil generosę libertati præiudicare legem diuinam, neq; officere Christianę libertati, subiectos esse mandatis, quia iustus sponte sua quæ sunt legis obseruat, neq; pœnis, neq; comminationibus, quas leges comminantur, vt stimulis ad virtutem indiget. Atq; vt in oratione nostra de corruptissimis moribus eius seculi &c̃ docuimus, libertas Christiana beneficio Christi collata in quinq; rebus præcipuè constat: Primo eius passione liberati sumus à peccatis & reatu eorum, ꝙ ipse saluum fecit populum à peccatis eorum, vt est apud Lucam. Et apud Paulum, qui nihil damnationis dicit esse his qui sunt in Christo Iesu. Secundo à tyrannide concupiscentię & fomitis intus in nobis habitantis, de qua apostolus: Quis me liberabit de corpore mor-

Titum iij.

i Pet: ij.

po re mortis huius, gratia per Iesum Christum. Tertio à ty rannide diaboli & mundi, irritamentisq; eius, iuxta illud Christi: Confidite quia ego vici mundũ. Post Christi enim gratiam, non iam irrumpit in fideles tanquam tyrannus, sed tanquam malignus veterator, alliciens potius quàm impellens: in quã sententiam Christus dixit: Nunc princeps mũdi eijcietur foras. Quarto à iugo circumcisionis & legis Mosaicæ, quantum ad ceremonialia & iudicialia: vmbram enim lex futurorum bonorum habebat, vt Paulus docet ad Hebręos, & alibi passim scriptura tradit. Quinto à legis moralis dominio, ꝙ omnes ferè renati non quasi coàcti agant, quod lex præcipit, sed ex amore & voluntariè perspectis ingẽtibus dei beneficijs & gratia dei sibi diuinitus collata. In quam sententiam illa dixit Paulus: Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Iusto nõ est lex posita. Innuens hisce verbis eos quos afflauit charitas, non esse obnoxios legi, ꝙ scẓt plus pręstant, quàm lex metu pœnæ possit extorquere, vt, veluti quidam docent, dictum PAuli sit consonum illi summi nominis philosophi dicto. Rogatus enim ille, quid fructus illi sua philosophia attulisset, respondit, vt ea spontè faciã, quę pleriq; regum metu coàcti faciunt. Vnde scholastici quidam dicunt, iusto non esse legem positam, quo ad vim, quam habet lex directiuam, nõ autem quo ad coërcitiuam: quia pœnę non propter illos legibus adiunguntur, qui amore virtutis eas seruant, sed propter peccatores, qui oderunt peccare formidine pœnæ.

Hac igitur libertate quintuplici beneficio donati Christiani, non vt liberi sint à seruitute iusticiæ, vt in oratiõe nostra diximus, dicendum tamen & nunc est, id quod apertè docet Paulus, cum enim indicasset Galatis eos liberos esse ab oneribus Mosaicę legis, cauens ne sibi licentiam desumerent, & occasionem in libertatem carnis, nec legi charitatis deseruirent, & pręceptis moralibus, inquit: Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem, omnis em̃ lex in vno sermone completur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Petrus: Non quasi velamen habentes malicię libertatem, sed sicut serui dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, deum timete, regem honorificate. Hæc perpendant isti, qui sub velamine libertatis falsę, eneruant potestatem ecclesiasticã, quiduis sibi licere affirmantes, quos concilium Tridentinum anathemate ferit. Cuius quidem concilij sunt canones ea de re hi: 19. Si quis dixerit nihil præceptum esse in euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neq; præcepta, neq; prohibita, sed libera: aut decem pręcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit. Et 20. Si quis dixerit hominem iustificatum, & quantumcunq; perfectũ non teneri ad obseruationem mandatorum dei & ecclesię, sed tantum ad credẽdum, quasi verum euangelium sit nuda & absoluta promissio vitę æternę, sine conditione obseruatiõis mandatorum, anathema sit. 21 quoq;: Si quis dixerit Christũ Iesum à deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem cui obediant, anathema sit.

QVOD MANDATA DEI NON SVNT IMPOSSIBILIA.



QVI MANDATA DEI AD IMplendũ esse impossibilia affirmant, quales non pauci hoc seculo reperiuntur, orthodoxę doctrinę cõtrarij sunt. Hæc est charitas dei, ait Ioannes apostolus, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex deo vincit mundum, & hęc est victoria, quę vincit mundum, fides nostra. Et CHRISTVS ipse apud Matthęum, iugum suum suaue, & onus leue esse affirmat. Quibus verbis innuit, legem suam nomine iugi, & oneris appellatum, non esse volentibus gratia dei iuuante impossibilem, non enim suauis & leuis diceretur. Adhęc non dixisset CHristus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et itẽ: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me, nemo enim sic loquitur de re quam credit esse impossibilem. Præterea in sacris literis multi dicuntur præcepta dei seruasse. Qua enim ratione Enoch diceret ambulasse cum deo? Cur Noë iustus ac perfectus affirmaretur? Sed neq; Abrahamo deus

i Ioan: ij.

Ioan: xiiij.

Gene: v.

Gene: vi.

hamo deus dixiſſet: Ambula coram me & eſto perfe-
ctus. Iob item ſcriptura teſtimonium perhibet, ꝙ fu-
erit vir perfectus, rectus, & timens deum, & recedens
à malo. Dauid item ait: In toto corde meo exquiſiui te,
da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cu-
ſtodiam illam in toto corde meo, & cuſtodiam legem
tuam ſemper. Ad omnia mandata tua dirigebar, omnē
viam iniquam odio habui. Cuſtodiuit anima mea te-
ſtimonia tua, viam mandatorum tuorum cucurri: &
agnoſcens donum dei addit, cum dilataſti cor meum.
iij Regū: xi. & xiiij. Vnde & deus per prophetam ei teſtimonium perhi-
buit ꝙ ſeruauerit mandata ipſius, & ſecutus ipſum fu-
iij Regū: xv. erit in toto corde ſuo. De Aza item ſcriptum eſt, cor
eius fuiſſe cum deo perfectum. Et de Zacharia & Eli-
zabet ſcriptum extat: Erant autem iuſti ambo ante de-
um incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationi-
bus domini, ſine querela. Si itaq; ſeruata mandata dei,
Leuit: xxx. certè ſeruatu impoſsibilia non ſunt. Quodſi deus olim
per Moyſen dixerat de lege veteri, quam Petrus apo-
ſtolus onus importabile appellat: Mandatū quod ego
præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neq; procul po-
ſitum, neq; in cœlo ſitum, vt poſsis dicere: Quis noſtrū
valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, &
audiamus, & opere compleamus. Et paulo poſt: Sed
iuxta te eſt ſermo in ore tuo & corde tuo, vt facias il-
lum. Quomodo lex noua impoſsibilis dicetur obſer-
ſerm: lxi. uatu? Vnde Auguſtinus in ſermone quodam de tem-
pore: Deus impoſsibile aliquid imperare non potuit,
qui iuſtus

qui iuſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo ꝙ
non potuit vitare, qui pius eſt: Quid tergiuerſamur
incaſſum? nemo enim quantum poſſumus melius no-
uit, quàm qui ipſum poſſe nobis donauit. Et in libro
de gratia & libero arbitrio: Non iuberet deus, quod
ſciret non poſſe fieri ab homine. Et alibi: Nam deus *De natura et*
impoſsibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & face- *gratia capite*
re quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat *xliij.*
vt poſsis. Et ſermone 121: Execramur blaſphemiam
eorū qui dicunt impoſsibile aliquid homini à deo eſſe
præceptum, & mandatum dei non à ſingulis, ſed ab o-
mnibus in cōmune poſſe ſeruari. Similia ſcribit Chry
ſoſtom9: Poſsibile eſt, inquit, dei iuſſa perficere, ſi mo-
do velimus omnem naturę trepidatiōem alacriter ſu-
perare, nihilq; impoſsibile eſt eorum, quę à Chriſto
hominibus imperantur. Cum his ſentiunt & alij, de
qua re cap: 25 cōcilij Arauſicani ſic præter cętera ſcri-
ptum: Hæc etiam ſecundum fidem catholicam credi-
mus, ꝙ accepta per baptiſmum gratia, omnes baptiza-
ti, Chriſto auxiliante & coöperante, quæ ad ſalutem
pertinent, poſsint & debeant (ſi fideliter laborare vo-
luerint) adimplere. Iam cum autores grauiſsimi
docent omne peccatum eſſe voluntarium, & neminē
peccare in eo quod vitare non poteſt, ad id confirmā-
dum pertinet. Omnis enim inobedientia & transgreſ-
ſio mandati peccatum eſt, & voluntariè non poteſt di-
ci illud fieri quod ineuitabile eſt. Tertullianus lib: 2;
aduerſus Marcionē: Neq;, inquit, boni, neq; mali mer-
ces penſa

ces pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus non voluntate. Ambrosius: Non est quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostrę voluntati: nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit: non habent crimen quae inferũtur reluctãtibus. Augustinus: Quis peccat in eo quod caueri nullo modo potest? peccatur autem, caueri igitur potest. Et capi: 14, libr: de vera religione: Nunc vero vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntariũ, & hoc quidem manifestum est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissẽtiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Haec Augustinus & alia plura alibi hac de re.

Porro dum ostenduntur mandata dei esse ad obseruandum possibilia, duo praecipue consyderanda sunt: Vnum, id neutiquam sine gratia dei & auxilio diuino fieri, citra quod Pelagius, vt diximus, sensit, hominem operib9 bonis ex solo libero arbitrio perfecte salutem consequi posse, cum tamen Christus aperte dicat: sine me nihil potestis facere. Et PAulus deum affirmet in nobis operari velle & perficere. Vnde & de seipso ait: Omnia possum in eo qui me confortat Christus. Et iterum: Si deus pro nobis quis contra nos? qui, vt idẽ docet, vult omnes saluos fieri, neque ille gratia sua semel iustificatos deserit, nisi ab eis prius deserat̃ iuxta illud ij Paral: 15. Dominus vobiscum est quamdiu vos estis cum eo.

Philip: iiij.

cum eo. Si reliqueritis eum, & relinquet vos. Proinde Hieronymus in epistola ad Ctesiphõtem, referens Pelagianorum obiectionem: Possibilia, inquit, mandata dedit deus, & respondens ait: Quis hoc negat, sed quomodo hęc sit intelligenda sententia, vas electiõis apertissime docet. ait enim: Quod ergo impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem &c. vbi adductis multis autoritatibus Pauli, sine gratia id fieri nõ posse confirmat. Alterum, perfectionem hominis & impletionem legis pro huius vitę modulo accipiendam, de quo Augustinus capi: 7, lib: iij. contra duas epistolas Pelagianorum adductis verbis Pauli: me nõ arbitror comprehendisse. Et tandem illis: Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus, ita inquit, exponens tanquã diceret: Si secundum hominis mortalis capacitatem, pro huius vitę modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoque pertinere intelligamus, vt angelica illa que in Christi manifestatione nobis erit iusticia, nondum nos perfectos esse sentiamus. Et libro secundo cap: 15 de peccat: merit: & remissione. Ex apostolo testimoniũ paulo ante posui, vbi se fatetur in acceptione iusticię, quam desyderat, nondum esse perfectum, & tamen continuo dicit: Quotquot perfecti sumus hoc sapiamus. Quod vtrumque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset, velut si quispiam sit perfectus sapientiae auditor, cuius imperfectus sit doctor. &c. Non dissimilia diuus Hieronymus cap: 1 aduersus Pelagianos, cum enim dixisset: Hęc est

Philip: iij.

hominis vera sapientia imperfectum esse se nosse, atq; (vt ita loquar) cunctorum in carne iustorum imper- fecta perfectio est, deinde post verba Pauli: Quotquot perfecti sumus &c̃ & alia quædam ita ait. Ex quo per- spicuum est, duas in scriptura sacra esse perfectiones, duasq; iusticias, & duos timores. Primam perfectionẽ et incomparabilem veritatem, perfectamq; iusticiam dei virtutibus cooptandam. Secundam aũt, quę com- petit nostrę fragilitati, iuxta illud quod in psalmis di- citur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vi- uens. Ad eam iusticiam quę non comparatiõe sed dei scientia dicitur esse perfecta. Iob quoq; & Zacharias et Elizabeth iusti dicti sunt secundum eam iusticiam, quę posit in iniusticiam aliquando mutari. Hęc Hie- ronymus. Licet igitur in hac mortali vita, vt in con-
Concil: Trid: cap: xl. cilio Tridentino declaratum est, quantumuis sancti et iusti in leuia saltem & quotidiana, quę etiam venialia dicuntur peccata, quandoq; cadant, non propterea de- sinunt esse iusti, nam & iustorum est illa vox: Dimit- te nobis debita nostra. Ita concilium, cuius doctrina
Proue: xxiiij. etiam illis sacræ scripturæ locis confirmatur: Septies
Prouer: xviij. cadet iustus & resurget. Et item: Iustus in principio est accusator sui. Et rursus: In multis offendimus oẽs,
Augu: de natura etgratia capi: xxxvi. hoc est, siue iusti siue peccatores. Vnde & Augustinus de sanctis dicit: Quia sæpe in leuissimis & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, et sine pec- cato non fuerunt. Et alibi: Nullus sanctus & iustus ca- ret peccato, nec tamen ex hoc desinunt esse iustus vel

sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim na- turę humanę viribus, sed propositi adiumẽto, per dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo veraciter se oẽs sancti pronũciãt peccatores, quia in veritate habẽt quod plangãt, etsi nõ reprehẽsiõe consciẽtię, certè mo- bilitate & mutabilitate præuaricationis naturę. Idem confirmauit concilium Mileuitanum contra Pelagia- nos cap: 6. 7. 8. docens verba illa orationis dominicę: dimitte nobis debita nostra, sanctos dicere verè, non tantum ex humilitate vel nomine ecclesię, vt quidam sentiunt. Porro verba illa Ioannis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quę verba etiam concilium Mileui- tanum veraciter de sanctis dici comprobauit. Aiunt docti non sic accipienda esse, quasi non possimus hic a- liquando esse sine peccato, sed ad totum vitę decursum referenda esse, idq; ex sententia Hieronymi, qui lib: 2, cõtra Pelagianos dixit: Qui cautus & timidus est po- test ad tempus vitare peccata. Et alibi similiter. Augu- stinus item de natura & gratia cap: 62, & 63, &c̃. hoc ipsum per dei gratiam fieri posse ac factum esse ex au- toritate Hilarij, Ambrosii, Hieronymi, martyris Six- ti confirmat. Huic sententię & concilium Tridentinũ subscripsit canone 23. Si quis hominem semel iustifi- catum dixerit amplius peccare nõ posse, neq; gratiam amittere, atq; ideo eum qui labitur & peccat, nũquam verè iustificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali dei

priuilegio, quemadmodum de beata virgine tenet ecclesia, anathema sit.

Quod vero recentiores in contrariam partem adducunt præceptum, Non concupisces. Paulus autem dicit carnem concupiscere aduersus spiritum, & contra, atq; ita hominem dum hanc vitam agit, secundum legem communem nõ posse ita habere mortuum corpus, vt caro non concupiscat aduersus spiritum. Non enim prohibita est hic concupiscẽtia carnis, quę ineuitabilis est, sed spõtanea & volũtaria. Vnde et Paulus dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscẽtijs eius. Et philosophi gentiliũ docuerunt ἀπάθειαν non esse huius vitæ.

Iam quod ab eisdem producitur præceptum de amãdo deo ex toto corde, & ex totis viribus &c̃ ex prędictis facile solutu est. Non enim exigitur hoc præcepto vt homines deum solum cogitent & ament, vel vt vni solum modo ipsius amori studeãt, nam subiectum præceptum de dilectione proximi, & honorandis parentibus. Porro amor proximi si verus est, & non simulatus, aliquam partem cordis, mentis & animę nostrę requirit. Hoc igitur mandato præcipitur vt deũ studiosè, solicitè, intentè, et firmiter amemus, neq; eum honorem qui illi debetur in alium quempiam transferamus, cunctaq; quæ agimus ad eius gloriam referamus, alioqui cur Samuel dixisset? Si in toto corde vestro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra domino, & seruite ei

seruite ei soli. Et de Dauid cur scriptura diceret, q̃ custodiuisset mãdata dei, et secutus deum in toto corde suo, vt paulo ante de eo etiã ostensum: & de alijs qui etiam perfecti dicti sunt. *iij Reg: xiiij.*

Opera supererogationis quod isti dicunt, aliena esse à prophetica & apostolica doctrina, falsum est. Nã apud Matthæum Christus dicit: Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & sequere me. Et Paulus: De virginibus præceptũ domini non habeo, consilium autem do. Apud Esaiam item de spadonibus illis de quibus Christus dixit: Qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: dabo eis, ait dominus, in domo mea, & in muris meis nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod nõ peribit. Quem locum exponit Aug: lib: de sancta virginitate cap: 14. Paulus etiam ad Corinthios 1 Cor: 9. dicit se supererogasse quædam vltra quæ necessario imposita erant. Nam adductis scripturæ autoritatibus, vbi licitum sit doctoribus euangelij victum accipere, subiungit: Ego autem nullo horum sum vsus, non autem hæc scripsi, vt ita fiant in me, bonum enim est mihi magis mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet. Ea de re superius, vbi de monachatu disseruimus, ostendentes officia CHristianorum alia esse perfecta, alia media.

DE LIBERO ARBITRIO.



IBERVM ARBITRIVM LVTHErus scribens ad articulos Leonis Papę ait, post peccatum, res est de solo titulo, & dũ facit quod in se est, peccat mortaliter. Et subdit, immo simpliciter debui dicere, liberum arbitriũ est figmentum in rebus, & titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia, vt Viclefi articulus Constantię cõdemnatus rectè docet, de necessitate absoluta eueniunt. hæc ille, quem & alij quidam sequuntur. Olim Manichęi hæresim hanc de libero arbitrio defenderant, qui nullam ponebant potentiam in homine ad vtrũlibet liberam, sed duas esse dixerũt in homine animas, alteram rationalem ex bono principio conditam, & ex necessitate bona & honesta operantem: Alteram malam sensualem, ab altero malo principio, quæ pari necessitate mala perpetret, contra quos Græci & Latini doctores scripsère. Priscillanius secutus Manichæos qui liberum arbitrium nostrum negauit, homines fatalibus stellis alligatos esse dicens, à Leone primo damnatus, & in concilio primo Braccarensi. Quin & scriptura sacra indicat nos liberum arbitrium habere, vt in Scopo Biblico nostro ostendimus. Nam in multis locis sacrę scripturæ hominibus datur optio & electio vnius à duo-
Deute: xxx. bus. Sic Moyses in Deuteronomio proponit populo Israëlitico,

Israëlitico, vt eligat benedictionem vel maledictionẽ.
Dauid data optio eligendi vnam ex tribus plagis. Et ij Reg: iij.
per Hieremiam præcepit deus, vt populo diceret: Hęc Hier: xxi.
dicit dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitę et
viam mortis &c. Et alia his similia reperiuntur. Item
multa in scripturis voluntaria dicuntur, & ex volun-
tate spontéq; fieri, nostręq; voluntati relinqui. In exo- Exod: xxxv.
do vocantur voluntaria dona, quę obtulerunt viri &
fœminæ Israël ad conficiẽdum tabernaculum. In Pa- i Par: xix.
ralipomenis dicitur: Si quis spontè offert, impleat ma-
num & offerat quod voluerit domino. Voluntaria o- Psal: cxviij.
ris mei beneplacita fac domine, dicit Dauid. Item: Vo-
luntariè sacrificabo tibi. Esaias: Si volueritis & audie- Esa: i.
ritis me bona terræ comedetis. Hieremias: Si pœnitẽ- Hier: xviij.
tiam egerit gens illa. Christus ipse nostræ subesse po- Mat: xvi.
testati obseruatiõem mandatorum docet: Si vis ad vi- Lucæ xix.
tam ingredi, serua mãdata dei. Si quis vult venire post
me, abneget semetipsum. Tertio, multa dicuntur esse
in nostra potestate. Ioan: i. Dedit eis potestatem filios
dei fieri. Paulus: Si quis statuit in corde suo firmus, nõ i Cor: vij.
habens necessitatem, potestatem autem habens suę vo-
luntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginẽ
suam, benè facit. Petrus Ananiæ dixit præcium agri Acto: v.
venundati in sua fuisse potestate. Quarto, multa dicũ-
tur fieri in scriptura ab hominibus contra voluntatẽ
dei, hominésq; deo resistere. In exodo Pharao dicitur Exod: x.
resistere deo. In actibus Stephanus loquitur ad Iudæ-
os, semper eos restitisse spiritui sancto. In prouerbijs:

Vocaui & renuisti. Apud Esaiam deus loquitur: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi. Et de Hierusalem loquitur Christus: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. Quinto, omnia docet scriptura facere cum consilio. Sine consilio, ait Sapiens, ne quicquam facias, et post factum non te pœnitebit. Et in exodo: Audi verba mea & consilia mea. In Paralipomenis: Iniit Dauid consilium cum tribunis. Paulus: Consilium autem do. & alibi passim. Sexto, Scriptura, vt est in ea videre, aliqua præcipit, aliqua prohibet, aliqua consulit, ab aliis dehortatur, aliqua laudat, alia viutperat, aliqua præmiat, alia punit. Cum igitur necessaria & naturalia neq; optioni nostræ permittantur, neq; voluntati aut potestati nostræ subsint, neq; voluntaria appellentur, aut ex voluntate & spontè fieri dicantur, neq; laudem aut vituperium, neq; præmium aut pœnam merentur. Etsi omnia necessario euenirent, superuacuũ esset docere, hortari, dehortari, consulere. Firmissimè tenendum est ex scriptura sacra posse colligi liberum nostrum arbitrium. Quod etiam omnes catholici & orthodoxi tradunt. Est autem liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia dei assistente, malum vero ea desistente. Nam post lapsum protoplasti, liberum arbitrium hominis debilitatum, & inclinatum, taleq; est, vt voluntas nostra, libero arbitrio à bono declinare possit, vt faciat malum, vt vero à malo declinet, quò faciat bonum, id

Ecclesiastici xxxij.
Exod: xiiij.
i Cor: vij.

non fit sine

non fit sine diuino adiutorio, vt docet Augustinus de ciuit: dei. Qui alibi sic ait: Liberum arbitrium sic confitemur, vt dicamus nos dei semper indigere auxilio: et tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Iouiniano asserũt, hominem non posse peccare: vterq; enim tollit libertatem arbitrij. Nos vero dicimus hominem semper peccare & non peccare posse, vt nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc est, inquit, fides dilectissimi fratres, quam in catholica didicimus ecclesia, quamq; semper tenuimus & tenemus, quam credimus et à vobis deinceps posse teneri.

Aug: de ciuit: li: xv. ca: xxi.
Sermone cxci.

In capi: 7 concilij secundi Arausicani scriptum: Si quis per naturę vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternę, cogitare non expedit, aut eligere, siue saluari, id est, euangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absq; illuminatione, & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hęretico fallitur spiritu, non intelligens vocem dei in euangelio dicentis: sine me nihil potestis facere. Et illud apostoli: Nũquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Ita concilium. Recentiores quidam theologi hæc duo loca de auxilio dei generali, sine quo nihil omnino valemus facere, nec opus aliquod naturę intelligunt: Magis tamen legitimum est, quod hic sentitur à concilio, vt non negentur opera naturę, sed quæ pertinent ad salutem vi-

Ioan: xv.
ij Cor: iij.

Vuu tę æternę,

tæ æternę. Et in concilio Tridentino cap: 5 scriptū: Iustificationis exordium in adultis, à dei per CHRIstum Iesum præueniente gratia, sumendum, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur, vt qui per peccata à deo auersi erant, per eius excitantem atq; adiuuantem gratiam ad conuertendū se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratię liberè assentiendo, & cooperando disponantur, ita vt tangente deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui abijcere illam potest, neq; tamen sine gratia dei mouere se ad iusticiam corā illo

Zach: libera sua voluntate posśit. Vnde in sacris literis cum dicitur: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostrę admonemur, cum respondemus: con-

Tren: ultimo. uerte nos domine ad te, & conuertemur, dei gratiam nos præuenire confitemur. Hæc concilium, cuius & canones sunt hi:

PRIMVS CANON.

Si quis dixerit hominem suis operibus, vel quæ per humanæ naturę vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Christum Iesum gratia, posse iustificari coram deo, anathema sit.

SECVNDVS.

Si quis dixerit ad hoc solum diuinam gratiā per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æter-

tam æternam promereri posśit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumq;, sed ægrè tamen & difficulter posśit, anathema sit.

TERTIVS.

Si quis dixerit sine præueniente spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

QVARTVS.

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à deo motum & excitatum nihil cooperare assentiendo deo excitanti atq; vocanti, qui ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neq; posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; pasśiuè se habere, anathema sit.

QVINTVS.

Si quis dixerit hominis liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum vel extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum, deniq; à sathana inuectum in ecclesiam, anathema sit.

SEXTVS.

Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona deum operari, non permisśiuè, sed etiam propriè & per se, adeò vt

sit eius propriũ opus non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.

Sed hactenus de libero arbitrio dictũ à nobis esto, de gratia autem dei in Scopo Biblico nostro scripsimus, inde petat qui volet, vbi & de præscientia dei, et prædestinatione egimus, ratione quarum hic obiectiones contra liberum arbitrium hominis proferri posśint.

CHRISTVS SECVNDVM QVAM NATVRAM PASSVS.



CHRISTVM SECVNDVM NAturam diuinam passum & mortuum, quod quidam recentiores, vt diximus, sentiunt, blasphemia est, & ab orthodoxa religione alienum. De qua re Ireneus scriptor vetustiśsimus lib: vij. capi: 21. Sicut enim homo erat vt tentaretur, sic & verbum vt glorificaretur, requiescente quidem verbo, vt posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, & mori. Et Augustinus sermone 191. Passus est filius dei non putatiuè sed verè, omnia quæ scriptura testatur, esuriem, sitim, laśsitudinem, dolorem, mortem, & cætera huiusmodi: sed secundum illud passus est, quod pati poterat, non secundum illam substantiam quam assumpsit, sed secundum illam, quæ assumpta est, ipse enim dei filius secundum deitatem

deitatem suam impaśsibilis est vt pater, incorruptibilis vt pater. hæc Augustinus.

Fuit hæc hæresis episcopi cuiusdam in concilio secundo Hispalensi damnata.

De hac re, hoc & in concilio Ephesino traditũ: Sic Christum dicimus & passum esse & resurrexisse, non quia deus verbera in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorum transfixiões, aut alia vulnera susceperit, (deus namq; incorporalis extra paśsiõem est) sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo quod patiebatur, deus qui pati non poterat: simili modo et mortem eius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter, & vita et viuificãs deus verbum. Sed quia corpus ipsius proprium gratia dei, iuxta vocem PAVLI pro omnibus mortem gustauit, idcirco ipse dicitur mortem passus pro nobis. ita concilium. Vnde & PEtrus apostolus ait: CHristo passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis. *i Pet: iiij.* Quod CHRISTVS dicitur passus, mortuus, hoc dicitur per communionem idiomatum, vel per Synechdochen cum totum pro parte ponitur.

QVOMODO CHRISTVS EST MEDIATOR.

Christum



CHRISTVM IESVM ETIAM SEcundum naturam diuinam esse mediatorem dei & hominum, patremq; orare &c. quod quidam hoc seculo docent, scripturæ diuinę & orthodoxę fidei cōtrarium est. Paulus enim 1 ad Timoth: cap: 2 apertè diuersum docet inquiens: Vnus deus, vnus & mediator dei & hominum homo CHristus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Quę verba Augustinus tractans lib: ij, capi: 28. de peccato originali contra Pelagium et Celestium hęc dicit: Non per hoc mediator est, quòd ęqualis est patri, per hoc enim quantum pater, tantum & ipse distat à nobis. Et quomodo erit medietas vbi eadem ipsa distantia est? Ideo apostolus non ait vnus mediator dei et hominū Christus Iesus: sed homo Christus Iesus. Per hoc ergo mediator per quod homo: inferior patre per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod patri propinquior. Et in psalmum 29. Quid est, inquit, mediatorem esse inter deum & homines? non inter patrem & homines, sed inter deum & homines? Quid est deus? pater, & filius, & spiritus sanctus. Quid sunt homines? peccatores, impij, mortales, inter illam trinitatem, & hominum infirmitatē & iniquitatem, mediator factus est homo, non iniquus sed tamen infirmus, vt ex eo q; non iniquus iungeret te deo: ex eo q; infirmus, propinquaret tibi. Atq; ita vt inter hominem & deum mediator existeret, verbum caro factum est, id est, verbum homo fa-

homo factum est. hæc Augustinus, & similia alibi.

Ambrosius in epistolam ad Galatas super illa verba: Deus autem vnus est. Arbitrum hunc, inquit, per assumptionem carnis intelligi docet, sicut dicit ad Timotheum: Arbiter dei & hominum homo CHristus Iesus, iuxta autem q; deus est à patre hunc non separari, sed vnum esse cum patre. Siue enim pater, siue filius, deus vnus est: Deus enim naturæ nomen est & potestatis, quam in patre & filio indiuiduam manere, ipsa nominum ratio docet. Et cap: 5. lib: iij. de fide, inter alia de Christo loquens, hęc dicit: Idem ergo sacerdos, idem & hostia & sacerdotium, tamē & sacrificium humanæ conditionis officium est. Nam & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech. Nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis asscribat. Et cap:6 de sacramento incarnationis dominicę. Quę, inquit, erat causa incarnationis dominicæ, nisi vt caro quæ peccauerat per se redimeretur. Quod peccauerat, igitur hoc redemptum est, non est ergo immolata diuinitas verbi, quia non peccauerat diuinitas verbi, hoc enim in se obtulit Christus, quod induit. Induit autē, quod ante non habuit. &c.

HIERonymus in epistolam ad Galatas de Christo loquens: Qui, inquit, cum secundum deum vnum sit ipse cum patre: secūdum mediatoris officium alius ab eo intelligitur. Idem, de his differens quę deo in scripturis sanctis attribuuntur, ait: Sacerdos dei patris dictus est fi-

ctus est filius dei non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem et mortem suam acceptabile sacrificium deo patri obtulit, vt ipse esset sacerdos, qui & sacrificium.

Epiphanius in ancoratu: Quod, inquit, dictum est: Suscipite pontificem qui fidelis est ei, qui fecit ipsum, non de deitate dictum est.

Cyril: lib: ix. these: cap: ix. Non dissentit ab eo CYRillus illa verba Pauli tractans. Considerate apostolum et pōtificem &c̄ sic scribit. Non de natura verbi, sed de incarnatione verba hæc Paulus scripsit. Quando enim pontifex incarnationis nostræ factus est? Quando apostolus? tunc videlicet quando pro nobis factus est homo. hæc Cyrillus & alia similia in multis locis.

Et Chrysostomus in 5 caput epistolæ ad Hebræos in verba Pauli: Exauditus pro reuerentia &c̄ ait: hæc de deo quis dicat? Quis ita insaniet? Quis ita demens ista loquatur?

Quod vero isti volentes astruere Christum secundum diuinitatem rogare patrem, producunt illud ex *Psal: ij.* psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, hoc & Arius impugnans Christum, arripuerat. Verum loquitur psalmus de filio dei, non sicut ab æterno fuit, hac enim ratione dominus à creatura nihil accipit, sed omnia habet: Verum quatenus accepit carnem, omnesq; redemit, & regnum eius in Sion cepit.

Cyril: lib: xi. in Ioan: Ita interpretatur Cyrillus.

HIERonymus in explanatione fidei ad Cyrillum: Ariani, in-

quit, saluatorem videntes in carne, putauerūt eius diuinitatem talem esse, qualem & carnem passibilem, mutabilem. Et mox subiectum, & orantem ad patrem, & gratias agentem &c̄. Et apostoli actuum quarto & tredecimo, hunc psalmum de incarnatione intellexerunt.

Iam quod ex obedientia mediatoris (quam Paulus prædicat, totaq; vetustas dicit eam æquiualens præcium esse redemptionis humanæ) inferunt CHRIstum mediatorem esse etiam secundum diuinitatem: hoc Arianum est, qui ex verbis PAuli ostendere conabantur filium secundum diuinitatem patre minorem: illa enim ad humanitatem Christi referenda, non ad diuinitatem, vt diuus Ambrosius docet in libris de fide, inter cætera post illa verba PAVli: Specie inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem. Subiectio, inquit, vtiq; obedientia est: obedientia mortis: mors assumptionis humanæ: Assumptionis ergo humanæ erit illa subiectio. Nequaquam igitur diuinitatis infirmitas: sed dispensatio ista pietatis. Vide, ait Ambrosius, quàm non timeam eorum passiones. Illi obijciunt subijciendum patri filium: Ego lego Mariæ subditum matri, quia scriptum est de Ioseph et Maria: Et erat subditus illis. Aut si hoc putant, dicant hominibus, subiecta erat diuinitas. hæc & alia diuus Ambrosius libr: 5 de fide capit: 7. in quo explicat quomodo intelligenda sunt verba Pauli ad Corinth: Tūc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi oīa. *Philip: ij. i Cor: xv. i Cor: xv.*

Intelligendum scilicet hoc esse de humanitate. Photius Græcus interpretatur: Tunc & ipse filius subiectus erit, hoc est, manifestabitur reuera patri subiectus & obediens, cuius voluntatem impleuerit, cum ecclesiæ regnum ab omni tyrannide & seditione liberum reddiderit. Quidam exponunt subiectus in suis membris electis scilicet, quibus tunc planè dominabitur.

Augustinus lib: i, capi: 11 de trinitate: Secundum formam serui factus obediens vsq; ad mortem: secundum formam dei, omnia quæ habet ipsius sunt. Et tua mea sint, inquit, & mea tua &c.

Iam & missio filij, de qua isti nescio quæ somniant, ex eaq; colligunt CHRIstum mediatorem esse secundum diuinitatem, intelligenda, non quia, vt ait Augustinus, secundum imparem potestatem vel substantiam, vel aliquid quod deo patri non sit æquale missus est, sed secundum id quod filius à patre est, non pater à filio. Verbum enim patris est filius, quod & sapientia eius dicitur. Quid ergo mirum si mittitur, nō quia inæqualis est patri, sed quia manatio est quædam claritatis omnipotentis dei syncera, ibi autem quod manat, & de quo manat vnius eiusdemq; substantiæ est. Neq; enim sicut aqua de foramine terrę aut lapidis manat, sed sicut lux de luce. Nam quod dictum est: Candor est lucis æternę, quid aliud est dictum, quàm lux est lucis ęternę? Candor quippe lucis quid nisi lux est? et ideo coæterna luci, de qua lux est. Et paulo post: Neq; hoc mouere debet, quia dicta est manatio quędā

Sap: vij.

claritatis omnipotentis dei syncera, tanquam ipsa non sit omnipotens, sed omnipotentis manatio, mox enim de illa dicitur: Et cum sit vna, omnia potest. Quis autem omnipotens, nisi qui omnia potest? ab illo itaq; mittitur, à quo emanat. Sic enim expetitur ab illo qui amabat eum & desyderabat. Emitte, inquit, illam de sanctis cœlis tuis, & mitte illam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, id est, doceat me laborare in laborem. Labores enim eius virtutes sunt, de quibus iam dictum est. Sed aliter mittitur vt sit cū homine, aliter missa est, vt sit ipsa homo. Et paulo post: Non ergo eo ipso quo de patre natus est, missus dicitur filius. Sed vel ex eo quòd apparuit huic mundo verbum caro factum. Vnde dicit: Exiui à patre, & veni in mundum. Vel ex eo quòd ex tempore cuiusq; mente percipitur. Hæc & plura ea de re Augustinus. Sed hæc hactenus.

Sap: vij.

Cęterum secundum humanitatem non esse proprium filium dei, sed adoptiuum, id quod nonnulli hoc seculo sentiunt, vetus hæresis est. Ante septingentos enim ferè annos, Felix quidam Vrgelitanensis ciuitatis, & Eliphandus Toletanæ vrbis episcopi, prædicarunt Christum secundum humanitatem non esse proprium filium dei, sed adoptiuum. Qua doctrina Hispaniam magna ex parte infecerant: proinde patres adhibita sanctæ ecclesiæ autoritate, eundem Felicem damnarunt, immo cum autore sui erroris Nestorio (quē imitatus est) perpetuo anathemati manciparunt, vti

ſcriptum reliquit Ionas Aurelianenſis epiſcopus ſcribens aduerſus blaſphemias Claudij, Taurinenſis eccleſiæ epiſcopi. Porro Neſtorius in concilio Epheſino damnatus, aſſeruit purum hominem ex ſancta virgine natum, vt aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum CHriſtum in verbo dei & carne ſentiret, ſed ſeperatim atqꝫ ſeiunctim alterum filium dei, alterum hominis prædicaret. Hanc opinionem, Chriſtum ſcilicet ſecundum quod homo, eſſe filium dei adoptiuum, Petrus Lombardius lib: iij ſententiarum diſtinct: x. ex ſententia catholicorum refellit.

DE TRADITIONIBVS ECCLESIÆ.



SOLI CANONICAE SCRIpturæ inniti, traditione eccleſiæ contempta, quod recentiores faciunt, ſcripturæ ſacræ, & ſententiæ orthodoxorum totiuſqꝫ catholicæ eccleſiæ, contrarium eſt.

Quod ſcripturam ſacram attinet, PAulus ſecundo capite epiſtolæ ſecundæ ad Theſſaloniceñ eius rei teſtis eſt locuples. Fratres, inquit, ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtram. Quo loco Chryſoſtomus & Græca

ſcholia habent: καὶ γὰρ καὶ ἀγράφως, καὶ ἐγγράφως παρέδωκαν οἱ ἀπόστολοι καὶ ἀξιοφύλακτα καὶ ἀμφότερα. τοιγαροῦν καὶ ἡ ἄγραφος τῆς ἐκκλησίας παράδοσις φυλακτέα ἐστίν. id eſt: Etenim et ſcripta & non ſcripta præcepta tradiderunt apoſtoli, & vtraqꝫ obſeruatione digna. Igitur & eccleſiæ quoqꝫ vel non ſcripta traditio ſeruanda eſt. Et prima epiſtola Theſſalon: 4. Rogamus, inquit, vos & obſecramus in domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere deo, ſic ambuletis vt abundetis magis: ſcitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominũ Ieſum. Vbi vides Paulum priuſqꝫ ad Theſſalon: ſcriberet, aliqua illis tradidiſſe præcepta. Ad Corinthios item ſimiliter: Laudo vos (inquit) fratres, ꝙ per omnia mei memores eſtis, et ſicut tradidi vobis pręcepta mea tenetis. Ad Theſſalonicenſes quoqꝫ ſecunda epiſtola capite 3. Denunciamus vobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Quæ verba Cyprianus epiſtola 3, lib: 1. producit contra hæreſiarchas. Sed hactenus de traditionibus eccleſiæ, ſcripturæ canonicæ teſtimonia produximus, nunc teſtimonia orthodoxorũ proferamus.

Origenes (vt Ireneum, cuius ante teſtimonium hac de re protulimus, obmittam, cæteroſqꝫ Origene vetuſtiores) homilia 5 ſuper Numeros. In eccleſiaſticis, inquit, obſeruationibus ſunt nonnulla huiuſmodi, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen eorum

ratio omnibus patet. Nam q (verbi gratia) genua fle-ctimus orantes,& q ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conuersi orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertum. Sed & eu-charistiæ siue percipiendę, siue eo ritu quo geritur ex-plicandæ, vel eorum, quæ in baptismo geruntur, ver-borum gestorumq;, & ordinum, atq; interrogatiõum, ac responsionum, quis facilè explicet rationem? Et ta-men omnia hæc operta & velata portamus super hu-meros nostros, cum ita implemus ea & exequimur, vt à magno pontifice, atq; eius filijs tradita & commen-data suscepimus. hæc Origenes.

Ab eo non dissentit Basilius Magnus, qui hæc cap: 27, lib: de spiritu sancto scripta reliquit. Dogmata, in-quit, quæ in ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex apostolo-rum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ vtraq; eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem ecclesiastico-rum virium experientiam habet. Si enim aggredere-mur, non scripto proditas consuetudines, velut non magnam vim habentes, reijcere, imprudentes etiam i-psis principalibus euangelij partibus damnum inferre mus, immo potius ipsam euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: velut verbi gratia, vt eius quod primum ac communissimum est, primam mentionem faciam, figura crucis signare eos, qui in no men domini nostri IESu CHRIsti spem habent, quis scripto do-

cuit? Ad oriẽtem conuersos esse nos dum o-ramus, quæ scriptura nos docuit? Inuocationis verba dum ostenditur panis eucharistiæ, & poculum bene-dictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum apostolus aut euan-gelium mentionem fecit, sed & ante & postea alia quę-dam dicimus, velut magnum robur ad mysteria ha-bentia, ex doctrina scripto non prodita assumpta. Be-nedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, in-super q; ipsum qui baptizatur, ex quibus scriptis? non-ne à tacita & arcana traditione? ipsam vero olei illi-tionem, quæ doctrina scripta docuit? At ter immergi hominem vnde est? Reliqua item quæ circa baptisma fiunt, renunciare Sathanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? Nonne ex hac non publicata & arcana do-ctrina? quam in minimè curioso ac sollicito silentio patres nostri conseruarunt, rectè illi, vtpote docti my-steriorum reuerentiam ac autoritatem silentio custo-diri. Quæ enim ne inspicere quidem fas erat non ini-tiatis, horum doctrinam quomodo par erat in literis, velut in triumpho ostentare. Aut quid tandem volẽs ille magnus Moyses, non omnibus omnia templi loca peruia esse statuit, verum extra sacra septa profanos locauit, prima vero atria purioribus permittens, solos Leuitas dignos dei ministros iudicauit, victimas vero et holocausta ac reliquam sacrorum celebritatem sa-cerdotibus assignauit, vnumq; ex omnibus delectum in adyta admisit, & neq; hunc semper, sed vna solum anni die, NOTatu dignissi:

Ratio cur citra scriptum tradita quædam ab apostolis et patribus.

anni die, atq; huius hora certa ad ingrediendum ipsi constituta, quo propter nouitatem & insuetudinem, cum maiore admiratiōe inspiceret sancta sanctorum, probè gnarus ex sapientia sua, ei quod conculcatum est & per se apprehendi potest, imminere contemptū: quod vero remotum est ac rarum, ei naturaliter quodam modo esse coniunctam admirationem. Ad eundem modū etiam hi qui ab initio res ecclesiasticas sanciuerunt apostoli & patres, in occulto ac silentio mysterijs autoritatem conseruarunt. Neq; enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur aliqua tradita sunt citra scriptum, vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret, & in contemptum veniret apud vulgus propter consuetudinem. Aliud enim est dogma, & aliud prædicatio: dogmata enim silentur, prædicationes vero publicantur. Silentij autem species est & obscuritas, qua vtitur scriptura, ita dogmatum sententiam construens aut ægre assequi possis, atq; hoc ad legentium vtilitatem. Et paulo post: Ommitto reliqua, ipsam fidei confessionem, quod credimus in patrem, & filium, ac spiritum sanctum, ex quibus scriptis habemus? Si enim ex baptismatis traditione, iuxta pietatis congruentiam, velut baptizamur, ita etiam credere debentes, similem baptismati confessionem testificamur: concedunt nobis iuxta eandem congruentiam, vt similem fidei glorificationem reddamus. Si vero glorificationis modum velut scripto non proditum reijciunt, producāt nobis

et confessionis fidei, & reliquorum quæ commemorauimus conscriptas demonstrationes? Hæc ibidem Basilius, qui etiam cap: 29 eiusdem libri, apostolicum esse dicit etiam in non scriptis traditionibus perseuerare, vbi citat Pauli testimonia ante à nobis producta. Cum quo Tertullianus sentit in libro de corona militis, vbi cum recensuisset eadem quæ Basilius, & alia quædam, inquit. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætenditur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Idem aduersus Psychicos affirmare non dubitat, q̄ eorum quæ ex traditione in ecclesia obseruantur, tanto magis dignam rationem debemus habere, quanto carent scripturæ autoritate. Non dissentit ab ijs diuus Hieronymus ad Lucinium, qui quæsierat ab Hieronymo vtrum sabbato ieiunandum sit: & de Eucharistia an accipienda quotidie. Ego illud te breuiter (ait Hieronymus) admonendum puto, traditiones ecclesiasticas (pręsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas, vt à maioribus traditę sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum more contrario subuerti. Atq; vtinam omni tempore ieiunare possimus, quod in actis apostolorum diebus pentecostes, & die dominico apostolum Paulum & cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichęe hæreseos accusandi sunt, cum carnalis cibus præferri nō debuerit spirituali. Eucharistiam quoq; absq; condemnatione nostri & pungente conscientia, sem-

per accipere, & psalmistam audire dicentem: Gustate & videte quoniam suauis est dominus: & cum eo canere: Eructauit cor meum verbum bonum. Nec hoc dico quod dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas sexaginta diebus ferias auferam: sed vnaquæq; abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges apostolicas arbitretur. hæc Hieronymus. Epiphanius Græcus lib: ij, tomo 1. Oportet autẽ, inquit, et traditione vti, non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus apostolus: Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo & sic tradidi in ecclesiis. Ita ille. Augustinus ad Casulanũ epistola 86. In his rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinatiõis cum certa documenta nulla veritatis insinuet, vtiq; cauendum est, ne tempestate contentionis serenitas charitatis obnubiletur. Et ad Ianuarium epistola 118 ait: Illa quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est saluberrima autoritas, commendata atq; statuta retineri, sicuti quod domini passio & resurrectio & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur:

Præcepta maiorum.

lebrãtur: etsi quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacunq; se diffundit ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesq; variãtur, sicuti est, quòd alij ieiunant sabbato, alij vero non, alij quotidiè communicant corpori & sanguini dominico, alij certis diebus accipiũt: Etsi quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, nec disciplina vlla est in his melior graui prudentiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunq; forte deuenerit. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est. hæc Augustinus, à quo non dissentiunt cæteri catholici, recentiores etiam viri doctissimi & pij, quorum hic aliqua testimonia hac de re proferam.

Regula pro traditionibus diuersarum regionum.

Alfonsus Viruesius episcopus Canarieñ de varietate assertionum disserens: Ego vero, inquit, de his omnibus ita iudico, vt quæ ab vniuersali ecclesia perpetuo sunt credita & obseruata, ea tanquam oracula diuina religiosè suscipiam, & vniuersis hæreticorum dogmatibus præferam, nihil enim aliud quàm hæretici mihi sunt, quicunq; aduersus hæc scribunt aut docent. Quæ vero (inquit idem) nouis sunt inter Christianos traditionibus exorta, ita vt nullo modo in sacris literis antea fuerint, illa si conciliorum aut pontificum sint decreta vt leges et placita Christianę reipublicæ, perquam vtilia venerabundas suscipiam. Quoties autem

ties autem de diuinis aut humanis hisce legibus alicu-
bi fortaßis ambigitur, optima mihi legum interpres
CONsuetudo populi Christiani. est Christiani populi generatim recepta consuetudo,
nam cæteræ omnes interpretationes quas hæretici ha-
Interp̃tationes hæreticorum. ctenus attulerũt, velut humana figmenta & carnis tan-
tum prudentiæ innitentes, marcescunt & emoriuntur.
Omnis namq; caro fœnum, & quod natum est ex car-
Esaiæ xxxx. ne caro est. Cecidit fœnum & quotidie cadit, quod etsi
diu aliquoties durare videatur, tandem arescet, ver-
bum autem domini manet in æternum. Cui verbo
quantumuis illud sibi omnes hæretici arrogent, sola
ecclesia catholica innititur. Huius rei signum est haud
obscurum, quod hæresibus cunctis processu temporũ
euanescentibus, sola ecclesia catholica inter hæretico-
rum turbines & malorum Christianorum, quibus v-
terq; ordo satis abundat, alluuiones, permanet, et in æ-
ternum permanebit, vtpote aduersus quam neutra in-
ferorum porta nec erroris, neq; iniquitatis præualere
potest. De opinionibus vero quæ inter orthodoxos
Sentẽtia ꝗ doctoribus sine offensiõe fidei inter se contẽdentibus. sine fidei offensione quotidie oriuntur, hæc dicit. Ho-
rum omnia in quibus doctores sibi mutuo aduersan-
tur, priuata mihi videntur & phantastica, vtrorumq;
frequẽter commenta, semper tamen alterorum. Quo-
rum fortasse requiras? illorum scilicet, qui magis à ve-
terum doctrinis & traditionibus distant. Nam (mea
quidem sententia) ea tantum ad intellectualem sapien-
tiam pertinent, aut propius accedunt, in quibus neo-
tericis inuicem cum veteribus conuenit, hæc ille, adij-
ciens plu-

ciens pluribus verbis, antiquos sanctos variasse inter-
dum sententijs, contradixisse pene nunquam.

Erasmus Roterodamus in quadam epistola & dia-
logo sic loquitur: Pugnent qui volent, ego censeo le-
ges maiorum reuerenter suscipiendas & obseruandas
religiose, velut à deo profectas, nec esse tutum, nec esse
pium, de potestate publica sinistram serere aut conci-
pere suspitionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamẽ
non cogat ad impietatem, satius est ferre quàm sediti-
ose reluctari. Et in libello quodam, cui titulus est:
ERas: Roter: detectio præstigiarum cuiusdam libelli
Germanice scripti &c. Argumentis in vtramq; par-
tem vacillare possem, nisi me confirmaret autoritas
ecclesiæ.

Idipsum approbant decreta Synodica. Chalcedo-
nense concilium vnum ex quatuor celeberrimis, ca-
none primo sic habet: A sanctis patribus in vnaquaq;
synodo vsq; nunc probatas regulas tenere statuimus.
In cuius etiam cõcilij actione prima, hoc habetur: Pijs-
simus & Christianissimus noster imperator pro ali-
quibus quæ emerserunt, iussit hanc congregari syno-
dum, non vt fidem nostram exponamus, quam expo-
suerũt iam patres nostri, sed vt inquiramus quæ emer-
serunt, si conueniant sanctorum patrum nostrorũ sta-
tutis. Oportet ergo ea quæ contigerunt primitus in-
quirere, & nos probare, si consonantia sint statutis à
sanctis patribus. Aut vultis fidem sanctorum patrum
innouare? Sancta synodus dixit: Si quis innouat ana-

 thema sit.

thema sit: Si quis discutit, anathema sit, sanctorum patrum fidem seruemus. hæc concilium. Vnde Chrysostomus Pauli verba explicans: Tenete traditiones &c̄ hæc ait: Traditio est, nihil quæras amplius. Et diuus BErnardus affirmat imperfecti cordis infirmæq; voluntatis esse indicium, seniorum statuta studiosius discutere, hærere ad singula, de quibusq; rationem exigere, & male de omni præcepto suspicari, cuius causa latuerit. Vnde & Martianus imperator in lege quadam à se lata dicit: Nam & iniuriam facit iudicio reuerendisíimę synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit. Et Gelasius: Maiores, inquit, nostri, diuina inspiratione cernentes, necessariò præcauerunt, vt quæ contra vnamquamq; hæresim coacta semel synodus pro fidei communione & veritate catholica promulgasset, non sineret post hæc nouis retractationibus mutilare.

homilia iij.

lib: ij, cap: iij, in lib: Reg.

Martianus de summa trinitate et fide catholica, capite Nemo.

xxiiij q: i.

CONCILIVM NICenum secundum vniuersale. Fatemur vnanimiter nos ecclesiasticas traditiones siue scripto, siue consuetudine valentes & decretas retinere velle.

Ita concilium, à quo non dissentit catholica ecclesia.

SIT LAVS DEO.



FAMILIARES DEMORTVI
AD LECTOREM.

NON EST, quod te aut mirari, aut ægrius ferre faciat, inchoatum de Traditionibus Ecclesiæ negocium. Erant enim alia multò plura (nobis benè conscijs) quæ dum tibi ex promptuarijs sacræ scripturæ Autor proferre cogitat, immatura morte abripitur. Quo factū est, vt dum ille Deo Opt: Max: iubente, de hac statione vitæ decedit, tibi conatus animi sui haud absolutos, à nobis æd ē dos, relinquat. Hos te ita excipere atq; amplecti decebit, vt ab optimo sunt, & integerrimo viro, atq; Catholicæ Orthodoxæq; fidei ardentisśimo amatore, profecti.

VALE.



INDEX COPIOSISSIMVS

RERVM ATQVE VERBORVM MEMORABILIVM IN APOLOGIA.



A

B

C

F

G

H

I

L

M

T

V

Z

FINIS INDICIS.



Stanisl

M S H



Konserwacja oprawy
1990 r. - BJ

